UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione Dilvcidatvs

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

urn:nbn:de:hbz:466:1-68633

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

9h. 5717
X XI
21
17

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IOANNIS TOLLENARII


E SOC. IESV

SPECVLVM VANITATIS SIVE ECCLESIASTES DILVCIDATVS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Quasi qui ventum tenet. Prou. 27.
Vere fœnum est populus. Isa. 40.
Diuitiæ vestræ putredo facta sunt. Iacob. 5.
Vere tu es Deus absconditus. Isa. 45.
Signa gloriæ quæ pauci vident.
IOANNIS
TOLLENARII BRVGENSIS
E SOCIESV
SPECVLVM
VANITATIS
SIVE
ECCLESIASTES
SOLVTA LIGATAQ.
ORATIONE
DILVCIDATVS.
Ventus est vita mea. Iob. 7.
Vt fumus deficient. Psal. 36.
Adolescentia et
Voluptas vana fut. Eccl.
ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI. M.DC.XXXV.

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQVE VIRO D. NICOLAO ROCKOX EQVITI AVRATO ANTVERPIÆ CONSVLARI.

CVM nouitium hunc fetum, rudem atque impolitum, in lucem protrudere meditarer, VIR AMPLISSIME; & ille cultissimum hoc sæculum, ne dicam fastidiosa eruditorum ingenia, reformidans, non vnius Aristarchi censuram, atque adeò lucem publicam pertimescere; gratiosum aliquem ac beneuolum illi Patronum quærendum arbitrabar, sub cuius alis ac patrocinio delitesceret. Nec deerant ex familiaribus, qui magna nomina cogitarent, aulamque ac purpuram

amicâ importunitate ſuggererent. Sed idem contigit huic expoſititio meo, quod olim infanti Moyſi: quem cùm propter ſanguinariam Pharaonis legem parentes in lucem & conſpectum dare non auderent, ſcirpeæ fiſcellæ impoſitum ad regiam Termutis prono fluminis alueo direxerunt, vt à filiâ Pharaonis in alumnum adoptaretur. Sed fruſtrà. Vt primùm enim de ſe potuit arbitrari, negauit ſe ad regiam ſtirpem pertinere, & in Madianitidem ab aulâ profugus, in familiam Raguelis cooptatus eſt, viri quidem in eâ gente Principis ac Iudicis; qui tamen ab omni faſtu vſque adeò remotus eſſet, vt ne proprias quidem filias opilionum vice fungi ſibi probro duceret. Sic ego, cùm librum hunc expoſititium publico committere vix auderem, ac inprimis vererer hanc ætatem ingeniorum vberrimè feracem, proindeque Patroni alicuius præſidia circumſpicerem; non potui tamen amicis acquieſcere, Magnatum palatia Principumque aulas proponentibus: tum quòd ipſe tenuitatis meæ conſcius, ſublimia mihi ſemper vitanda duxi; tum ſi vel maximè annuerem, meus hic Moyſes vehementer reclama-

mabat, alienum à se dicens esse, cùm de rerum humanarum vanitate differat, in contemptu gloriæ, gloriæ velificari. Itaque rogabat ne se pudore suffunderem, sed potiùs genio ingenioque suo consentanea sectarer: quærerem virum aliquem inter suos principem, cuius patrocinio fulciretur; sed eiusmodi tamen, à quo fastus omnis, & eorum quæ magna habentur in terris admiratio, quàm longissimè abesset. Hoc ita constituto (quod æquissimum videbatur) reliquum consilium fuit expeditius. Non enim procul in Madianitidem abeundum fuit, nec omnino Antuerpiâ discedendum (quam iuxtà ac Brugas velut alteram mihi patriam obtigisse, ac solidioribus etiam studiis animum excoluisse, non inuitus profiteor) non diu inquam deliberandum fuit in hac vrbe, virtutis atque eruditionis nutrice, in quem potissimùm oculos coniicerem. Suggessit mihi affectus meus, & longa consuetudo, virum in hoc genere prorsus eximium; Amplitudinem inquam tuam, absque fastu venerabilem, absque loquacitate eruditam, absque ambitu popularem, absque ostentatione opulentam, absque sordibus

fru-

frugalem. In quem enim potiùs oculos coniiceret meus Eccleſiaſtes, quàm in te, deſpicientiæ rerum humanarum ſpeculum, & in affluentiâ fortuitorum fortunæ dona calcantem? Aiunt Philoſophi, ſpectaculum eſſe Deo dignum, virum fortem cum aduersâ fortunâ compoſitum. Ego veriùs ſpectaculum Deo dignum eſſe dixero, & cui non Romanum, ſed cæleſte plaudat amphitheatrum, virum bonum cum proſperâ fortunâ in arenâ concluſum. Plures enim inuenias, quos proſpera, quàm quos aduerſa fortuna proſtrauit. Te verò nec illecebris ſuis vmquam ineſcauit, neque cuniculis ſubruit, nec eliſit amplexu. Honores in Republicâ ſummos geſſiſti, ſed quos maiore ſemper ambitu declinaſti, quàm alij conſectati ſunt. Venerata eſt ante multos annos Antuerpia te IX. Conſulem; nunc tamen non minùs te ſuſpicit, ſummo Magiſtratu ſæpiùs repudiato, quàm geſto. De Nobilitate nihil dico: quæ licet in hac vrbe ſumma ſit, ac perpetuis familiæ Magiſtratibus illuſtris; ſcio tamen, quàm tibi ingratum ſit, alienis laudibus exornari, qui ne proprias quidem æquis auribus admittas. Quid cetera

fortu-

fortunæ dona commemorem ? quæ licet in te non parcâ manu congeſta ſint ; tamen vt ſunt fortunæ bona, ſemper animo tuo inferiora duxiſti : & quæ pleriſque hominum ſic dominantur, vt aut animos eorum auaritiâ contrahant, aut luxu diſſoluant, apud te honeſtam ſeruiunt ſeruitutem. Itaque intra domeſticos parietes ſplendidè modeſtus, & magnificè frugalis, quod alij in luxus oſtentationem ſtultè prodigunt, id amicorum commodis & inopum ſubſidiis fructuoſiùs impendis. Alia tibi ſcilicet in pretio ſunt bona, virtus & eruditio : hæc foues, hæc amplecteris. Teſtes mihi ſunt religioſæ familiæ non paucæ, quæ paternum tuum affectum & ſentiunt & loquuntur. Et quis eſt in hac vrbe aut ſcientiâ clarus, aut arte celebris, aut vllo genere laudis eximius, qui te non Mecænatem aut habeat aut exoptet ? At hîc ſubiraſci mihi videris : Et quorſum, inquis, hæc ſpectat oratio, ſi neque Eccleſiaſten tuum decet encomia texere, nec me laudibus humanis delectari ? Profectò, VIR AMPLISSIME, rectè mones. Quid ſi etiam ſcias cum quâ & quàm longâ laudum tuarum ſerie negotium fueris habiturus ? Itaque pareo

non inuitus, & vela contraho. Vnum reſtat, vt Amplitudini tuæ paucis inſtituti mei rationem reddam. Cùm ante quadriennium vacationem aliquam à publico munere nactus eſſem, nihil habui antiquius, quàm vt ea ſtudia, quibus me ex præſcripto Superiorum aliquando excolueram, poſtliminiò recolerem. Ita tamen vt non tam vni mihi prodeſſem, quàm vt multis, quibus ad benè beateque viuendum variis optimorum Auctorum ſententiis iter complanarem. Huic inſtituto meo nihil mihi viſum eſt opportunius, quàm vt librum Eccleſiaſtæ explicandum ſuſciperem: qui non tantùm vana mortalium deliramenta caſtigat, & totam vanitatis pompam proſcribit; ſed etiam veræ perfectæque ſapientiæ medullam continet. In hoc autem Auctore dilucidando non eam ſequar methodum, quæ Scholaſticis ſacrarum Litterarum Interpretibus familiaris eſt; (hanc enim Spartam, præter alios quamplurimos, non indiligenter è Societate noſtrâ Ioannes Lorinus, vir multæ lectionis, omniumque accuratiſſimè noſter eruditiſſimus Pineda, exornarunt) ſed variâ rerum tractatione mores potiùs quàm ingenium paſcam.

Ita-

Itaque non me Scholasticum profitebor interpretem (quod illi cumulatissimè præstiterunt) sed concepto semel genuino sensu verborum, eoque Metricâ Paraphrasi dilatato, Ecclesiasten agam in Ecclesiaste; & Seuerinum Boëtium Christianum Philosophum imitatus, veræ Philosophiæ documenta nunc poëticâ suauitate condìta, nunc sapientium placitis firmata, velut benè beateque viuendi normam, sub tui nominis patrocinio publicæ luci committam: vt cuius in hac vrbe magna est auctoritas, hoc duce ciues non inuiti philosophentur, iterque per exempla magis expeditum habeant ad præcepta. Hoc Amplitudini tuæ, hoc ciuibus charissimis, hoc omnibus, qui in hæc Scripta inciderint, ex animo voueo.

Antuerpiæ, in Domo professâ Societatis IESV, Kal. Martij M. DC. XXXV.

AMPLITVDINIS TVÆ

humilis in Christo seruus

Ioannes Tollenarius.

VNIVERSA

VANITAS

OMNIS HOMO

VIVENS.

Psalmo 38, 6.

IOAN-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IOANNIS TOLLENARII BRVGENSIS
E SOCIETATE IESV

SPECVLVM VANITATIS SIVE ECCLESIASTES SOLVTA LIGATAQ. ORATIONE DILVCIDATVS.

CAPVT PRIMVM.

PROOEMIVM.

VERS. I. Verba Eccleſiaſtæ, filij Dauid, Regis Ieruſalem.

METRICA PARAPHRASIS.

NEC ore verſus entheo cothurnatos,
Nec prurientes auribus feram cantus.
Venale carmen, ingeníque poppyſma
Laudum propolis cedo: turgidos ructus,
Oracla Vatum, Delphicamque cortinam,
Clarioſque tripodas, cymbalumque Dodonæ
Illis relinquo, qui ſub Hellados nocte
Cæcutientes, numen adſtruunt Phœbo,

Heliconidasque fabulis deas comunt.
Me, quidquid obeunt astra, mente complexum,
Diuinore Numen vrget afflatu
Docere vulgus, laudis inscium verae,
Quid vanitatis rebus insit humanis.
(Hoc nosse, sortis Regiae dedit culmen,
Dauide genitus Solyma dum vibro sceptra.)
Hanc cùm retorto traxero in diem collo,
Eritne quisquam, qui abroget fidem dictis,
Et in coruscâ luce sponte caliget?
Hunc ego beari peruelim omnibus votis,
Quae blandienti fascinata fortunae
Tacito labello stulta turba suspendit:
Vt cùm affluente nauseauerit sorte,
Dapes vt inter dapsiles cocus sputat,
Sic ille vanitatis, & satur vitae
Opes opimas inter hîc inops degat,
Vanique honoris turgidus crepet fumo,
Fameque ad ollas tabeat voluptatum.

PROSA EXEGESIS, ET PROOEMIVM COMMENTATORIS.

DE vanitate rerum humanarum verba facturo nulla certior aptiorque dicendi norma atque sentiendi suggeritur, quàm illa Sapientum, Cum ratione atque experientiâ de rerum naturis esse consultandum. Hanc normam sequor, dum Ecclesiasten sequor: qui
Sap. 8, 19. cùm puer sortitus esset animam bonam, tantum deinde intelligentiæ lumen diuinitus accepit, vt quotquot orbe toto sapientiæ gloriâ clari extiterunt, eosdem longo

longo post se interuallo reliquerit. Experientiam verò earum rerum, quas plerique mortalium in pretio habent, tantam est assecutus, quantam in Regiâ fortunâ par est esse maximam: vt non immeritò, ad conciliandam sibi fidem, hoc disertè sit præfatus, se Dauide progenitum, proindeque in aulâ ac purpurâ ab infantiâ educatum, tandemque rebus florentissimis ad Regni fastigium euectum. Ex quo pronum ac promptum est cuiuis coniicere, quàm certa atque explorata habuerit omnia, quæ aut superficie tenus conspecta, aut summis labris degustata, mortalium genus, tranquillæ beatæque vitæ semper cupidum, solent ludificari.

Talem igitur ac tantum virum Ecclesiasten, id est concionantem introduxi, ac talem ipse se nominat: non idcircò tantùm, quòd populo ius dixerit, aut sapientiam fortè sit professus; sed vel vnici huius Libelli causâ (tametsi de cetero priuatus, atque in otio consedisset) ex quo tantus in omnem posteritatem fructus promanauit, quantum nemo ex mille concionibus è suggestu habitis sperare potuisset.

Hîc enim potiori iure vsurpari posse video illud Senecæ, qui in causâ non dispari, Certè nos sumus, inquit, qui dicimus & Zenonem & Chrysippum maiora egisse, quàm si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent: quas non vni ciuitati, sed toti humano generi tulerunt. Quid ergo est, quare tale otium non conueniat viro bono, per quod futura sæcula ordinet, nec apud paucos concionetur, sed apud omnes omnium gentium homines, quique sunt, quique erunt?

Seneca lib. de Otio sapient. cap. vlt.

Concionatorem igitur introduxi, & quidem vario carminum genere ad populum verba facientem. Ac ne

illud quidem aut à Regiâ maiestate, aut ab extremâ, quâ Libellum hunc scripsit, senectute, aut ab vsu concionis, atque intentione concionantis abhorret. Regium in primis esse, carminibus delectari, minimè obscurum est: nam & Adrianum Imp. varia reliquisse poëmata; & Neruam Poëtico fuisse ingenio accepimus; & Constantinum poëseos non expertem fuisse, testatur Pomponius Lætus; ac denique hunc ipsum Regem sapientissimum quinque millia Odarum scripsisse, sacra Regum testatur Historia.

Pineda Salom. præuio, lib. 3. c. 13.

3. Reg. 4, 32.

Neque id eius ætati, quâ Libellum hunc scripsit, indecorum est: siquidem parens eius, vir bellicosissimus, tot præliis perfunctus,

Musarum studiis docuit mitescere cristas:

ac iam propè septuagenarius, varia poëmata versu trimetro pentametroque conscripsit.

Iosephus lib. 7. Antiqq. c. 10.

Denique illud exhortandi genus etiam concionibus accommodatum esse, retrò omnis testatur antiquitas. Ecquis enim est qui ignoret, homines sapientissimos fictis fabulis memoriæ prodidisse, siluas feraſque Orphei cantum secutas? & Amphionis testudine saxa Thebanis mœnibus adiecta? aut, vt clarè quod res est eloquar, homines siluestres ac rudes, planeque saxeos, suauissimis Poëtarum cohortationibus institutos, vnius ciuitatis legibus coaluisse? Cùm enim salutaribus præceptis versus inseruntur, suauiùs ac potentiùs in animos auditorum penetrant. Nam, vt dicebat Cleanthes, quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cùm illum tuba per longi canalis angustias tractum, patentiore nouissimùm exitu effudit: sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. Eadem negligentiùs audiuntur, minuſque percutiunt,

Seneca Epistolâ 108.

quamdiu solutâ oratione dicuntur : vbi accessêre numeri, & egregium sensum adstrinxêre certi pedes, eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur.

Neque verò candidus Lector mihi succensebit, si condimenti causâ Poëticarum subinde fabularum nomina versibus intexuero. Etenim si & septuaginta Sapientes, & Vulgatus sacræ Paginæ Interpres (cuius auctoritatem veneratur Tridentina Synodus) & Lamias, & Mercurium, & cornu Amaltheæ, & Arcturum, & Orionem, & filios Titanum, & Reginam cæli, aliaque partim fabularum, partim falsorum deorum nomina, sacrosanctis illis Codicibus inseruërunt; quantò magis id indulgendum est Poëtico Paraphrastæ?

Trident. Sess. 4. Thren. 4, 3. Prou. 26, 8. Iob. vlt. 14. Amos 5, 8. Iudit. 16, 8. Iere. 7, 18. & 44, 17. 18. 19. 25.

Porrò, quemadmodum in metricâ Paraphrasi Poëticam laurum non ambiui, sed eximia illa vitæ morumque præcepta quasi condimento quodam litterario inspergere volui; sic in prosâ Exegesi Philologicam subinde varietatem consectatus sum, vt iis etiam prodessem, qui aut venerationis causâ sacris Litteris abstinent, aut Græcorum Romanorumque disciplinis, ac amœnitati litterariæ magis adsueuerunt. Et verò quid refert, aureóne an fagino poculo medicina propinetur, dummodò morborum expulsio, & optata sanitas consequatur? Sanè D. Gregorius Nazianzenus obseruat, etiam viperarum carnes salutiferis misceri pharmacis. Sic etiam, inquit, ex profanis disciplinis, quod ad veritatem inquirendam, ad iudicium acuendum, ad contemplationem exercendam facit, libenter amplexamur. Nec eos audimus, qui politiores litteras explodentes, omnes sibi similes esse percupiunt, vt in communi sui similium frequentiâ latere, & insciticæ suæ reprehensionem vitare possint. Quin potiùs legi-

Nazianz. Orat. funebri de sancto Basilio Magno.

Hieron. Epist. 84. ad Magnū.

mus in Deuteronomio, inquit D. Hieronymus, Domini voce præceptum, mulieris captiuæ radendum caput, supercilia, pilos & vngues corporis amputandos, & sic eam habendam in coniugio. Quid ergo mirum, si & ego, inquit, sapientiam sæcularem propter eloquij venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancillâ atque captiuâ Israëlitidem facere cupio, & si quid in eâ mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado?

Nihil ego miror, vir magne; sed potiùs exemplo tuo Senecæ philosophiam, quæ inter cetera Ethnicorum scripta visa est mihi Christiano ingenio dignior, purgatam ac recisam, in contubernium, imò legitimum thorum duco, nec illibenter eius pulchritudinem Lectori subinde spectandam propono. Dumque aut ipsius, aut aliorum sententias in medium adduco; non inuitus profiteor ex aliorum me laboribus proficere, & velut in alieno prato, instar apis, omnia perlustrare, floribus incumbere, mella delibare, illud Lucretij secutus:

Lucretius lib. 3.

Floriferis vt apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Quinimò ridiculos & vanos esse censeo sciolos quosdam, qui, vt noua proferre videantur, flores pulcherrimos ex alienis hortis collectos conculcant potiùs, & lutulentos suique dissimillimos exhibent, quàm vt aliis hanc laudem se debere fateantur. Dignissimi sanè Donato antiquo Grammatico discipuli, in quo illud reprehendit D. Hieronymus; Præceptor meus Donatus, inquit, cùm istum Comici versiculum exponeret (Nihil est dictum, quod non sit dictum priùs) Pereant, inquit, qui ante nos nostra dixerunt. An est quidquam

Hieronymus in c. 1. Ecclesiastæ. Terentius in Eunucho.

tam

tam vanum? Propitius sit mihi Deus, ne similem velut è mustaceo lauream captem, aut eâ re meipsum magnificè circumspiciam, si quid noui in lucem videar protulisse.

Sed ne hanc quidem gloriam aucupabor, vt propter eruditorum sententias in vnum corpus congestas aliquid legisse videar. Inania sunt ista, & puerilibus consentanea crepundiis. Quorsum mihi litterarius ille plausus, qui me Deo supremo Iudici meo reddat inuisum? qui, vt ait Thomas Campensis scriptor religiosissimus, extremo illo magni iudicij die non quæret quid legerimus, sed quid fecerimus; neque quàm benè dixerimus, sed quàm religiosè vixerimus. Thomas à Kempis lib 1. de Imit. c. 3.

Absit igitur omnis ostentatio, si Deo opellam hanc nostram probare volumus, qui operum fructu potiùs, quàm verborum frondibus ac floribus delectatur. Nam & oues, inquit Epictetus, non fœnum adferunt opilionibus, aut quantum comederint ostentant, sed pastu intra se concocto, extrinsecus lanam ferunt, & vbera lacte distenta. Sic & tu, inquit, ne verba confestim ostendas imperitis, sed opera quæ verborum concoctionem sequantur. Quod cùm omnibus hanc lucubrationem lecturis ex animo voueo, tum illud in primis mihi ipsi, vt dum Ecclesiasten enarro, ab eius salutiferis præceptis vitâ moribusque ne discrepem; ne pudori mihi sit, quod alio loco idem tradit his verbis: Cùm enarrationem Chrysippi (nobilissimi quondam Philosophi) inuenero, reliquum est vt præceptis eius vtar: quod vnum tali in re ac tempore præclarum est. Sin autem in ipsius enarrationis admiratione gradum fixero, quid aliud, quàm è Philosopho Grammaticus euasi? eo dumtaxat excepto, quòd pro Homero Epictetus Enchirid. c. 69. Enchirid. cap. 73.

mero Chryſippum (nos Eccleſiaſten dicamus) enarro. Multò verò maximè tunc erubeſco, ſi quis à me petierit ſibi prælegi Chryſippum, cùm facta verbis eius conſentanea præſtare non poſſim. Hæc pauca de mente non minùs Eccleſiaſtæ, quàm meâ, viſum fuit præfari: nunc rem ipſam, diuino adſpirante fauore, aggrediamur.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 2. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

3. Quid habet ampliùs homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub Sole?

METRICA PARAPHRASIS.

QVALITER eliſæ iactatus fragmine puppis
Per freta, per ſcopulos, per vada merſa ſalo,
Littore Trinacriæ fato ſubductus, & exſpes
Inſtitor, heu! ſparſas æquore plangit opes;
Et modò perfidiæ ventos arceſſit & vndas,
Et modò culpatis terret apluſtra Notis:
Sic ego nauifragâ vitæ per inania pinu
Ludibrium Boreæ, ludibriumque ſali,
Merſus, & emerſus, poſt luctiſonos ſingultus
Ingemino, voces quà ſinit ire dolor:
Nulla fides pelago, nec merces vlla periclis:
Nulla fides pelago, nauita, parce rati.
Parce rati, neque te ridens irrideat æquor,
Cui Zephyrus placidis lenis oberrat equis.

Blan-

Blanda licet leuibus crispentur terga flabellis,
Aut Speculi referant æquora strata vicem;
Sub placido decimi celantur marmore fluctus,
Sub Zephyro Boreæ spumea bella latent.
Heu! quota fluctiuomis pila ludicra voluitur Austris
Cymbula, quæ placido soluerat vsa mari?
Cetera quid memorem dubij discrimina ponti,
Qualia funestus plurima mundus habet?
Hîc vbi sæua rates absorbet ad ima charybdis,
Fauce pari sorbens helluo luxus hiat.
Hîc vbi spumosis Symplegades astra lacessunt
Fluctibus, irarum consona bella caue.
Hîc vbi dementat modulis Acheloïa Siren,
Nónne voluptatis pingit in ore typum?
Hîc succincta canes vbi Scylla regurgitat vndas,
Ah! ne te simili sorte libido rotet;
Nulla fides pelago, nec merces vlla periclis:
Nulla fides pelago, nauita, parce rati.
Quin agedum fac vela spei, remosque fatiga;
Solue age fluctiuagas in tua vota trabes,
Quà via pandit opes, vel quà via pandit honores;
Mercedem explebunt ventus & aura tuam.
Non alia Æolio captantur præmia regno:
Carbasa nil maius retia vestra petunt.
Quid fuit hoc mercis, Myniis quod contulit Argo,
Qui docuere rudis terga domare sali?
Phryxeum vellus, merx primâ digna carinâ,
Et maius pelago Colchica lena malum.
Hoc erat, vt secti turbarent fœdera mundi?
Vt fierent noster dißita regna timor?
Ah! minus est, nobis quod quæritur: aura fauoris,
Infima fex terræ, pignus honoris, onus,

Famáque post cineres, ventosior alite vento,
Grataque Circæo fœda sagina gregi.
O! quicumque colis vanissima somnia vitæ,
Qui pretium ventis ludibriisque facis;
Despue delicias, ventrisque animique saburram,
Despue diuitias, putrida frusta soli:
Nec te forma iuuet, spolium breue labilis æui:
Nec te fama iuuet, postuma præda necis.
Quidquid alit mundus, tibi sit quod imago theatri,
Bulla maris, somni ludus, inane nihil.

PROSA EXEGESIS.

NAVFRAGVM vobis introduxi Ecclesiasten, & meritò quidem; qui nec integrâ naui, nec saluis mercibus, post innumera vitæ probra, nominisque ac famæ dehonestamenta, ex hoc tumultuoso rerum humanarum freto emerserit. Sed & Ecclesiasten dedi ex naufrago, pertæsum scilicet vitæ prioris, & quæ nimio suo damno didicit, appositissimo ad persuadendum genere dicendi inculcantem, in quo neque orationis candor, nec sententiarum grauitas, neque experientiæ desideretur auctoritas.

Itaque non absimilem mihi cogitatione formaui eius orationem grauissimæ illi cohortationi D. Hieronymi ad Heliodorum, quâ illum de periculis huius vitæ certiorem facit. Hæc ego, inquit, non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo; sed quasi nuper naufragio eiectus in littus, doctus nauta timidâ nauigaturis voce denuntio. In illo æstu charybdis luxuriæ salutem vorat: ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia, Scylla ceu renidens, libido blanditur. Hîc barbarum littus: hîc dia-

Hierony. Epist. 1.

Mundi periculum.

diabolus pirata portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modum stagni fusum æquor arrideat, licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur; magnos hic campus montes habet. Intus incluſum est periculum. Tranquillitas ista, tempestas est. Nec vnum monstri genus, aut vna pestis in hoc mari magno pertimescenda, sed omnia vndique mala perniciem minantur, luxuriæ syrtes, honorum ac dignitatum scopuli, charybdis auaritiæ, Scylla libidinis, contentionum Symplegades, euripus sapientiæ, abyssus diuinorum iudiciorum. Nec desunt quæ in pericula pelliciant, aut adulationum aut voluptatum Sirenes. Harum suaui modulationi si quis aures occluserit, is demum sapit, ait Seneca: quibus ceram parum est obdere. Firmiori spissamento opus est, quàm vsum in sociis Vlyssem ferunt. Sirenum vox illa, quæ timebatur, erat blanda quidem, non tamen publica: at hæc quæ timenda est, non ex vno scopulo, sed ex omni terrarum parte circumsonat, & quasi grato celeusmate ad vela explicanda, & rudentes expediendos inuitat. Seneca Epist. 31.

At quo tandem præmio, aut quâ mercede proposità, tam incerta suadet subire pericula, imò certa salutis naufragia? Ventos promittit, aut si quid vento vilius est & inconstantius. Quid enim aliud bracteati dignitatum tituli? quid lemniscata nobilitatis stemmata? quid viscata fortunæ dona? quid bellè compta Veneris sterquilinia? quid melle oblitæ voluptatis illecebræ? quid denique sunt res omnes humanæ, quæ nos in breuia vitiorum syrtesque pertrahunt, & ab æternæ salutis consiliis auertunt, nisi ventus, vmbra, vapor, fumus, & ipsa vanitatum vanitas? *Mundi merces, vanitas.*

Vanitatis multiplex significatio.

Nam siue vanum id esse velis, quod ad finem homini propositum nihil conducit; non tantùm nihil conducunt, sed etiam auertunt à Deo, & æternæ beatitatis nostræ scopo, res humanæ: siue vanum id appelles, quod fallax est & mendax; an potest vlla fraus esse maior, aut mendacium pernicioſius eo, quo nobis imponunt hæc picta ludibria? siue malis id esse vanum, quod nihil in se complectitur solidi; quid fumulis ac fauillis atque adeò ipso vento excogitari potest inanius? seu denique vanum idem esse dicas, quod inconstans, fragile, caducum, variisque mutationibus obnoxium; quid aliud sunt res humanæ, quàm temporis ac fortunæ spolia? sed immoremur tantisper in singulis.

Gregorius Nyssen. in Ecclesiast. *Vanum idē quod inutile.*

Vanitas eorum dicitur, ait Nyssenus, quorum nullus vsus, aut quæ magno studio & contentione facta sunt, nullo scopo proposito. Eiusmodi est, aduersus stellas eiaculatio, ventorum venatio, cursoris cum vmbrâ suâ de velocitate concertatio, & si quæ sunt eiusmodi, quæ temerè facta sunt, vanitatis verbo continentur. Ita prorsus alienum est à proposito Sapientis (vt absque ambagibus animi sensum eloquar) planeque vanissimum, diuitiis, deliciis, honoribus, ceterisque eiusmodi puerilibus crepundiis, quæ apud homines in pretio habentur, inordinato affectu adhærescere. Nimium quantum hæc omnia dissident à scopo, quem nobis præfigimus, æternæ beatitatis. Immensum est desiderium nostrum: hæc omnia suis modulis dimensa sunt. Æternum est desiderium nostrum: hæc omnia breuissimi temporis limitibus coarctantur. Cæleste ac diuinum est desiderium nostrum: hæc omnia humana sunt, ne dicam infra hominem.

Res humanæ ad scopū beatitatis inutiles.

Quæ-

Quænam igitur ab his tam futilibus bonis, ac ne bonis quidem, ſperanda quies aut beatitas? Feciſti nos Domine ad te, ait D. Auguſtinus, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Fruſtrà minora venamur ſolatia: animum infiniti Dei capacem, quidquid finitum eſt, Deoque minus, non explebit. Auguſtinus lib. 1. Confeſſion. capite 1.

Tantum abeſt, vt mendacio (quæ fuit altera notio vanitatis) velut pabulo beatitatis paſcatur. An ego beatos exiſtimem, quos Scythiæ Sarmatiæque tituli, aut triginta Mithridatis Regnorum diadema nobilitat; cùm non ignorem, quot mala, quot pericula, quot calamitates occultet infelix illa faſcia? An eos ſuſpiciam, quibus obuios ſubmouet lictor, aut quos importuna clientum turba circumſtat; cùm ſciam, neminem minùs ſui iuris eſſe, quàm qui in plurimos ſibi ius arrogauerit? An eos fortunatos eſſe dicam, qui ſibi fortunam deſponſaſſe videntur? Non magis certè, quàm illos liberos, quibus ampla palatia pro carcere perpetuo deſignantur. Obruit illos quidem fortuna muneribus, ſed totidem vinculis conſtrictos, ſui iubet eſſe mancipij. An denique molles illos & effeminatos felices putem, quos ſupra hominum capita turbamque deſpectam lectica ſuſpendit? quorum palato peregrini nemoris aucupia, remotique littoris piſcatus inſeruiunt; cùm videam, delicatulos illos immodicâ ſaginâ nauſeaque crudeliùs, quàm pauperes inediâ atque egeſtate, torqueri? Perſonata eſt omnis iſta felicitas: neque hæc lenocinia cuiquam, niſi ſtulto, aut volenti fortaſſis, os ſublinunt. Sic oculis libenter imponimus, dum parietes miramur tenui marmore incruſtatos, cùm ſciamus, quale ſit iſtud quod abſconditur. Et cùm auro tecta perfundimus, quid aliud quàm *Bona fortunæ fallacia.* Seneca Epiſt. 115.

mendacio gaudemus? scimus enim, sub illo auro fœda tigna latitare. Nec tantùm parietibus aut laquearibus ornamenta prætendimus; omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est.

Chrysost. in Psal. 118. Nyssenus in Ecclesiasten.

Huic vanitatis mendacio affine est, quòd Chrysostomus & Nyssenus vanum definiunt, nomen aut sonum sine re. Nos addere possumus, corticem sine nucleo, flores sine fructu, titulum sine dominio, pallium sine Philosophiâ, mensam sine cibis. Et sanè nulli rei aptiùs voluptates profanas comparauero, quàm mensæ Heliogabali, quam ad ludibrium amicis instrauerat, in quâ cibi omnes è vitro, ad imitationem veritatis efficti, irritandæ potiùs, quàm sedandæ orexi inseruiebant. Alium cibum mensæ voluptatis, aut, si mauultis, vanitatis, magis accommodatum nullum inuenio, nisi fortè poma Sodomitica, de quibus sic habet Solinus, præ se ferre quidem illa speciem maturitatis, ceterùm speciosæ cutis ambitione fauillaceam intrinsecus fuliginem abscondi, quæ vel leui pressa tactu fumum exhalet, & fatiscat in vagum puluerem. Nihil certè à voluptate sperandum est maius.

Voluptates vanæ sunt & inanes.

Solinus c. 36. & Aug. l. 21. de Ciuit. c. 5.

An præstantius forsan aliquid à titulis ac dignitatibus, quæ vulgus hominum tantopere suspicit? Profectò ne pueri quidem tam perditè insaniunt, cùm titulos inter se partiuntur, vt eos absque meritis, vllius pretij esse ducant. Nam *pueri ludentes, Rex eris, aiunt, si rectè facies:* at superbi & ambitiosi indebitis & inanibus titulorum fumis pascuntur. Quis non rideat Clearchum Heracleæ tyrannum, cognomento Cerauophorum, qui filium etiam Tonitrum appellauit? Quis non explodat Salmonea, Caligulam, alioſque nonnullos Iouis schemate insignibusque conspicuos?

Honores vani sunt & inanes.

Plutarch. in Fort. Alexandri lib. 2. Statius. Sueton. in Caligulâ.

Nec

Nec minùs Saporis est exsibilanda vanitas, qui se Regem Regum, participem siderum, fratrem Solis & Lunæ voluit indigetari. Ammianus Marcellinus lib. 17.

Quid nunc reliquam fortunæ pompam explicem, quâ frequenter oculos imperitorum fascinat? Certè cùm eius merces curiosiùs intueor, videor mihi ad Septemtrionale Finnorum emporium delatus, quibus inter ceteras merces solemne est ventos pretio vendere: aut in palatium aliquod Heliogabali penetrasse, qui, proposito præmio, millena pondo aranearum conquiri, & ad se deferri iubebat; collectaque dicuntur decem millia pondo aranearum, ex quo magnitudinem vrbis Romanæ colligebat. Et verò, *quid habet amplius homo de omni labore suo?* Quid aliud agunt, qui instar araneorum seipsos exenterantes, diuitias tamquam optima vitæ subsidia conquirunt? *Ova aspidum rupe-runt*, ait Propheta, *& telas araneæ texuerunt.* Sed frustrà: *telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.* *Bona fortunæ insania.* Olaus l. 3. cap. 15. Lampridius in Heliogabalo. Isaiæ 59, 5.

Postremò & illud ad cumulum vanitatis accedere dixi, quòd res humanæ numquam in eodem statu permanent, sed fragiles sunt, fluxæ, caducæ, ac perpetuis mutationibus obnoxiæ, non secùs ac ludicra quædam temporis & fortunæ pila; ac instar scenicæ cuiusdam repræsentationis, in quâ reductâ cortinâ, totus ille theatralis apparatus euanescit, & spectatores repentè destituit, aut certè spectatores ipsi è medio fabulæ, mortis interuentu subducuntur. Denique nil nisi pompa sunt, illi non absimilis, quam olim in apparatu Circensi Romæ vidit Attalus Philosophus; cuius opportunam cohortationem coronidis loco subnectam. Vidistíne, inquit, quàm intra paucas horas ille ordo, quam- *Res humanæ fluxæ & instabiles.* Seneca Epist. 110.

quamuis lentus dispositusque, transierit? Hoccine totam vitam nostram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Hoc itaque mihi ipsi dico, quoties tale aliquid perstrinxit oculos, quoties occurrit domus splendida, cohors culta seruorum, lectica formosis imposita calonibus: Quid miraris? quid stupes? Pompa est. Ostenduntur res istæ, non possidentur: & dum placent, transeunt. Latiùs hoc docet Ecclesiastes exemplo rerum naturalium, dum subiungit:

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERS. 4. Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.

5. Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens

6. gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.

7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterùm fluant.

METRICA PARAPHRASIS.

EHEV! *fugaces orbita temporum*
Propellit vmbras, omnia pertinax
Vastare; nec vernans iuuentus
Pegaseos remoratur annos.

Ætate

Ætate fessum trudit auum nepos,
Vitæque nato lampada dat parens:
Mortale nil longum, nec implet
Vlla palingenesis ruinam:
Sed damna fati posteritas nouo
Solatur ortu, quæ tamen occidet,
Rursum secuturâ priorem
Progenie reparante turbam.
Hanc terra scenam, hæc pegmata sustinet,
Nutu Tonantis pendula in æthere;
Quam perpetim fixam polari
Mundi Opifex stabiliuit axe.
Hoc in theatro fabula luditur
Soccis, cothurnis, syrmate, penulâ.
Videtis? an me cusa portâ
Somnia ludificant eburnâ?
Et verò vita hæc quid nisi somnium?
Sed & videtis. Syrmate turgidos
Mentitur hic fastus Atridæ,
Ille Neoptolemi furores.
Hunc densa stipat turba clientium;
Hic sortis audit filius aureæ:
Hic Martio cultu superbus
Fulmineos meditatur enses:
Hic orbis exul, pauperiem fugit,
Extrema terræ brachia porrigi
Quà spernit interfusa Tethys:
Pauperis hic tugurI colonus
Gaudet paterno findere sarculo
Frustilla campi: hic sub Ioue frigido
Pernoxque perdiusque, anhelis
Terret apros nemorum molossis:

Hæc cor nouercæ Colchidos exhibet,
Hæc entheatos Baſſaridum choros:
Hæc pingit Inoos dolores,
Hæc Hecalen tenui ſalino.
Sed luctuosâ dura cataſtrophe
Cùm fata ſcenam & pegmata ſubruunt,
Vaneſcit in ventos imago,
Vt volucres equitat per auras
Dux æſtuoſi turbidus Adriæ.
Nil hîc perennat: vertitur omnium
Fatalis vrna; equis rotiſque
Proterimur fugientis æui.
Vides, vt vndis auricomum iubar
Surgens Eois, vix medium æthera
Fulgore inauret, cùm repentè
Vergit ad Heſperium cubile?
Rurſusque lampas penſilis indidem
Exorſa lucem, per Medium diem
Gyrans ad Arctoum Booten,
Præripitur gremio Amphitrites?
Sic & volucres Æolidæ explicant
Pennas in orbem, iam freta turbida
Terrasque luſtrali expiantes
Flamine, iam nebularum inane.
Nunc fetus imbres parturit Africus,
Nunc blanda adulant flabra Fauonij,
Nunc ſtringit Arctos, nunc tumentes
Aſperat Euronotus procellas.
Sic rauca circùm flamina mugiunt
Depræliantum, ſic obeunt vices:
Numquam orbe tutos æſtuoſo
Alcyones poſuêre nidos.

Sic perpeti curſu vaga flumina
Ditant auarum gurgitibus mare:
Nec fœnore vndarum tumeſcens
Damnat Thetis meditatur aruis.
Quamuis Hydaſpes diuite fabulâ
Exaggerato confluat alueo,
Nilusque ſepteno refuſus
Gurgite congeminet tributum,
Auroque prægnans Heſperio Tagus,
Tigriſque adauctus mille loquacibus
Per culta Medorum fluentis,
Et Rhodani latices bicornis.
Sed quid recurſant ad Thetidos ſinus?
Matrem reuiſunt, cuius ab vbere
Per abditos terræ receſſus
Ad liquidas remeent ſcatebras,
Rurſusque venis irriguis fluant.
O nexa rebus lubrica vanitas!
O temporum fuga! ô polorum
Præcipites nimiùm rotatus!
En hora tantillæ impatiens moræ,
Quas texo laudes, ipſa ſibi inuidet;
Et ſyllabis carptim reuulſis
Deſtituit fugitiua vocem.
Si quidquid orbe eſt, præcipitat fugam,
Si quidquid ortum eſt, vergit ad Heſperum;
I conſcium æuiternitatis
Crede bonis animum caducis.

PROSA EXEGESIS.

EST hoc inprimis sapienter à supremo rerum omnium Moderatore constitutum, vt oculis auribusque nostris obseruentur assiduè ortus obitusque rerum naturalium, & constans huius mundi sublunaris inconstantia: ne facilè nobis imponant blandientis fortunæ ludibria, & pro auro scoriam, pro frumento paleam, pro veris solidisque bonis fumos nobis atque vmbras obtrudant. Nam fortunæ quidem fucos, & eorum bonorum vanitatem explodere, quæ à solâ mortalium opinione imaginarium quoddam esse fortiuntur, negotij nihil erit, vbi constiterit, ea quoque vanitati subiecta esse, sine quibus hoc vniuersum non subsistit.

Fortunæ bona futilia.

Ausus est olim pronuntiare Seneca: Nihil mutationis periculo exceptum: non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus. Quamuis enim Deo agente ducatur, non semper tenebit hunc ordinem; sed illum ex hoc cursu dies aliquis deiiciet: ille saltem, quo *stellæ de cælo cadent, & virtutes cælorum commouebuntur, & elementa* ignis *calore soluentur.* Nec absimile vero est, illum huc respexisse, cùm Stoici etiam futuram ἐκπύρωσιν agnoscant.

Seneca Epist. 71. *Mundus ipse mutationi subiectus.*

Matth. 24. 29. 2. Pet. 3, 10.

Interim ne procul diffita non satis oculos nostros auresque feriant, præsentia potiùs contemplemur. Nihil hîc videmus opere aut manu factum, quod non aliquando conficiat & consumat vetustas: nihil ab Auctore naturæ conditum, quod non instar fluminis prono alueo, ac perpeti cursu ad interitum tendat. Est enim æterna lex à principio dicta rebus vniuersis, nasci, denasci; oriri, aboriri: nec quidquam stabile aut fir-

Naturalium rerum mutationes.

I. Lipsius lib. 1. de Constant. c. 16.

firmum arbiter ille rerum esse voluit, præter seipsum. Solem hunc vides? perpetuo suo motu varias anni tempestates, accessuq; ac recessu dierum noctiumque spatia dispensat. Lunam intueris? non idem semper illi vultus; vt labores eius taceam, & luminis quandoque defectum. Quid nunc aëris intemperiem, ventorumque vicissitudines commemorem? Quid æstus Oceani, & arcanam illam naturæ vim, quæ, vt venti desint ac tempestates, brutum hoc elementum per alternos accessus & recessus exagitat? Quid nouam semper terræ faciem per funerum ac natalium vicissitudinem? nec iam singulos tantùm homines, sed orbes nouos, & orbi nostro prorsus obuersos? Quid nostri etiam orbis perpetuas mutationes, Romanorum colonias, vagas barbararum gentium discursationes, & publica, vt sic dicam, exilia?

Populorum mutationes.

Scythia olim, & totus ille ferarum gentium tractus, ciuitates Achaiæ Ponticis impositas littoribus ostentauit. Regnum Neapolitanum, totumque illud Italiæ latus quod Infero mari alluitur, maior olim Græcia fuit. Tyrij Africam incoluerunt: Hispanias olim Pœni, nunc Gothi. Græci in Galliam se immiserunt, in Græciam Galli. Italiam Longobardi tenuerunt, Angliam Saxones. Sic aliis aliâ ex causâ suis sedibus expulsis, vix vlla terra est, quam indigenæ colant: permixta & insititia sunt omnia.

Regnorum vrbiumq; interitus.

Sed exigua sit hæc rerum commutatio, quam Gentium leuitas, patriæque fastidium inuexerunt: maior extitit ab vrbium ac Regnorum interitu. Florentissima quondam fuit Monarchia Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum: sed quàm leui momento versa est & euersa tot inclytorum Imperiorum fortuna? Aut

Iustinus l. 11. c. 3. Dan. 5. 25. enim vnius hominis effeminati luxus nouandarum rerum ansam præbuit, aut vnius noctis intempestiua

Iustinus l. 11 c. 14. & lib. 12. c. 13. comessatio Regni sedem euertit, aut vnius prælij aduersa fortuna cum Regno diadema transtulit, aut vnius iuuenis præmatura mors vix coalescentis Imperij membra distraxit. Quid vrbium aut vastitatem aut

I. Lipsius lib. 1. de Constant. c. 16. interitum commemorem? Vnus sub Tiberio terræmotus duodecim celebres Asiæ vrbes euertit: totidem alius oppida Campaniæ sub Constantino: & vnum aliquod Attilæ bellum plus quàm centena. Veteres Ægypti Thebas vix fama retinet: Hecatompolis Creta nunc fabulæ quàm historiæ propior. Inclytum fuit olim Salomonici Regni caput Ierosolyma: nunc veteris opulentiæ nullum vestigium. Iudæi cunctis longè lateque formidabiles; nunc extorres, vagi, fugitiui, mediastina orbis mancipia. Æmulæ quondam Romani Imperij ciuitates, Carthago & Numantia, nunc mapalia, fauillæ, ac rudera. Et campus, vbi Troia fuit. Illa ipsa quondam

Mart. l. 12. Ep. 8. *Terrarum dea Gentiumque*, ROMA,

frustrà occultato genio æterna vrbs, toties in suis ipsius ruderibus sepulta, ambitiosè quæritur, nec inuenitur in suo solo. Et vos meæ Brugæ, Athenæ quondam Belgicæ, nobilitatis delicium, florentis Europæ notissimum emporium: quæ apud exteras nationes Flandrorum nomen, velut commune Belgarum, celebrastis, quod tandem exhibebitis antiquæ dignitatis vestigium? Vix vmbra tanti nominis est reliqua: rem ipsam Principum furor Antuerpiam, orbis ocellum, Belgij gemmam, transtulit, quæ tamen ipsa vix pristinum iam splendorem tuetur. O mira, nec satis vnquam comprehensa necessitatis lex! Abeunt omnia in

hanc

hanc naſcendi pereundiq́ue viciſſitudinem: & longæuum aliquid in hac eſſe machinâ poteſt, at nihil æternum.

Ex hac rerum ſublunarium fluxâ fragiliq́ue naturâ varia hoc toto ferè Capite conſectaria colligit Eccleſiaſtes. Ac primùm illud, quod vnico verbo paulò antè delibauimus; cùm hæc omnia fluxa ſint & caduca, Verſ. 3. nullum in hac vitâ laboris ſui præmium homines referre, præter vanitatem, & inane nihil. Deinde, cùm Verſ. 8. nihil hîc ſtabile conſiſtat, ſed omnia perpetuo motu fluant ac diffluant, non ſatis eorum naturam oculis auribuſq́ue notari poſſe; proindeq́ue nec ſolidam haberi ſcientiam. Tértiò, cùm omnia recurrant in hunc naſcendi ac denaſcendi fatalem gyrum, nihil eſſe ſub Verſ. 9. 10. Sole nouum, ſed quæ præteritis ſæculis dilapſa ſunt, poſtliminiò reſtaurari. Denique, cùm hîc perpetuo Verſ. 11. fluxu cuncta dilabantur, non exſtare apud poſteros eorum memoriam quæ diffluxerunt.

Sed nunc primo conſectario pauliſper inſiſtamus; & quam in rebus naturalibus fluxam fragilemq́ue naturam deprehendimus, eamdem rebus humanis fortunæq́ue donis ineſſe demonſtremus. Docet hoc inprimis eleganti mimo Laberius: *Fortuna vitrea eſt, quæ dum ſplendet, frangitur.* Splendida ſunt eius dona, honores ſcilicet ac diuitiæ: quis neget? ſed quid in his non vitreum? quid non fragile & caducum? Demetrium Phalereum cogitatione pauliſper intuemini, optimis olim legibus atque inſtitutis Republicâ Athenienſium ſtabilitâ, ad ſummum dignitatis apicem euectum, eaq́ue causâ trecentis æneis ſtatuis totâ Atticâ erectis cohoneſtatum: tantum tamen valuit quorumdam inuidia, vt in Ægyptum ſpontaneus exul profugerit, eiuſ-

Fortunæ dona fluxa & caduca.

Honores fragiles. Strabo li. 9.

eiusque statuæ fuerint in matulas conflatæ. Cn. Pompeius supra rerum humanarum fastigium olim euectus, montes aureos in triumpho Romanis ostenderat: idem ille tamen glebam terræ in alieno littore desiderauit, postquam de eius capite pupillus & spado tulêre sententiam. Et quoniam è Regno in seruitutem cadere, ipsâ morte censetur acerbius: ne hoc quidem facinoribus suis deesse voluit fortuna, cùm Hecubam Vlyssis seruituti subiecit, Crœsum Cyro, Darij matrem Alexandro mancipauit.

Plinius lib. 37. cap. 11.

Diuitiæ fluxæ.

Nec meliùs cum iis actum est, qui velut in theatro missilia fortunæ, diuitias inquam, auido sinu excepe-

Florus li. 3. cap. 11.

runt. Quis ignorat, aurum M. Crassi capiti per ludi-

Baronius to. 7. a. 561.

brium infusum? Quis non obstupescit, Belizarium post opes Regibus inuidendas luminibus orbatum, & ad mendicabula redactum, stipem in compitis à prætereuntibus corrogasse? Nec est tamen, cur de iniuriâ acceptâ cum fortunâ quisquam expostulet, quæ suo

Boët. lib. 2. de Consol. Prosâ 2.

quasi iure sic apud Boëtium se tuetur: Quid tu, ô homo, ream me quotidianis agis querelis? quam tibi fecimus iniuriam? Hæc nostra vis est: hunc quotidie ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus: infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende, si placet: sed eâ lege, vti, cùm ludieri mei ratio poscet, descendere iniuriam ne putes.

Rerum humanarum vanitas contemnenda.

Quæ cùm ita sint, nihil est mortali conducibilius, quàm vt hęc mortalia velut vmbras contempletur, honores velut fumi globum existimet; qui quò altiùs extollitur, latiusque intumescens diffunditur, eò faciliùs in ventos euanescit: diuitias instar iridis esse reputet, quæ vano splendore perniciem suam occultent, & spectantium oculos, mox lacrymas daturæ, fallant. Denique,

nique, vitam hominis nihil nisi vanam in theatro fabulam, scenæque imaginem esse iudicet: quos hîc diuites, potentes, in dignitate constitutos viderit, personatos histriones arbitretur, eorumque sortem nihil nisi personatam felicitatem. Denique, quemadmodum Augustus moriens, barbâ decenter compositâ, & censore speculo castigatâ, amicos interrogauit, ecquid vitæ mimum aptè repræsentasset; sic homo nihil maiori curâ prouidebit, quàm vt impositam à Deo fortunaque nascendi personam decenter sustineat, atque ita in rebus humanis versetur, tamquam in theatro fictam fabulam aut spectet, aut repræsentet, quæ, adductâ cortinâ, ex oculis animisque mox euanescat. Nunc ad alterum Ecclesiastæ consectarium gradum faciamus.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 8. Cunctæ res difficiles[a]: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu[b], nec auris auditu impletur.

[a] *id est*, morosæ, non facientes sui copiam. [b] Non subsistunt donec oculis vel auribus fiat satis. *Ita Isidorus & Campensis.*

METRICA PARAPHRASIS.

Non sic nubiuagi fulminis armiger
Alarum nebulas remigio secat
Dum vestigia cursus
Confundit liquido æthere:
Non sic Pegaseo nuntius impete
Transmittit spatij concitus æquora:
Non sic igne vapores
Vanescunt Hyperionis:

Non ſic prata nouis picta Fauoniis
Æſtiui ſpoliat ſolſtitij iubar,
Cùm Dictynna citatis
Noctem præcipitat rotis:
Vtres, quas Opifex condidit ætheris
Noſci difficiles, agglomerant fugam,
Furtiueque fruentum
Raris vſibus inuident:
Iuratæque ſui non dare copiam,
Fallunt peruigilis lumina Lyncei;
Naturamque fugacem
Nec vis percipit ingeni,
Nec ſuadela poteſt eloquio exequi.
Quid ſolertem aciem, quid vaga lumina
Spargens orbe patenti,
Quæris pabula ſenſibus?
Quæ tu delicias luminibus putas,
Viſus deſtituent vana famelicos,
Vt conſpecta Creüſæ
Iuxta Dardanios rogos
Vmbra Anchiſiaden luſit amabilis:
Aut vt bulla tubi turgida flamine,
Dum palatia viſu
Aut Peſtana roſaria
Obiectat cupido, aut aſtra adamantina,
Formoſum referens in ſpeculo typum,
Leni ſaucia flatu
Fruſtrata intuitum perit.
Aut quorſum bibulis pendulus auribus
Irritas Sophiæ tabificam ſitim?
Non ſi Neſtoris annis
Docto ex ore pependeris,

Doctrinæ pelagus te satiet, neque
Sedet multiplici fonte cupidinem. Heu
Quantum à limite vitæ
Distat meta scientiæ!

PROSA EXEGESIS.

EAMDEM veterum fuisse querelam, patet ex hoc celeberrimo Hippocratis Aphorismo, quo nobilissima illa Medicinæ præcepta exorditur: Vita breuis, ars longa, occasio præceps, experientia periculosa, iudicium difficile. Et mirum sanè, ni Momus aliquis hîc vltra querimoniæ terminos progressus, etiam conuitium Auctori naturæ fecerit. Certè parum abfuit, quin faceret Theophrastus, qui, teste Laërtio, grauiter de naturâ questus est, quòd coruis, ac ceruis, aliisque nonnullis animalibus, quæ ad pastum ac ventrem prona finxit, tam diuturnam ætatem dederit (nam coruis supra centum annos tribuit Albertus Magnus) homini verò, ad intelligendum & agendum nato, vitam dederit tam angustis limitibus circumscriptam. Et verò cùm, teste Philosopho, scientiæ rerum sint æternæ, tametsi homo tempus suum auarissimè dispensset, & vsque vltimos ætatis humanæ terminos procedat, tamen ad immortalium cognitionem nimis mortalis est. Emicat ille quidem subinde, maior omni contagione terrenâ, & ad rerum diuinarum humanarumque cognitionem degustandam, supra carnis concretionem sese erigit; sed aut propriâ mole confestim deprimitur, aut certè propter rerum naturalium obscuritatem, inconstantiam, motumque perpetuum ac fluxum, optato animi pabulo frustratur.

Hippocr. lib. 1. Aphor. 1. *Vita animis breuis ad cognitionē rerum naturalium.*

Laërtius. Cicero Tuscul.

Albertus Magnus in lib. 9. Aristot. hist. c. 20.

Quod quidem minus habet admirationis in rebus diui- *Diuina obscura sunt.*

diuinis, quas ſuſpicere nos potiùs Numen voluit, & religioſo ſilentio venerari, quàm curiosâ indagatione perſcrutari: eoque conſilio procul eas ab adſpectu noſtro ſubmouit, & quaſi per nebulam oſtendit. Magnis enim maior ex obſcuro eſt reuerentia. Sed in rerum creatarum diſquiſitione longè alia eſt ratio. Deus enim hominem ſpectatorem operum ſuorum in hunc mundum induxit, ait Epictetus, nec ſpectatorem tantùm, ſed enarratorem & præconem. Curioſum enim ingenium nobis natura dedit, inquit Seneca; & artis ſibi ac pulchritudinis ſuæ conſcia, ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit, perditura hunc ſui fructum, ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta, tam nitida, & non vno genere formoſa, ſolitudini oſtenderet.

Epictetus in Diſſertation. *Homo natus ad contemplandas res naturales.* Seneca de Otio ſapientis, c. 32.

Quæ cùm ita ſint, quis cogitatione aſſequi poterit, cur ſapientiſſimus ille rerum omnium moderator Deus, qui hominem in hoc vniuerſo res à ſe conditas voluit contemplari, eaſdem ita difficiles, id eſt morоſas, procrearit, vt vix, ac ne vix quidem, curioſis oculis auribuſque ſeſe communicent? Vſu iam, vel faſtu potiùs, in mores introductum eſt, vt delicatulæ illæ Magnatum vxores vix faciant ſui videndi copiam: nam aut palatio ſe continent, aut perſonatæ tectæque prodeunt in publicum. Eumdem in Sardanapalo ſeu faſtum ſeu luxum Proceribus diſplicuiſſe, teſtatur Athenæus: & Sinarum Regem ſubditorum neminem, præter eunuchos aliquot palatinos, ad conſpectum admittere, tradunt eius hiſtoriæ Scriptores. Non abſimilem res creatas ludum ludere, nobiſque illudere, quis non animaduertat? Quædam enim ita reconditæ ſunt, vt vix vnquam ſub adſpectum cadant: quædam verò ſic obiter & curſim exhibentur, vt per theatrum

Res naturales obſcuræ.

Athenæus lib. 12.

Nicolaus Trigault. lib. 4. Expedit. ad Sin. c. 12.

trum huius vniuersitatis rapi, non cupidis spectatoribus ostendi videantur.

Ac inprimis, quàm multa oculis nostris abscondit natura, aut intra terræ viscera depressa, aut nubibus ipsis ac cælorum orbibus inserta, quæ aut tempus eruderauit, aut collectis, vitri subsidio, speciebus, vt vocant, explorata sunt? Vidimus his annis pulcherrima quædam effossa mineralia, quæ ad nullum metalli genus pertinere, periti censebant. Et quis hactenus Astrologorum Ioui satellites suos inter Planetas assignauit? Quis Venerem instar Lunæ pulcherrimis cornibus crescentem ac decrescentem obseruasset, nisi hoc sæculo nostro tubus opticus emersisset? Non ignoro, Varronem apud D. Augustinum iam olim asserüisse, stellam Veneris, quam Plautus Vesperuginem, Homerus Hesperon appellat, colorem mutasse, magnitudinem, figuram, cursum: sed ille nonnulla per caliginem coniecturis assecutus, inuenit potiùs confusum quiddam, quod tamquam portentum sibi incognitum suspiceret, quàm quod ex propriâ naturæ ratione stabiliret. Nos autem, pauculis hisce è longâ sæculorum nocte eruderatis, cùm de reliquis, quæ latent, coniecturam facimus, meritò possumus exclamare: Quantum est, quod ignoramus!

Noua inuenta.

Augustinus lib. 21. de Ciuit. c. 8.

Alterum genus illorum est, quæ cursim atque obiter ostenduntur: de quibus meritò pronuntiat Ecclesiastes: *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Quid ita verò? quia nimirum quidquid in hoc vniuerso sub adspectum cadit, aut inquieto motu in orbem rapitur, aut perpetuo fluxu dilabitur, aut ortus obitusque vicissitudine fluctuat, aut denique (quod homini tribuitur à Prophetâ) *quasi flos egreditur, &* Iob 14.

Res naturales non præbent sui copiam.

conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet. Quæcumque hîc videmus ac tangimus, in illis Plato non numerat quæ eſſe propriè putat. Fluunt enim, atque aſſiduâ diminutione atque adiectione ſunt. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more: quidquid vides, currit cum tempore. Ego ipſe, dum loquor iſta mutari, mutatus ſum. Hoc eſt quod ait Heraclitus, In idem flumen bis non deſcendimus. Manet idem fluminis nomen, ſed aqua tranſmiſſa eſt. Hoc in amne manifeſtius eſt, quàm ceteris in rebus: ſed illas quoque non minùs velox curſus præteruehit, vt numquam aut oculus aut intellectus iis ſolidè paſcatur, ſed raptim tantùm præteruolans hinc inde aliquid delibet, ne cognoſcendi occaſio (quam meritò præcipitem dixit Hippocrates) de manibus elabatur. Hirundines idcircò perniciſſimo eſſe volatu tradit Plinius, quia cùm volando paſcantur, & quæ iis in eſcam data ſunt, muſcæ ſcilicet culiceſque, ſimiliter per aëra volent: facilè hæc irrequieto motu ſuo venantibus elaberentur, niſi maiori hirundinum pernicitate vincerentur. Intellectus verò noſter, cùm tantâ pernicitate naturas aſſequi non poſſit, lubricâ ſuâ inconſtantiâ, continuoque motu, ſe priùs ſubducunt, quàm iiſdem oculus, quantum ſatis eſt, animuſque paſcatur. Deus bone! quanta hinc vanitas, non tantùm earum rerum quæ humanæ cognitioni ſubſternuntur, ſed ipſius etiam hominis, eluceſcit? Qui licet à cedro Libani diſputauerit vſque ad hyſſopum quæ naſcitur de pariete, &, tamquam exploratâ rerum naturâ, ſeipſum magnificè circumſpexerit; vix eſt tamen, vt ſolidam alicuius rei ſcientiam profiteri poſſit; ſed, ſi quid eius labori induſtriæque tribuendum eſt, doctam potiùs

Seneca Epiſt. 58.

Plinius lib. 10. c. 24. & 25.

tiùs ignorantiam, quàm veri nominis scientiam, illi concedam.

Interim non possum, quin ex hac non minùs rerum humanarum, quàm scientiarum vanitate, fructum aliquem decerpam, quem è simili tractatione percepit Seneca, qui sic ad Lucilium, Quæris, inquit, mi Lucili, quid de istis capiam quæ modò tractauimus, remotis à reformatione morum? Quid ex istis traham, quod cupiditates meas comprimat? Vel hoc ipsum, quòd omnia ista, quæ sensibus seruiunt, quæ nos accendunt & irritant, negat Plato ex iis esse quæ verè sint. Igitur ista imaginaria sunt, & ad tempus faciem aliquam ferunt: nihil horum stabile nec solidum est; & nos tamen cupimus, tamquam aut semper futura, aut semper habituri. Mittamus animum ad ea quæ æterna sunt, illa despicatui habentes quæ fluxa & caduca sunt, quæque, vt mox docet Ecclesiastes, nihil nouum, nihil admiratione, nihil pretio dignum continent.

Res humanæ vt fluxæ contemnendæ.

Seneca Epist. 58.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 9. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.

10. Nihil sub Sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

NEQVIDQVAM *ſtimulis agit*
Ægreſcentem animum dira ſcientiæ
Prurigo, atque inhians nouis
Ieiunæ eſuries vana cupidinis.
Quiſquámne hæc reputet noua,
Quæ diu præteritis cognita ſæculis?
Miraris triſidâ face
Fumantes ſcopulos Acroceraunia,
Ætnæisque vaporibus
Fuſcari igniferi lampadas ætheris?
Iam diu ſulphureo patres
In buſto Sodomæ conſimiles rogos
Spectarunt. Thetidem ſtupes
Spumoſi immemorem littoris, obſtreperæ
Vndæ ſeditionibus
Affectare patenti imperium ſolo?
Iam dudum imperioſiùs
Vndantis pelagi bruta volumina
Noëam nemorum iugis
Inuexêre ratem; cùm Libanitidum
Proteus æquoreum pecus
Cedrorum dedit intonſa cacumina
Depaſci, & maris incola
Nidis accipitres expulit alcyon.
An fors inſolitum putas
Suffoſsis grauidæ viſceribus Rheæ
Mundi arcana reconditi
Pænè è tartareis ſedibus erui?
Auri ſacra fames diu
Expulſa exilio ſidereis plagis,

Per

Per confinia Tartari
Reptauit, rutili prædæ inhians luti.
An fors æmula montium
Luxu regifico surgere culmina, &
Moles molibus additas
Miraris liquidis nubibus obuias?
Iamdudum Iapeti genus
Affectans rutilis sideribus viam,
Famoso æquore Sennaar
Insanis speculam molibus extulit,
Transscendens Hyadum lares,
Arctoæque niuis, raucaque fulminum
Regna. An forsitan asseris
Mentes ingenuis artibus inclytas
Accendisse scientiæ
Non comperta priùs lumina? Nil agis;
Cùm nostri generis sator
Diæ plasma manus viribus ingeni
Diuinæ penetralia
Lustrarit Sophiæ, multaque viderit
Inconcessa nepotibus.
Nil sub Sole nouum: sed velut æteris
Seruant excubiæ vices,
Alternisque perit sideribus decor;
Et nunc Sol roseum caput
Immergit Pelago, Leucothoës nouis
Nunc cunabula deserit
Crisatus radiis, nec tamen est nouus;
Sic terræ faciem nouat,
Alternatque vices orbita temporum:
Et quæ bruma peremerat,
Vitali reparat sorte Fauonius;

Sic quod corripuit prior
Ætas, & tenebris texit inertibus,
Ætas ſera nepotibus
Spectandum referet, ne tibi ſit recens,
Quod lux craſtina parturit.
An ſcire eſt animus poſtuma ſæcula
Quam rerum ſegetem dabunt?
Quam dilapſa retrò meſſuerit dies.

PROSA EXEGESIS.

TERTIVM hoc eſt Eccleſiaſtæ conſectarium, quod ex motu rerum naturalium, ortuſque & occaſus viciſſitudine colligit, *Nihil ſub Sole nouum.* Præſentiſſimum antidotum non tantùm aduerſus curioſam ſciendi pruriginem, ſed etiam aduerſus immodicos æſtus cupiditatum. Si enim nihil noui ſcientia labore ſuo conſequitur, meritò vanitatis ac dementiæ redarguuntur ij, qui corpoream hanc mundi molem curiosè perſcrutantes, tantâ ſuperbiâ efferuntur, ait Auguſtinus, vt inter aſtra, de quibus diſputant, cum Lucifero ſolium collocare videantur. Fruſtrà etiam ſunt, qui noua ſemper cupiditatibus ſuis fomenta conquirunt, ſi nihil admodum reperire eſt in hoc vniuerſo, præter ea, quæ antiquos voluptatis aſſeclas famelicos, ac beatitatis expertes reliquerunt.

Nihil in orbe nouum.

Curioſitas vana.
Auguſtinus de Moribus Eccleſiæ, cap. 21.

Sed priuſquam vero ſenſu verba Sapientis enucleem, ſequeſtrandus eſt mihi à cæcâ Philoſophorum quorumdam Epicureorum, Pythagoricorum, maximeque Stoicorum turbâ. Illi enim vt in poſterum eadem recurſura demonſtrarent, quæ præteritis ſæculis dilapſa ſunt, neſcio quæ non ſomnia venditarunt, neſcio quam non palingeneſiam, metempſychoſin, ecpyroſin,

Rerum naturalium reuolutio.

sin, cataclysmum, rerumque omnium reuolutionem finxerunt. Et hæc omnia magno Platonis anno futura pronuntiarunt: sed huic anno vix certus ab illis annus assignatur. Iulius Firmicus hanc rerum omnium redintegrationem ac reuolutionem post trecenta millia annorum ait recurrere. Macrobius hunc annum Mundanum (sic enim appellat) quindecim millibus annorum definit: Orpheus centum viginti millibus: Cassander tricies sexies centenis millibus. Salui sunt: nihil timendum est, ne quis superstes eos mendacij redarguat.

Iulius Firmicus l. 3.

Lipsius l. 2. Physiolog. Stoicæ c. 22.

Redintegrationem ita fieri volunt Stoici. Cùm tempus aduenerit, ait Seneca, quo renouaturus se mundus exstinguat, sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materiâ, vno igne, quidquid nunc ex dispositio lucet, ardebit. Et quidem repentino impetu. Nam, vt alibi scribit, natura ad originem rerum parcè viribus suis vtitur, dispensatque se incrementis fallentibus: subitò ad ruinam, & toto impetu venit. Quàm longo tempore opus est, vt conceptus ad puerperium perducatur infans? quantis laboribus educatur & adolescit? at quàm nullo negotio soluitur? Vrbes constituit ætas, hora subuertit. Momento fit cinis, diu silua.

Mundi exustio.

Seneca Consol. ad Marciam.

Seneca l. 3. Natural. Quæst. c. 27.

Diu nata momento pereunt.

Præmissâ igitur hac * ἐκπυρώσει, sequitur * κατακλυσμός. Nullâ enim re aliâ exustæ res poterant renasci, ait Firmicus, & ad pristinam faciem formamque reuocari, nisi admixtio esset, & concretus puluis fauillarum, omnium genitalium seminum conciperet fecunditatem.

* exustione, *diluuium.

Mundi diluuium.

Hinc deinceps palingenesia, orbisque non tam nouus, quàm postliminio idem renascens. Non enim semper ea licentia erit vndis, ait Seneca, sed peracto exitio generis humani, extinctisque pariter feris, in quarum homines ingenia transierant, iterùm aquas

Mundi regeneratio.

Seneca l. 3. Quæst. c. 29.

terra forbebit, & reiectus è noſtris ſedibus, in ſua ſecreta pelletur Oceanus : antiquus ordo reuocabitur : omne animal ex integro generabitur : dabiturque terris homo inſcius ſcelerum, & melioribus auſpiciis natus.

Imago futurorum ſunt præterita.

Sed faceſſant hæc bella commenta, & gratuita otioſorum ſomnia. Non ea mens eſt Eccleſiaſtæ, cùm dicit, *Quid eſt quod fuit ? ipſum quod futurum eſt* ; ſed imaginem ſpeculumque futurorum vult eſſe præterita, & eadem ratione redhibitionem præteritorum velut in imagine vult eſſe futura. Æſtas abit, ſed alter annus illam adducet : hiems cedit, at referent illam ſui menſes. Solem nox obruit, ſed ipſam ſtatim dies abiget. Pars cæli leuatur aſſiduè, pars mergitur : & eadem in terris rerum viciſſitudo, veterumque reſtauratio. Quod vſque adeò verum eſt, vt ne illa quidem, quæ ſingularia, inuſitata, & vſque ad miraculum portentoſa, aut etiam fabuloſa habentur, abſque gemellis in hac rerum circumuolutione reperiantur. Fabulis non pauci adſcribunt Platonicum in Atlantide inſulâ diluuium : vti & alterum Deucalioneum Poëtis tantopere decantatum ; & Mexicanum illud, cuius meminit Lupus Gomara. Sed fidem illis adſtruit nouum illud Mexicanum, quod à triennio contigiſſe accepimus. Et vt de portentoſis flammarum eruptionibus aliquid attingam, vidi ante annos quinque montem Veſuuium, vinetis agriſque aruis amœniſſimum, ſimul ac fecundiſſimum ; vt fabulæ, quàm hiſtoriæ, mihi propius viſum fuerit, quod de flammis eius ac cineribus ſcribunt Strabo & Columella : ſed profectò antiqua prodigia cumulatiſſimè repræſentauit annus præteritus, cùm ingenti boatu tantam cinerum ac fauillarum vim eructauit, vt agris oppidisque ad multa paſſuum millia vaſti-

Seneca Epiſt. 36.

Strabo l. 5. Columella l. 10. c. 14.

vastitatem intulerit; aëremque tam liuidis, igneis, sulphureisque nebulis texit, vt vicina Neapolis Gomorrheum aliquod incendium, aut extremum iudicij diem instare suspicaretur.

Quòd si ea quæ magnitudine eximia sunt, aut genere ipso singularia, non tamen absque exemplo sunt, nec ita inusitata, vt non prioribus sæculis paria contigisse commemorentur; quanta est eorum vanitas, qui si quid studio iuduſtriaque non cuiuis obuium videntur assecuti, cum Archimede discursantes clamant, Εὕρηκα, εὕρηκα; aut ita magnificè de se sentiunt, tamquam si latentem in Democriti puteo veritatem, aut scientiam aliquam terris hactenus inauditam, in lucem protulissent? Quid enim, amabò, dicent, quod non dictum priùs? aut quam nouam terris parturient scientiam, cùm nullum sit in orbe nouum scientię obiectum? An verò maiora sibi ad comparandas scientias naturæ gratiæque præsidia, quàm priscis illis Θεοδιδάκτοις, & qui ab ipsis rerum incunabulis propiùs abfuêre, vindicabunt? præsertim cùm effetis hac ætate corporum sensuumque viribus, animi quoque vigor non parum defloruerit? *Scientia nulla noua est.*

Norint igitur scioli illi, nouitatis admiratores, & ætatis suæ stolidi præcones, non defuisse antiquis sæculis, siue qui Theologiæ, siue qui Philosophiæ aut Astrologiæ laude floruerint. Primus enim, qui ceterorum parens, idem & Magister fuit Adamus, cui etiam geminæ illæ columnæ siderum ac scientiarum notis insculptæ à Iosepho tribuuntur. Hic cùm Mathusalæ conuixerit annis ducentis octoginta duobus, omnem illi diuinam humanamque scientiam tradidit. Rursus Noë cùm Mathusalæ synchronus fuerit annis omnino *Scientiarum origo.* Iosephus l. 1. Antiq. c. 4. Pineda in Salomon. Præu. l. 3. c. 27.

sexcentis, facile huic fuit omnem sapientiæ scientiæque rationem nepoti suo transscribere. Denique cùm Noë Abrahamo conuixerit annis quinquagintasex, restat vt docendi munus ac potestas ab eodem deuoluta sit ad Abrahamum; ex quo deinceps antiquitas ac fama sapientiæ ad Chaldæos Ægyptiosque redundauit. Hos deinde Græcorum primipili magnis itinerum facultatumque dispendijs iuêre consultum. Denique nullum pænè fuit sæculum, cui non sua laus ac splendor sapientiæ debeatur. A quâ dum nouitatis studio, vanæque gloriæ cupiditate, ad auia deuiaque deflectunt nostri temporis hæretici, & vana sui cerebri commenta libentiùs exosculantur, quàm vnanimem Patrum Conciliorumque consensum; Deus bone! quas non pestes orbi Christiano, quæ non opinionum portenta pepererunt?

Nouitas periculosa.

Tolerabilior esset hic nouitatis pruritus in scientiis naturalibus, si intra naturæ terminos subsisteret. Sed videas ita nonnullos Copernici alicuius, aut Galilæi, somnia adorare, vt de veritate sacrarum Litterarum citiùs, quàm de eorum pronuntiatis, ambigant. Quemlibet, inquiunt, sensum habeat illud Ecclesiastæ, *Oritur Sol, & occidit, terra autem in æternum stat*; dummodò verè pronuntiarit Copernicus cælum stare, terram perpetuo motu in orbem rapi. Quâ tandem ratione ducti? Quia nimirum, stante Copernici sententiâ, salua sunt phænomena. Quid tum verò? An minùs erunt salua, si Ecclesiastæ sententiam venerati, cælum mobile, terram stabilem posuerimus? En quàm leui momento à tritâ maiorum semitâ scioli nostri desciscant.

Præsertim in sacris Litteris.

At, inquiunt, pulchrum est, nouis repertis opibus ingenium locupletare, & non instar ouium torrentem

Docto-

Doctorum sequi. Vanissimi homines! dum nouitate maximè delectantur, non aduertunt, se vetera Pythagoræ & Aristarchi dogmata refodere, quæ à melioribus Philosophis iam diu explosa & sepulta, sub terrâ computruerunt: vt omittam, eos grauissimæ Eminentissimorum Cardinalium sub PAVLO V. censuræ subiacere. Adeò semper verum est illud Senecæ:

Consistit nulli via nota magno. Seneca in Medeâ.
Ite quà tutum populo priori.

Longè profectò consultiùs Lacedæmonij Timothei Milesij citharam in pœnam ad sciadem suspenderunt, quòd quatuor fidibus additis, nouam Musicæ formam inuexisset: quod numquam in Republicâ fieri sine legum, & quidem præcipuarum, mutatione, censebat Plato. Nec feliciùs sua nouitas Ptolomæo Lagi successit: qui cùm Ægyptiis camelum Bactrianam, toto corpore nigram, hominemque bicolorem inter spectacula produxisset, totius in se multitudinis indignationem concitauit, non immeritò iudicantis, pulchra atque concinna nouis ac turpibus esse præferenda. Pausanias in Laconicis. Plato Dialog. de Iustitiâ. Caussin. l. 4. Polyhist. Sym. 63. ex Luciano.

Similiter vanitatis arguuntur diuitiarum mancipia, & voluptatis assectæ, qui noua semper cupiditatum fomenta somniant: quasi in permutatione malorum aliqua possit inesse beatitas, quæ vni solidorum bonorum possessioni contingit. Fuerunt olim diuites, sed infelices: voluptatis assectæ, sed infames ac turpes: ambitiosi, sed in summis honoribus vilissima mancipia. An noua plus ad beatitatis summam momenti habitura existimant? aut post tot condimenta fesso voluptatis ore delibata, post tot cupediarum artifices atque opifices, quot olim protulit Imperium Romanum, aliquid in orbe putant esse noui? Quid, obsecro, poterunt com- *Cupiditas frustrà nouum pabulum quærit.*

comminiſci, quod non olim compertum atque exploratum fuerit Apiciis, Æſopis, Claudiis, Vitelliis, Heliogabalis? Quæ fercula menſis apponent, quæ non olim comprehenderit ingens ille ſub Claudio Mineruæ clypeus? Quas vero auaritia nouas explendæ cupiditati vias aperiet, ſi ne ſubterranei quidem ſpecus, & ipſa inferorum ſuburbia (hac ætate non minori periculo, quàm induſtriâ, ſubterraneis cuniculis perluſtrata) priſcis ſæculis intacta atque inexplorata fuerunt? Atqui auctor eſt Aſclepiodorus, demiſſos olim quamplurimos à Philippo Macedone in metallum vetus, olim deſtitutum, vt explorarent, quæ vbertas eius eſſet, quis ſtatus; an aliquid futuris reliquiſſet vetus auaritia: nec reperiſſe illos quidquam, præter ingentia flumina, & conceptus aquarum inertium vaſtos, & ſub æternâ nocte vacua multorum dierum itinera. Vnde perſpicuum eſt, ſæculum noſtrum non vitiis nouis, ſed iam antiquitus traditis laborare; nec ætate noſtrâ primùm auaritiam venas terrarum lapidumque rimatam, in tenebris à naturâ meliùs obſtruſa perſcrutatam: ſed ante Philippum etiam Macedonem Reges fuiſſe, qui pecuniam in altiſſimas vſque latebras ſequerentur; & relicto ſpiritu libero, in illos ſe demitterent ſpecus, in quos nullum poſſet noctium dierumque peruenire diſcrimen. Quòd ſi nihil noui, neque ad explendam ingenij curioſitatem, neque ad extinguendam cupiditatum ſitim, hominum aſſequi poſſit induſtria, nónne vanus eſt omnis noſter in perſcrutando labor, qui dies nocteſque ſollicitos nos habet atque exercitos? Quid eſt igitur, quod labores noſtros tantopere exſtimulat in hac vitâ mortali, & ſpem facit inueniendæ alicuius nouitatis? Alia ſcilicet

Seneca l. 5. Natural. quæſt. capite 14.

licet non minor hac vanitate vanitas, quòd nimirum antiqua illa, quæ refodimus, iam dudum obliuione sepulta sunt; quod est quartum Ecclesiastæ consectarium.

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 11. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ posteà futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in nouissimo.

METRICA PARAPHRASIS.

EXCVTE prisci scrinia sæcli:
Vetera agnosces, quæ noua reris.
Sed nos æui rota præcipitans
Ad Letheos abripit hausfus:
Et velut horâ truditur hora,
Luxque fugacem lucem interimit;
Sic quod lapso tempore gestum est,
Quæ ponè subit, proterit ætas.
Vbi tot clari decora ingenij,
Quot multiplici sapiens partu
Charæ soboli fudit Adamus?
Vbi nunc artes, quas cælesti
Propius fonti diuite venâ
Protulit æuum? Tot vbi heroës
Inclyta nati sidera mundi?
Vbi Noæam mersa tulerunt
Sæcla carinam, vix bis denos
Numero ex omni nouisse datum est.

I nunc, factis porrige famam:
Famam ingenio, famamque opibus,
Famam intrepidâ molire manu:
Cuncta immemori nocte recondet
Sera vetuſtas. Age corticibus
Inſere amores, vt cum tiliis
Nomina creſcant: ſæua ſecuris,
Nemorum celſis inimica comis,
Longum tiliis inuidet æuum.
Pario titulos marmore ſculpas;
Dum tempus edax monumenta terit,
Obſita titulis ſaxa fatiſcunt.
Si mors ſaxis tiliisque venit,
Quis victuris credere chartis
Vitæ ſataget labilis vmbram?
Si poſt cineres fœnora vitæ
Serâ affectas laude nepotum;
Altera tandem te fata manent.
Poſtuma quidquid proferet ætas,
Poſtuma rurſus proruet ætas.

PROSA EXEGESIS.

QVARTVM hoc eſt Eccleſiaſtæ conſectarium, quod ex caducâ rerum creatarum naturâ, fluxuque perpetuo deducit, præteritorum ſcilicet ſæculorum omnium obliuio: quâ luculenter eos vanitatis redarguit, qui ſemimortuam in terris nominis immortalitatem ſectantur. Quæ quidem vanitas pleriſque hominum, ac præſertim optimis quibuſque, & ad virtutem natis, fucum facit, dum ampliſſimum virtutis præmium eſſe gloriam arbitrantur, & mortali immortalitatem non eſſe contemnendam. Quinimò, ſi M. Tullium audi-

Obliuio vanitatẽ gloriæ famæq; oſtendit.

audimus, nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: quâ quidem detractâ, quid est, inquit, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, tamque breui tantis nos laboribus exerceamus? Certè si nihil animus præsentiret in posterum; & si, quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas; nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur. Nunc insidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat; atque admonet non cum vitæ tempore dimittendam esse commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam. Licuit otioso esse Cn. Pompeio, licuit C. Cæsari, licuit aliis infinitis, qui se totos Reipublicæ tradiderunt: sed nimirum inhærebat in mentibus quasi sæculorum quoddam augurium futurorum. Quid Q. Curtium commemorem, qui se pro patriæ incolumitate deuouit? quid morte, quàm triumpho illustriores Decios, animæque magnæ prodigum Paulum? qui numquam tam vile corpus habuissent, nisi gratâ posterorum memoriâ se consolati fuissent.

Omnes laude ducimur. Cic. pro Archiâ Poëtâ.

Prætermitto Noëmi posteros, qui in campo Sennaar non aliâ de causâ insanas illas Babylonicæ turris substructiones moliti sunt, quàm vt nomen suum æternitati consecrarent. Prætermitto ceteros, qui vt se aut scientiarum luce, aut artium inuentis, aut præclaris in Rempublicam meritis, illustriores redderent, vitam infinitis laboribus vigiliisque confecerunt. Quâ potissimùm ratione ducti? Viderunt scilicet, vitæ breuem esse cursum, at gloriæ sempiternum. Felices, si ad veri Dei cultum, solidamque virtutem potiùs, quàm

Genes. 11, 4.

Gloria æterna quærenda.

ad gloriam, virtutis vmbram, sua studia curasque retulissent: aut, si tanta erat dulcedo gloriæ, non eam ambiuissent, quæ, cùm hominum laude nutriatur, toties intermoritur, quoties ipsi præcones morte extinguuntur; sed eam potius, quæ maior est popularis vrnæ suffragiis, quam Deus virtuti destinat, quam ipsa æternitas semper intuebitur. Nam cetera quidem humana sunt, id est, fragilia, caduca, mortalia, & vt in tempore nata, sic temporis legibus obnoxia, & cum tempore interitura. Vt non iam fabula sit illa tantopere à Poëtis decantata Saturni (quem Χρόνον vocant) edacitas, cùm nihil in tempore ortum acceperit, quod non aliquando conficiat atque consumat vetustas. Vbi nunc horti Babylonis pensiles? vbi Creticus labyrinthus? vbi nobilissimum illud Mausolæum, amoris fideique coniugalis monimentum? vbi pyramides Ægyptiæ, quæ supra viginti terræ iugera basi suâ texerunt? vbi Rhodius colossus, ingentes sub pedibus onerarias in portum transmittens? vbi denique hæc ipsa turris Babel, cuius paulò antè meminimus, quam Noëmi posteritas velut æternitati famæque postumæ consecrauit? Nescio an vllum tot miraculorum vestigium sit inuenire, præter hoc vnum, quod in re simili producit Boëtius:

Humana omnia caduca.

Vide Rad. lib. 1. Martialis.

Boëtius libro 2. Consol. Metro 7.

Signat superstes fama tenuis pauculis
Inane nomen litteris.

Atqui hoc ipsum est, inquiunt, in quo plus ad immortalitatem præsidij, quàm in saxis & marmoribus repositum esse confidimus, scripta scilicet doctorum virorum monimenta. Certè hanc contentionem instituere non dubitat Horatius, dum ita sibi applaudit:

Horat. li. 3. Carmin. Odâ 30.

Exegi monimentum ære perennius,

Rega-

Regalíque ſitu pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, aut fuga temporum.

Sed falſum eſt. Quàm multa litterarum monimenta ſic interierunt, vt ne fragmentum quidem vllius ſchedij ſit inuenire? Quis vel epigraphen vnquam vidit illorum librorum, quos Noë, diuinarum humanarumque litterarum profeſſor, teſte Beroſo, partim Armenis, partim Italis (apud quos Iani nomine conſecratus eſt) reliquit? Quis vel corroſum vetuſtate fragmentum inuenit ſapientiæ Themanitarum? Quis vel codicem vnicum in lucem protulit ex illo celeberrimo Dabirenorum archiuo? Quid nobis reſidui fecerunt ſapientes Taneos & Mempheos? quibus in ciuitatibus celeberrimæ Ægyptiorum Academiæ floruerunt, quas ſtudiorum causâ Muſæus, Orpheus, Dædalus, Homerus, Solon, Lycurgus, Thales, Pythagoras, Plato, Democritus frequentarunt.

Litterarum monimenta peritura.

Beroſus lib. 3. Antiquit.

Pineda Salomone præu. lib. 3. c. 27.

Et quis dicat, plus vitæ vigoriſque Græcorum ac Romanorum ſcriptis fore, quàm Chaldæorum? Si nutrices illæ ſcientiarum Athenæ nihil præter vaſtitatem ac ſolitudinem oſtendunt, quid alumnis eius futurum exiſtimamus? Neque verò eſt, quòd Romani Scriptores chartis ſuis æternitatem promittant, quam Imperio dare non potuerunt. Et ſi non paucæ Ciceronis aut Senecæ lucubrationes in ſpongiam temporis incubuerunt, quis reliqua eorumdem opera exempti iuris eſſe pronuntiabit?

Vana eſt igitur illa Scriptorum immortalitas, & inane chartis illitum nomen. Veniet & illis ſua dies, quæ aut extremam Europæ vaſtitatem, aut præteritorum

Litteratorũ immortalitas vana.

sæculorum barbariem, & politioris litteraturæ obliuionem reducet. Et vt melior nobis fortuna, quàm Asiæ Africæque, contingat, hoc saltem eum Senecâ confidenter asseram: Profunda supra nos altitudo temporis veniet: pauca ingenia caput exerent, & in idem quandoque silentium abitura, obliuioni resistent.

Seneca Epist. 21.

Vera gloria quarenda.

Si politiora quoque ingenia in idem silentium tandem abitura sunt, quid reliquum est, quo beatæ æternitatis veræque immortalitatis cupidos consoler, nisi hæc vna cohortatio, vt humanæ laudis fumulos despicatui habentes, iustitiam colant, impietatem detestentur: ac tum demum ex hisce diuinis oraculis summo animi sui solatio discant, quid inter beatam iustorum æternitatem, vanamque nominis immortalitatem intersit. *In memoriâ æternâ erit iustus.* Et: *Nomen impiorum putrescet.*

Psal. 111,7. Prou. 10,7.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 12. Ego Ecclesiastes fui Rex Israël in Ierusalem,

13. & proposui in animo meo quærere & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub Sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in eâ.

14. Vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.

15. Peruersi difficilè corriguntur, [a] & stultorum infinitus est numerus.

[a] *Alij*, quia stultorum infinitus est numerus, *qui validiùs exemplo trahùt, quàm industria peruersa corrigentium.*

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

HVMANAE quicumque cupit molimina vitæ,
Ingenij fetus, desudatosque labores,
Et vigiles curas, & anhelo pectore vota
Discere, & implexum studiis pugnantibus orbem;
His animum dictis, facilesque accommodet aures.
Me quondam Solymæ sceptrum, ac suprema potestas
Impulit Isacidûm, mentem his aduertere curis
(Sic decuit, sic fata homini præscripta tulerunt)
Dum regni è speculâ facies simul vrbis & orbis
Luminibus subiecta stetit: dum nubila circum
Dispulit atra fauor Sophiæ, quæ obducta tuenti
Mortales hebetare solent caligine sensus.
Ecce autem primis obtutibus area Circes,
Et cortis penetrale dedit spectacula. Vidi
Plurima sub dominâ meretrice gementia monstra:
Prædones vlulare lupos, frendere leones,
Cœnosas grunnire sues, queis toxica morum
Horribiles rictus, atque ora dedêre ferarum.
Parte aliâ insudans operi malesana iuuentus
Sisyphio impellunt nisu reuolubile saxum.
Parte aliâ summis fugientia flumina labris,
Tantaleamque sitim, delusaque vota fatigant.
Hîc vbi fumosas nebulas, atque aëra prensat,
Deceptis vacuas satians amplexibus vlnas
Ixion, frustrà Iunonia gaudia sperat.
Hîc vbi festa strepunt, genioque cutique litatur,
Aspidis oua coquunt, ruptoque putamine virus
Sorbile in exitium stupefacta sub ilia condunt.
Quos argutari pedibus, radiumque Mineruæ
Alternare vides, fragile hi subtemen arachnes

Vsce-

Viſceribuſque imis manantia tabida fila
In telam cogunt: nequidquam hoc ſtamine veſtes
Vanaque moliti nudis ſolatia membris.
Hi vacuum per inane plagas & retia tendunt
Solliciti captare Notos: hic ſpumea bulla
Quæ tenui tumet à calamo, palatia Regum
Picta ferens, pueris ſpectacula ludicra præbet.
Pars hominum potior vano deluſa ſopore,
Irrita dum portis Morpheus effundit eburnis
Somnia, ridentis fortunæ dona per vmbras
Aut videt, aut vidiſſe putat; fruſtrataque tendit
Brachia in amplexum, fugitiuaque gaudia captat;
Aut lætas inter menſas ſpumantia potat
Maſſica, deliciisque famem procul arcet opimis.
At ſimul excuſſi pellunt ludibria ſomni,
Mox eadem notat ora fames, aretque ſub imâ
Fauce ſitis, turpique casâ ſtabulatur egeſtas.
Hei mihi! quàm vanis mortales paſcimur vmbris!
Perfida ſors auidos ludit, ſpes lactat inanis,
Conterit oſſa labor, fallit ſopor, improba vota
Deſtituit vita, erectasque cupidine mentes
Quot ſtudia exercent, totidem tormenta fatigant.
Nec potis eſt ſapiens ſalebroſo tramite vitæ
Palantum frænare gradus: ruit incita turba
Præcipiti titubans diſtorta per auia greſſu.
Torrentem fruſtrà caſtiges margine ripæ,
Arctoas tepefacta niues vbi ſoluerit vnda;
Oppoſitas vincit moles, cumuloſque volutat
Vndantes: ita contemptrix dementia fræni
Exemplo ruit in præceps, numerumque ſecutos
Damna iuuant ſtultos, & amat nocitura phreneſis.

PROSA

PROSA EXEGESIS.

OLIM Democritus & Heraclitus, non infimæ notæ Philosophi, res humanas velut è speculâ contemplantes, disparibus eas calculis & affectibus condemnarunt. Quidquid in oculos incurrerat, lacrymis deplorabat Heraclitus; contrà verò, quoties in publicum processerat, omnia cum risu explodebat Democritus: huic omnia, quæ agimus, ineptiæ, illi miseriæ videbantur. Vtramq; in hoc opere personam induisse videtur Ecclesiastes, dum velut è speculâ sedulus explorator mortaliũ studia, resq; omnes caducas ac perituras contemplatus, in aliis vanitatem risu dignam, in aliis afflictionẽ animi lacrymis prosequendâ inesse denuntiat. *Humana cuncta aut risu aut lacrymis digna.*

Hoc nimirum decet Ecclesiasten, quem velut speculatorem domus Israël diuina prouidentia constituit, vt buccinâ det signum, pericula denuntiet, distorta morum corrigat. Sed & Regum hoc inprimis munus ac Maiestatem decet, quos pastores populorum etiam Homerus indigetauit. vt neque otiosum sit, neque mysterio vacet, quòd censorem generis humani acturus, tam operosè noster inculcat Ecclesiastes, *Ego Ecclesiastes fui Rex Israël in Ierusalem.* Reges enim velut speculatores pro salute atque incolumitate subditorum dies noctesque excubant: illis, vt ait Cicero, beata ciuium vita proposita est, vt sit opibus ampla, copiis locuples, virtute instructa. Illorum est, optimis legibus atque institutis ordinare Rempublicam. Denique si Principis munus suis momentis expendimus, ipse spirans quædam lex est, sapientiæ, Politicæ præsertim Ethicæque, sacrarium, imago virtutis, &, vt verbo cuncta complectar, exemplar Dei in terris. *Regum est pro populo excubare.* Ezech. 33, 4. Vide I. Lipsij Dissertat. *Rex est imago Dei in terris.*

Plutarchus lib. ad Principem indoctum.

Talem describit Principem Plutarchus libello ad Principem indoctum. Iustitia, inquit, est legis finis, lex Principis opus, Princeps Dei imago omnia dirigentis. Neque is opus habet Phidiâ qui eum fingat, aut Polycleto, aut Myrone; sed virtutis operâ seipsum quàm simillimum Deo fingit, iucundissimumque spectatu opus, ac diis charissimum.

Regi iustitia sceptrũ esto, non fulmen.

Huic deinceps ius & æquum, rectamque rationem pro sceptro porrigit, non fulmen, non tridentem; quo schemate nonnulli se pingi ac fingi iubentes, stultitiam suam inuidiæ exposuerunt. Succenset enim Deus tonitrua & fulmina radiorumque proiectus imitantibus: qui verò virtutes eius æmulantur, eorum studia promouet, eosque suâ æquitate, iustitiâ, veritate ac mansuetudine impertit; quibus nihil quidquam est in terris aut in cælo diuinius, ac ne ipsa quidem perpetuitas atque æternitas. Non enim ob vitæ tempus beatus est Deus, sed potiùs virtutis principatu.

Salomon rex sapiens & iustus.

Talem fuisse initio regni sui Salomonem, testantur sacræ Litteræ: talem etiam extremâ ætate fuisse, vel ex hoc ipso libro par est credere. De exordio regni Salomonici locuples testis est Regum historia, in quâ sic
3. Reg. 3, 7. orat Salomon: *Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem sum puer paruulus, & ignorans egressum & introitum meum. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bo-*
Sap. 9, 4. *num & malum.* Et: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*, vt mihi instar peritissimi Iurisconsulti perpetua
Vers. 10. sit assessor, *mecumque sit, & mecum laboret, vt sciam, quid acceptum sit apud te.* Ac Deus quidem huic voto cumu-
3. Reg. 3, 11. latissimè respondit, dum ait: *Quia postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, ecce dedi tibi cor sapiens &*

intel-

intelligens, in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit. Hac ille sapientiâ dotatus, simulque muneri suo satisfaciens, *Proposui*, inquit, *in animo meo quærere & inuestigare de omnibus quæ fiunt sub Sole.* Cuiusmodi autem deprehendit hominum studia? quas curas? quas occupationes? *Vidi*, inquit, *cuncta quæ fiunt sub Sole, & ecce vniuersa vanitas*, quam rideat Democritus, *& afflictio spiritus*, quam deploret Heraclitus.

Hominum occupationes vanæ.

Et verò si quis hoc tempore speculam cum Ecclesiaste conscenderit, orbemque vniuersum mentis oculis fuerit peruagatus; quid inter homines homine dignum inueniet? Possidonius inter humanæ vitæ exercitationes quatuor artium genera ponebat: vulgares siue sordidas, ludicras, pueriles, & liberales; solas autem liberales homine dignas, sed & solas ab hominibus neglectas. Seneca magnam vitæ nostræ partem affirmat elabi malè agentibus, dum luxui, ac libidini, ceterisque vitiis indulgemus; maximam nihil agentibus, dum otio ac ignauiâ, maximeque somno consumitur; totam aliud agentibus, dum tempus quod virtuti Deoque debetur (& quod non Deo tempus debetur?) rebus externis vanisque dilapidatur.

Seneca Epist. 1.

Descendamus ad singula. Alium insatiabilis tenet auaritia, alium superuacuis laboribus operosa sedulitas: alius vino madet, alius inertiâ torpet: alium defatigat ex alienis arbitriis suspensa semper ambitio, alium præceps mercandi cupiditas circa omnia maria terrasque spe lucri deducit: quosdam militiæ tempestas absorbet, numquam non aut alienis periculis intentos, aut suis anxios: sunt quos ingratorum cultus & obsequia voluntariâ seruitute consumant. Multos aut affectatio alienæ fortunæ, aut odium suæ detinuit: plerosque

Seneca de Breuit. vitæ, c. 2.

que nihil certi sequentes vaga,& inconstans,& sibi dissplicens leuitas per noua consilia iactauit, adeò verum est illud Poëtæ:

Exigua pars est vitæ, quam nos viuimus.

Ceterùm quidē omne spatium non vita,sed tempus est.

Sed missos faciàmus illos, qui cum aduersâ fortunâ luctari videntur: illos nunc intueamur, quorum felicitas mensura votorum est. Quàm multi sunt, quos acerbiùs diuitiæ,quàm imperiosi cuiuslibet heri dominatus exercet? Quàm multorum eloquentia quotidiano ostentandi ingenij studio sanguinem educit? Quàm multos Imperij fascibus conspicuos intolerabilis fori curiæque seruitus sibi eripuit? Sed nulli turpiùs occupati sunt, quàm effeminati illi, qui vino, voluptatibus ac libidinibus se manciparunt. Nam auari quidem, licet flauo delectentur luto, & ambitiosi, tametsi vanos honoris fumos suspiciant, speciosè tamen insaniunt: & qui bellis delectantur, aut odia exercent iniusta, virilius peccant: at in Venerem ventremque proiectorum inhonesta labes est. An non meritò hæc hominum studia vnâ vanitatis censurâ iugulat Ecclesiastes? Quid enim ex his omnibus est, quod animos nostros, ad æterna natos, solidè possit oblectare? Quid non futile plenumque vanitatis? Quæ verò merces, quæ spes aut res diurnis illis nocturnisque curis, vigiliis, laboribus rependitur? Nónne quot huius mundi rerumque caducarum admiratores, tot Ixiones, tot Sisyphos,tot Tantalos, tot aranearum telæ textores enumeres? Nónne quot voluptatis asseclas,tot Circeæ cortis sues,aspidum oua forbillantes, somnio denique beatos inuenias.

Felicitas mundi vana.

Isa. 59.

Mundi stultitia immedicabilis.

Quæ cùm per se deploranda sunt, tum nihil indignius, quàm quòd tantis malis nulla fieri posse medicina

cina videatur. Omnino tanta malorum est peruicacia, vt quod sibi aliquando contigisse fatetur D. Augustinus, aduersus medicinam insaniant, quâ ad sanam mentem poterant adduci, & instar mortis reformident à fluxu inueteratæ consuetudinis restringi, quâ contabescunt in mortem. Frustrà hîc sana consilia suggeras, frustrà virtutis pulchritudinem commendes, frustrà rationem in consilium aduoces; plus possunt inolita consuetudo, ac turba peccantium. Nimirum non ex legum aut rationis præscripto, sed ad exemplum turbæ præeuntis vita instituitur; neque tam quà sit eundum, quàm quà eatur, attenditur. quasi multitudo veritatis ac sanctitatis norma sit; cùm tamen contrà turba pessimi sit argumentum. Neque enim tam benè agitur cum rerum naturâ, vt pluribus optima probentur. Sed nos receptui canamus, & explosâ inutilium curarum vanitate, cum Ecclesiaste dispiciamus, an plus aliquantò felicitatis ac dignitatis in scientiarum splendore deprehenderit.

Augustinus lib. 8. Confess. cap. 7.

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 16. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientiâ, qui fuerunt ante me in Ierusalem: & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici.

17. Dediq̃ue cor meum vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresq̃ue & stultitiam: &

agnoui quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus:

18. eò quòd in multâ sapientiâ, multa sit indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem.

METRICA PARAPHRASIS.

QVAECVMQVE sceptra Regiæ gestent manus,
Quoscumque fasces publicæ Atlantes rei
Cincti clientum obnoxio cœtu ambiant,
Quamcumque palmam spondeat Martis fauor,
Quascumque merces institor vagus petat,
Cuicumque lucro plebis insudet labor,
Quæcumque studia nobiles animæ colant,
Quæcumque curæ lancinent pectus; tamen
Pila vanitatis turba mortalis sumus,
Ventisque pretium facimus, & fumo, & nihil.
Quin & reuulso si quis infami iugo,
Et vanitate colla calcatâ erigit,
Aut vana vulgi studia doctrinæ face
Ex arce mentis despicit; lætus nouâ
Sophiæ repertâ luce dum plaudit sibi,
Se vanitatis laqueat incautum plagis.
Sic ego peragrans mente terrarum sola,
Et quidquid ambit aureum Phœbi iubar,
Inanitatis arguens, dixi gemens:
En fama nomen gemmeis nostrum vehit
Sublime bigis, méque conspicuo locat
Mundi theatro. Multa penetraui inclytæ
Vigore mentis nocte diu cæcâ abdita;
Et corde toto adnixus expendi vias,
Quà vera virtus arduos gressus regit,

Quà

Quà ſtultus error deuio titubat gradu:
Palmamque Sophiæ laude præ cunctis tuli
Solymæ colonis. Eſtne qui tantum decus
Magno paciſci renuat erectum ſupra
Scientiarum verticem excelſo pede,
Vi mentis explorare, quo virtus gradu
Vitiumque conſtet, quiſve ſit rerum modus?
O nulla veri nominis felicitas!
Quod antè rebar ſorte mortali altius,
Id vanitatis damnat exhauſtus labor,
Et mille mentis, nomen infauſtum, cruces.
Nam ſi quis adytis ambiat Sophiæ pedem
Inferre, & orbis noſſe quod gremio latet;
Fremit ambientes millies ludi manus,
Quas veritati tendit optatæ. Velut
Celſi Niphatis vertice, aut Niſæ iugis
Cùm tigris orba liuet irarum notis,
Cuius tenellos fors Achæmenio Duci
Ludibria fetus abſtulit trepidans eques,
Furit illa, curſu concito anteuolans leues,
Zephyro marito quàm ſibi propior, Notos;
Donec ſubinde vitreis propter viam
Deluſa ſphæris tendit incaſſum pedes,
Imagiſque fallit amplexu obuiæ
Sobolis amorem. Noſter haud alio dolor
Animum cruentat vulnere, & pectus coquit
Auidum ſciendi. Nempe pro ſapientiâ
Prenſamus vmbras, ſpemque lactatam fugax
Imago ludit. Nube ſi pulsâ tamen
Lux aliqua menti ſidus inſinuet ſuum,
Et veritatis radiet optatum iubar;
Pluria capaci monſtrat ignorantiæ

Latere

Latere gremio, nulla quæ ſatis dies
Eruderabit. Truditur dies die,
Et cura curam gignit: exhauſtus labor
Geminat laborem; poſtque tot curas tamen
Siquid didicimus, nec caret fructu labor,
Hoc ſcimus vnum, ſcire nos penitùs nihil.

PROSA EXEGESIS.

Salomon ſcientiæ cupidus.

DAMNATIS Eccleſiaſtes humanæ vitæ laboribus, vaniſque curis & cogitationibus, ad animum liberalioribus ſtudiis relaxandum, omnique ſcientiarum genere excolendum, ſe contulerat: & facultatem eius deſiderio parem ſubminiſtrabat eximium quoddam ſapientiæ lumen eius animo diuinitus infuſum; & materiam ſuppeditabat orbis terrarum, quà latiſſimè patet, vniuerſus. Itaque nihil intentatum, nihil inexploratum reliquit, ſed omne politioris litteraturæ, ſolidioriſque doctrinæ genus, à primis litterarum elementis ad ſummum vſque ſapientiæ diuinæ apicem peruagatus eſt. Non quòd prima litterarum elementa excogitarit (hanc enim inuentionem apud Hebræos, Suidas Setho, Philo Abrahamo, Theodoretus Moyſi tribuunt, apud Græcos verò Cadmus omnium pænè conſenſu hac laude celebratur) ſed tamen in partem etiam venit huius gloriæ, cùm Arabicum, vt vocant, Alphabetum, linguamque cultiſſimam, quam Arabicam Orientalem vocant, excogitârit.

Pineda in Salomon. præu. lib. 3. c. 11.

Deinde cùm ex libro Sapientiæ perſpicuum ſit, diuinitus illi infuſam facultatem ſententiosè, copiosè grauiterque dicendi, ad miraculum vſque exterarum gentium, quæ, vt habet Regum hiſtoria, vndique venerant ad audiendam ſapientiam Salomonis; cui dubium

Sap. 7. 7. ex verſione Tigurinâ.

Salomon orator eximius.

3. Reg. 4. 31.

bium esse potest, quin summorum Oratorum virtutes, quas enumerat M. Tullius, quasi totidem flumina, in hoc vnum eloquentiæ pelagus confluxerint? Itaque neque Socratis in eo suauitas desiderata est, neque subtilitas Lysiæ, neque acumen Hyperidis, neque vis Demosthenis, neque grauitas Africani, neque lenitas Lælij, neque iucunditas Catuli, neque varietas Cæsaris, neque, vt hoc etiam addam, Ciceronis exquisitissimorum verborum sententiarumque delectus. Cicero li. 3 de Oratore.

Nihil iam dico, quantopere amœnissimis Poëtarum studiis fuerit delectatus, cùm eâ ætate vixerit, quâ summi illi Græcorum non magis Poëtæ, quàm Theologi, Linus, Amphion, Orpheus, Musæus, nonnullæque Sibyllæ floruerunt, & ipse quinque millia Odarum conscripserit, quas, paucis exceptis, nobis omnes tempus inuidit. *Salomon Poëticâ delectatus.* 3. Reg. 4, 32. secundùm LXX.

Nunc vt ad altiores disciplinas gradum faciamus, Rationalem Philosophiam in eo maiorem agnoscit Clemens Romanus, quàm in omni Sophistarum sapientiâ. Astrologiæ scientiam illi negare non possumus, cùm id ipse de se testetur, & eius ætate Ægyptij & Chaldæi, quibuscum perpetuum Iudæis intercessit eruditionis commercium, fuerint Mathematicarum disciplinarum scientissimi. *Salomon Philosophus & Astrologus.* Clemens Romanus lib. 1. Constitution. cap. 6. Sap. 7, 18.

De Architecturâ nihil attinet dicere, cùm in oculos omnium celeberrimi illius templi incurrat imago, quòd non tantùm orbis miraculum fuisse testatur Villalpandus, sed etiam absolutissimum exemplar, vnde in omnem posteritatem optima ædificandi præcepta promanarunt. *Salomon Architectus.* Villalpandus in Ezechielem.

Physiologiæ immensam esse contemplationem, ait Plinius, si quis æstimet varietatem, numerum, flores, Plin. li. 18. c. 1.

Salomon naturalis scientiæ peritus.

odores coloreſque & ſuccos herbarum, quas ſalutis aut voluptatis hominum gratiâ terra gignit; & Xenophon apud Ciceronem, nihil orbi tam regale videri, quàm ſtudium agriculturæ, contendit: atqui omne hoc ſtudium complexus eſt Rex ſapientiſſimus, cùm, vt habet diuina Pagina, *diſputauit ſuper lignis* & plantis, *à cedro quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete.* Et fauebat huic ſtudio altiſſima pax, quæ ſemper, vti Cereris nutrix, ita mater ac magiſtra totius agriculturæ eſſe conſueuit: adeò, vt multò venuſtiùs ac veriùs falce, aratro ac vomere potuerint inſigniri ſcuta Salomonis, quàm Achillis illius apud Homerum clypeus; cui, vtpote homini bellicoſo, non plus debebat agricultura, quàm verni flores Boreæ, aut maturæ fruges continuis imbribus.

3. Reg. 4, 33.

Homerus Iliad. ♂.

Salomon Medicinæ & Magiæ peritus.

Rerum naturalium cognitioni annexa eſt Medicina, & Magia naturalis. Quæ autem in his facultatibus ſcripto conſignauit Salomon, ea de medio ſuſtuliſſe Ezechiam, auctor eſt poſt Euſebium Cedrenus, ne populus in reconditis naturæ miraculis plus præſidij ſibi, quàm in Deo repoſitum eſſe duceret.

Cedrenus in Compend. Hiſt.

Salomon Iuris & Oeconomiæ peritus.

De Iuris ac legum peritiâ Sectione præcedente dictum eſt. Porrò Oeconomia Salomonis, quæ velut Politicæ quædam lacinia eſt, tantopere in ſtuporem rapuit Reginam Saba, vt conſpectis palatiorum ædificiis, Regiæ menſæ ferculis, ordine miniſtrantium, veſtibuſque, pincernis, & holocauſtis, attonitæ ſimilis, & quaſi exanimis ſubſtiterit.

3 Reg. 10.

Salomon Theologus.

Sed hæc omnia, quemadmodum acceſſu Solis euaneſcunt minora ſidera, ita prorſus offundantur atque intereant neceſſe eſt, ſi cum ſaluberrimis vitæ

ac

ac morum præceptis, diuinâque sapientiâ, quæ passim in eius Operibus elucet, conferantur; quâ non tantùm dies noctesque animum excoluit, sed eamdem etiam, excitatâ in vrbe Regiâ, atque adeò in ipsâ Sionis arce, academiâ, professus est. Pineda Salom. præuio lib. 3. c. 28.

Quæ omnia nisi ita magna esse fatear, vt ea vix cuiusquam mens aut cogitatio capere possit; nisi ita splendida, vt reliquorum toto orbe sapientium gloriæ tenebras offundere videantur, amens sim. Et tamen in his omnibus nihil, præter laborem & afflictionem animi, perpendit Ecclesiastes. Quid ita verò? Quia, inquit, *in multâ sapientiâ, multa* est *indignatio; & qui addit scientiam, addit & laborem.* Indignationem tribuit sapientiæ, laborem scientiæ. Bellè, præclarè, subtiliter. Cùm enim sapientia in perueſtigatione rerum diuinarum, longeque à sensuum commercio remotarum versetur, quoties aut in mysteriorum profunditate mens hallucinatur, aut inani veritatis vmbrâ deluditur; non absque causâ, postliminiò deprehensis erroribus, indignatur in rebus diuinis tantum esse caliginis. Scientia verò, tametsi facilior est & clarior, quia tamen ita multiplex est & varia, ac propemodum infinita, nullam quietis partem homini sciendi cupido relinquit, sed laborem serit ex labore. *Sapientia scientiaque vanitas.*

Quòd si tantum vanitatis in iis studiis deprehendit Ecclesiastes, quæ & solidum animæ pabulum continent, & quibus temperanter vsus est; quid tandem futurum est intemperantibus illis difficilium nugarum helluonibus, qui nec veræ sapientiæ gustum habent, & in puerilibus triciis, futilibusque nodis enodandis, ætatem, sanguinem, succumque consumunt? *Vanitas inutilium studiorum.*

Seneca de Breuitate vitæ, c. 13.

munt? Dubitare certè nemo poteſt, quin operosè nihil agant, qui litterarum inutilium ſtudiis detinentur. Græcorum iſte morbus fuit quærere, quem remigum numerum Vlyſſes habuerit, priórne ſcripta ſit Ilias an Odyſſea, ſimileſque nugas plauſibiles: quæ cùm ſciuntur, aut ſciri exiſtimantur, verboſos, intempeſtiuos, & ſibi placentes faciunt, & ideò non diſcentes neceſſaria, quia ſuperuacanea didicerunt. De quibus non inſcitè Martialis:

Martialis l. 2. Ep. 95.

Turpe eſt difficiles habere nugas:
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Seneca Epiſt. 88.

Didymus ille Grammaticus, qui ab aſſiduitate laboris Χαλκέντερος, id eſt ferreis viſceribus, dictus eſt, quatuor millia librorum ſcripſiſſe dicitur. Miſer, ſi tam multa ſuperuacanea tantùm legiſſet. In his de patriâ Homeri quæritur, in his de Æneæ matre verâ: in his, libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit: in his, an Sappho publica fuerit, ceteraque eiuſdem farinæ, quæ vel cum pectoris quadam conuulſione egerenda eſſent, ſi quis in ſtomachum tranſmiſiſſet. Miſerrimam Tiberij diligentiam in hiſtoriæ fabularis inquiſitione vſque ad ineptias ac deriſum, narrat Suetonius. Nam & Grammaticos (quod genus hominum præcipuè fouebat) eiuſmodi ferè quæſtionibus experiebatur, Quæ mater Hecubæ, quod Achilli nomen inter virgines Scironis filias fuiſſet; quid Sirenes cantare conſueuiſſent. Fuit etiam ætate noſtrâ florentiſſimæ cuiuſdam in Italiâ vrbis Archiepiſcopus, vir doctus & grauis, apud quem ſi de Theologiâ diuinâque ſapientiâ ſermones intuliſſes, ſubitò frontem corrugare, ſupercilium attollere, denique manifeſtis indiciis iſtiuſmodi orationem auerſari:

Suetonius in Tiberio, cap. 70.

Lælius Biſciol. lib. 3. cap. 1.

sari: si verò de modalibus, earumque conuersionibus ac mixtionibus, de actione & reactione, verba faceres, explicare mox frontem, exultare, triumphare gaudio. Si opus, quod de modalium conuersione scripserat, familiaribus probasset, tantis incedere lætitiis, ac si magnum Turcarum Imperatorem ad fidem Christi religionemque conuertisset. Misera certè curiositatis suæ mancipia, & viles litterariæ scientiæ candidatorum animæ, quorum dementiam non minori iure quis explodat, quàm procorum illorum apud Homerum, qui, relictâ Penelope, conuertêre se ad ancillas: sic enim illi, neglectâ rerum dominâ sapientiâ, ardent tantùm in eius administris. O miseri! quos abiecta imò noxia curiositas perpetuo quasi pistrino exercet, & laborem ex labore nectens, ita difficilibus nugis detinet, vt Deo ac saluti operam dare vix vnquam possint.

Deplorat hanc præposteram sciendi cupiditatem D. Hieronymus, ad Damasum ita scribens: Sacerdotes Dei, omissis Euangeliis & Prophetis, videmus Comœdias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium; & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluptatis. In pueris id esse necessitatis, sed magnæ tamen miseriæ, testatur D. Augustinus; quòd nimirum adhuc puer plus æquo fabulosis illis tragicisque affectibus tribuerit, oblitus interim sui ac salutis: Tenere cogebar, inquit, Æneæ nescio cuius errores, oblitus errorum meorum; & plorare Didonem mortuam, quia se occidit ob amorem, cùm interea meipsum in his à te morientem, Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserante se-

Hieron. ad Damasum.

Aug. lib. 1. Conf. c. 13.

ipsum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ fiebat non amando te Deus, lumen cordis mei. Si hanc miseriam deplorauit Augustinus, quæ necessitatis erat, quanta cæcitas est illorum, qui eâdem tamquam voluptate pascuntur?

Aurelius Victor.

Aemilius lib. 10.

Quid igitur censes? dicet aliquis. An cum Licinio Imperatore, qui litteras Reipublicæ pestes vocabat, abolenda esse litterarum studia? aut cum Ludouico XI. Gallorum Rege, qui filium Carolum VIII. non plus Latinè voluit efferre posse, quàm hæc verba: Qui nescit dissimulare, nescit regnare? Minimè verò: sed eatenus hæc studia conducibilia esse iudico, si ad solidiores scientias viam sternant, si animos virtuti ac sapientiæ præparent, non in puerilibus rudimentis detineant: nunc verò quis non pernicioſa iudicet, cùm totum hominem, omnemque ætatem sibi vindicent? Tantum enim negotij facessit exitiabilis illa curiositas, tot homini labores creat ac molestias, vt sibi æternæque salutis negotiis vacare numquam adlubescat. Mors interim aliud agentibus nullam moram indulget, nec gradum suspendit, cui, velimus nolimus, vacandum est.

Litterarũ studia altioribus scientiis subseruiãt.



SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT SECVNDVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 1. Dixi ego in corde meo: Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas.

2. Risum reputaui errorem: & gaudio dixi: Quid frustrà deciperis?

METRICA PARAPHRASIS.

DICEBAM: *Si tanta moues fastidia, Phœbe,*
Si tantum Sophiæ munera fellis habent;
Ite leues hederæ, contractæ præmia frontis,
Doctaque quæ cingis tempora, Daphni vale.
Nil mihi vobiscum est, Helicon & Cyrrha valete,
Vndaque, quam fodit pes volitantis equi.
Este procul curæ, durum genus; ite Camœnæ:
Pulpita cum libris in mare ferte Noti.
Tuque ades, ô domitrix curarum, blanda voluptas,
Tuque ô Bacche pater; iam tua castra sequor.
Sparge merum pateris, laticemque inuerge sacratum;
Lætitiæ facimus, sparge Lyæe merum,

Ipsa

Ipſa Venus nato veniat comitata, volentque
Hanc circum teneri, ludicra turba, ioci.
Quid moror hîc fragilis decerpere lilia vitæ,
Dum roſeis ætas vernat amœna genis?
Euge anime, Aſſyriâ madeant tibi tempora nardo,
Et croceo ſtillet mollis ab imbre coma:
Euge, ſonent citharæ, digitoque impulſa loquaci
Dulce animet carmen fila canora lyræ.
Euge dapes dapibus, Saliaribus adiice menſis,
Eoi prædas Occiduique maris.
Murenæ lactes, cerebellaque phaſidos, & quæ
Regia Iunonis fercla miniſtrat auis,
Ambroſiæque fauos, quos educat Indica canna:
Non faciunt ſtomacho fercula trita meo.
Sic ego deliciis ſatur, impuræque Dionæ
Victima, lenæo gurgite merſus eram,
Vt ſeſe, plaudenſque alis, & flumine merſans
Proluit Icario ſidere tactus olor;
Et velut amphibius liquido ſub gurgite gemmas
(Quas paſcunt rores, fœtaque concha parit)
Scrutatur Malabar: ſic gurgite deliciarum
Mortalis voti rebar ineſſe caput.
Hei mihi, quàm falsâ luduntur imagine ſenſus!
Irrita quàm vanum ſomnia mittit ebur!
Non hîc norma boni, non vitæ ſumma beatæ,
Non ſaties voti, non adamata quies.
Ergo vbi lux pulsâ ſeſe extulit aurea nocte
Ingemui laqueis implicuiſſe caput.
O fallax Siren! ô perfida lena, voluptas!
Hei mihi, quot blandâ nubila fronte tegis!
Sub riſu abſcondis lacrymas, ſub melle venenum,
Vt celant Paphiæ ſpinea tela roſæ.

Quid

Quid Cytherea iuuat, si sæuiùs odit amando,
Aspera blanditiis, ac truculenta iocis?
Quid prosunt Regum, dispendia dulcia, mensæ,
Quod fuit in votis, si venit inde minùs?
Quidve voluptatis fuco delusa sagina,
Si quantum hæc pœnæ, non habet ipsa fames?
Nectare & ambrosiâ pascantur, & ilia tendant,
Tantale siue tuis, siue Corinthe tuis;
Proxima deliciis iungunt fastidia gressum,
Porrigit atque epulis nausea lassa manum.
Et tamen est aliquis, qui suspicit Orgia mundi?
Qui celebrat mediis ludicra festa malis?
Non benè sollicito veniunt de pectore risus,
Non benè mœrenti fingitur ore iocus.
Sardoæ veluti mala gramina pastus arator
Ridet, & in risu tristia fata trahit:
Sic risus perimunt, humanaque gaudia fallunt,
Et restat Nemesis scena pianda manu.
Frange toros, cape serta, iocos sere, cinnama sparge,
Prome dapes, induc Cyprida, plaude choros;
Exiget & Bromius pœnas, & sæua Dione,
Et magè nequitiæ conscia corda suæ.

PROSA EXEGESIS.

SAPIENTER est illud à D. Bernardo pronuntiatum: Nulla verior miseria, quàm falsa lætitia. Postquam enim diu hominem beatitatis cupidum vmbris, ac ventis, & inani specie lactauit, tandem ieiunum ac famelicum, ne dicam cicutâ aut herbâ Sardonicâ, ceterisque noxiis repletum, & à beatitatis metâ, quam sibi præfixerat, longissimè aberrantem destituit. Expertus est hoc magno suo malo noster Ecclesiastes, cui aptari

Bernard. lib. de Grat. & lib. arb.

Voluptas vana.

Voluptas Salomonem enerauit.

Seneca Consolat. ad Helui.

possunt illa Senecæ verba de C. Cæsare, quem, inquit, natura videtur edidisse, vt ostenderet, quid summa vitia in summâ fortunâ possent. Postquam enim superbissima illa opera templi ac palatij ad miraculum vsque excitasset, & in summâ rerum omnium affluentiâ viueret; tandem otio deliciisque eneruatus, eò turpitudinis prolapsus est, vt non contentus septingentis primariis ac trecentis secundariis vxoribus, innumeras præterea adolescentulas (quas pellices & scorta nominat D. Hieronymus) explendæ libidini suæ surrogarit. Ac demum totus effeminatus, atque à mulieribus in transuersum actus, in omnium vitiorum cœno volutatus est; vsque adeò, vt plusquam belluinâ ingratitudine vero Deo, qui tam beneficum se ac liberalem exhibuerat, contempto, vxorum idolis sacrificauerit, & fortasse dæmonibus etiam per magiam sese obligarit. Heu miser! *Dedisti maculam in gloriam tuam.* Et quis scit, an facti pœnitens à Deo misericordiam sis consecutus? Sed quoniam libet optima sperare, aliorum potiùs exempla, quorum funestus fuit exitus, ad explicandam deliciarum vanitatem, & peruersa stultorum gaudia, in medium producam.

3. Regum 11, 3.

Cant. 6, 7.

Hierony. Epist. 132. ad Vitalē.

Delrius libro 1. Disq. Magic. c. 5.

Eccli. 47.

Cleopatræ luxus.

Prodeat igitur inp[illegible]is Cleopatra Ægypti Regina, quæ non tam iure iudicioque, quàm conuiuiorum luxu decertatura ad Antonium venit deliciis luxuque diffluens. Sic autem iter suum instituit. Sedebat in mediâ triremi sub aureâ vmbellâ, Deam aliquam repræsentans. Stipabant vndique lectissimæ virgines Nympharum ornatu, quæ aureis thuribulis Cydni ripas omni odoramentorum genere perfundebant. Quid multa? Conuiuiorum sumptu prouocans Antonium, inter cetera fercula planè opipara planeque Regia, vnio-

Vide Lipsij Admiranda li 4. c. 7.

vnionem, quem aure dextrâ gestabat, singulare naturæ opus, ducentis quinquaginta millibus Philippæorum æstimatum, acri aceto liquefactum absorbuit. Sed cùm alia fercula huius conuiuij non exprimantur, nos è luxu Romano cetera supplcamus.

Luxus Romanorum. Lipsius de Magnitud. Rom. li. 4. cap. 7.

Inuentus est aliquando Romæ Cato Censorius, qui post bellum Punicum secundum, conspecto æui sui luxu, publicè questus est, non posse saluam esse vrbem, in quâ piscis vnus pluris quàm bos væniret. mullus is fuit, quem nos barbum aut regulum marinum vocamus. Sed profectò nihil vidisti Cato. Pluris apud posteros tuos fuit mullus vnus, quàm decem boues, ducẽtis scilicet & quinquaginta Philippicis æstimatus.

Plinius libro 35. cap. 12.

Sed parua sunt hæc præ Clodij Æsopi tragici histrionis patinâ, quindecim millibus Philippicorum taxatâ, in quâ posuit aues cantu aliquo aut humano sermone vocales, nullâ aliâ inductus voluptate, nisi vt in his imitationem hominis abliguriret. Sed omnium portentosissima fuit ingens illa Vitellij patina vigintiquinque millium Philippicorum impensis condita. In hac autem scarorum iecinora, phasianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes à Carpathio vsque, fretoque Hispaniæ per nauarchos ac triremes petita commiscuit.

Suetonius Vitellio cap. 13. Plin. li. 35. cap 12.

Quid nunc reliquam deliciarum pompam explicem? Malo eam è Panegyrico Theodosio recitato discatis. Delicati illi parum se lautos, inquit, putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hibernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstiuâ in gemmis capacibus glacie falerna fregissent. Horum gulæ angustus erat orbis noster: appositas enim dapes non sapore sed sumptu æstimantes, illis demum acquiescebant, quas extre-

Latinus Pacatus in Paneg.

mus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragiis maria misissent. An plura desideratis? Adiiciam in supplementum Nomentanum & Apicium, altissimos nepotum omnium gurgites, cum fastidio in mensis suis omnium gentium animalia recognoscentes. Vide hos eosdem, inquit Seneca, è lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes. Mollibus lenibusque fomentis totum laceſſitur eorum corpus: & ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo Luxuriæ parentatur.

Seneca de Beatâ vitâ, c. 11.

Voluptas fallax.

Quid tandem videtur? an non hic apex est humanæ felicitatis? Dicat is, qui non inani cogitationis gustu imbutus, de deliciis ac voluptatibus philosophatus est, sed iisdem penitus immersus, nil nisi exploratum ac reipsâ compertum scripto consignauit. *Risum*, inquit, *reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid frustrà deciperis?* Et meritò quidem ita pronuntiauit, nec ob vnam causam. Primùm enim, quantus error est, ab iis rebus sperare felicitatem, quæ non tantùm ita inanes sunt, vt famelicum semper destituant beatitatis appetitum; sed etiam ita perniciosæ, vt funesto tandem exitu lacrymas sint daturæ.

Delicia inanes & fallaces. Isaiæ 65, 12.

Inanitatem deliciarum, & frustratoriam illusionem, diuina illa apud Prophetam Oracula disertè loquuntur. Quia, inquit, *quæ nolui elegistis. Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis.* Et quid mirum? cùm ea sibi pabula delegerint, quæ nullâ ex parte infinitæ desiderij nostri capacitati respondent. Itaque videas hos tales inter epulas ac vina pallentes, & inter Musicum concentum futuro exitio suo præsago præ-

præficoque gemitu præludentes. Quam enim tandem plerique illorum, quorum antè meminimus, vitæ suæ dedere catastrophen? Miseram profectò & miserabilem. Quid, obsecrò, voluptates ac libidines Antonio & Cleopatræ profuerunt, qui rebus desperatis, fortunisque omnibus euersi, violentas sibi manus intulerunt? Nec melior fortuna Vitellium excepit: qui etiam laqueo per Viam sacram raptatus, cœnoque ac stercore conspurcatus, minutissimis tandem ictibus apud Gemonias excarnificatus est. Apicius denique scientiam popinæ professus, cùm duos milliones auri cum dimidio comessationibus abliguriisset, tandem ære alieno pressus, rationes inspicere coactus est, inuenitque superfuturum sibi centies sestertiûm: & velut in vltimâ fame victurus, si centies sestertio, id est ducentis quinquaginta millibus Philippicorum vixisset, vitam veneno finiuit. O miserum, cui ducenta quinquaginta millia Philippicorum extrema fuit paupertas!

Sueton. in Vitellio c. 17.

Seneca Consolat. ad Heluiã, c. 10.

Altera ratio cur errorem nominarit Ecclesiastes profanum illud gaudium, quod ex vsu deliciarum existit, hæc est, quòd deliciæ corporis animæque vires prorsus eneruent, ac virtutibus pessumdatis, rectæ rationis lumen extinguant. Fieri enim nullâ ratione potest, vt vbi crapula dominatur, ibi sobriæ cogitationi sit locus. Etenim si Tullio credimus, imò & Augustino, vt maximus est quisque voluptatis motus, ita est inimicissimus Philosophiæ. Congruere enim cum cogitatione magnâ voluptas corporis non potest. Delectatio enim sensum, ait Ambrosius, sensus mentem captiuam trahit. Serpit itaque contagione quadam hoc venenum: nec minori probro, quàm exitio, ad imas vsque corporis animæque fibras sese insinuat. Quemad-

Voluptas perniciosa.

Augustinus li. 4. contra Julianum Pelag. c. 14.

Ambrosius lib. de Paradiso.

Eusebius Emissenus Homiliâ de Epiphaniâ.

modum enim, inquit Eusebius Emissenus, quando humore & scabie cutis corporis vitiatur, ex vitio cutis corruptio carnem exulcerat, ab exulceratione verò carnis prurigo titillat; ita per oblectationem malorum de negligentiâ proficit culpa, & de luxuriâ crescit illecebra, & pereuntem perditio plus delectat, quia voluptas transacta non satiat, sed suo vsu magis exercetur vitiorum cupiditas, quàm finitur; & sectatorem suum, numquam consumenda, consumit.

Delicia libidinem pariunt.

Sed cùm omne vitiorum genus in animo velut in agro deliciis stercorato, vinoque immodicè irrigato, instar densæ cuiusdam segetis aut siluæ luxuriet, nihil tamen vberiùs crescit, magisque virtutes suffocat, quàm libido: siquidem, teste Hieronymo, esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas seminarium est libidinis. Addit Clemens Alexandrinus, vt in re rusticâ maneamus, vino efferuescente, mustum iuuentutis transilire fines pudoris. Non Ætnæ ignes, inquit idem Hieronymus, non Vulcania tellus, non Veseuus aut Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, ac dapibus inflammatæ. Quid iuueniles dico medullas? nónne hac arte filiæ Lot parentis iam ætate grauis nefarios amplexus furatæ sunt? Audite, ait Origenes, quid perpetret ebrietas: audite, quantum facinoris designet temulentia. Ebrietas decipit, quem Sodoma non deceperat: vritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non vsserat. Et hanc tantam pestem delicias arbitrantur? hanc risum vocant & gaudium? Meliùs profectò philosophatus est Ecclesiastes, postquam hanc capitalem generis humani pestem magno suo malo expertus est. *Risum*, inquit, *reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid frustrà deciperis?*

Hieron. lib. 2. in Iouinian.

Clemens lib. 2. Pædag. c. 2.

Hieron. ad Furiam.

Orig. in Genes. Hom. 5.

Sed

Sed restat tertia ratio, quæ profanum omne gaudium condemnet erroris, quòd nimirum in exilio hîc degimus, non in patriâ; in valle lacrymarum, non in amœnissimo monte cælestis Sionis. Quod dum plerique mortalium minùs considerant, & obuiis mundi deliciis se passim ingurgitant, ac profanâ voluptate dissoluunt, veræ beatitatis semper expertes, & à cælestis patriæ domicilio extorres, in varios errores, Vlyssæis non absimiles, abripiuntur. Aut enim fallacis mundi suadelâ deliniti, ad Sirenum scopulos adhærescunt, aut momentaneâ dulcedine inescati, in Lotophagorum deserto littore computrescunt; aut Circæo voluptatis poculo fascinati, brutorum stabulis mancipantur. O quantò sapientiùs illi, qui præsentis conditionis & calamitatis suæ conscij, cum exulibus Israëlitis illud Dauidicum vsurpant: *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion.* Et quamuis ad lætitiam subinde excitentur, illud cum gemitu reponunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?* tantum abest, vt profanis voluptatibus gaudiisque dissoluantur. Quæ cùm ita sint, nec quidquam habeant terrenæ voluptates, quo famem desiderij nostri expleant, cùm sint vanissimæ; sed potiùs velut Circæum quoddam poculum, aut porcorum siliquæ, animos nostros obbrutescere faciant; cùm denique tristissimum hoc exilium nos patriæ cælestis admoneat: illud mihi consultissimum videtur, vt quisquis huius vitæ deliciis se incautus ingurgitat, dum se patriâ extorrem, & velut famelicum ad porcorum siliquas redactum considerat, cum Prodigo Euangelico tandem saniora meditetur, & dicat: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem*

Voluptas à conditione vitæ nostræ discrepat.

Psal. 136, 1.

Vers. 4.

Lucæ 15, 17.

trem meum, & vitæ prioris errore damnato, repudiatisque voluptatum illecebris, ad sanctioris vitæ consilia, veræque sapientiæ studia me conuertam. Præstitit hoc Ecclesiastes, dum subiunxit:

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERS. 3. Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam, donec viderem, quid esset vtile filiis hominum: quo facto opus est sub Sole numero dierum vitæ suæ.

METRICA PARAPHRASIS.

O QVAM faciles ille bimater
Delenifico melle Thyoneus
Stolidis fucos oblinit! O quot
Fronte serenâ nubila condit!
Dum lætitiæ vult esse parens,
Heu quot lacrymas, quot bella parit!
Aspice Lapithis mota bimembri
Prælia turbâ. Nec Bistonibus
Mitior Euan, cùm lætitiæ
Furiosa scyphos vertit in arma.
Quid nunc miserum Penthea memorem,
Cui Bassarides thyasos inter
Festosque iocos viscera thyrsis
Laniasse ferunt? frustrà Bacchus
Cos ingenij, frustrà Suadæ

Filius

Filius audit, potiùs mentis
Vile ſepulchrum, fœdáque dicas
Balnea linguæ. Quid titubantes
Mænadum adinſtar memorem greſſus?
Quid ſecreti prodiga corda,
Luminaque vdo natitare mero?
Quid deliri ſomnia capitis,
Dum mendicus diadema crepat,
Dum ſtrata ſolo ſidera cernit,
Miráque vacuum per inane geri?
Singula verſu claudere longum eſt.
Vbi Lenæi ſplendent latices,
Nubila mens eſt. Hominem ex homine
Tollit Iacchus. Tanta Lyæi
Damna videnti decretum animo
Fixumque ſtetit Bromij caſtris
Efferre pedem, ſignáque Sophiæ
Neglecta ſequi, ſtultáque ſtolidis,
Et bacchanal linquere Bacchis,
Donec radius lucis obortus
Tutum vitæ ſignaret iter,
Ac monſtraret quid ſit rebus
Vtile noſtris, dum mortales
Labilis horæ rota præcipitat.
Nam quis dubio tramite vitæ
Iuſti ac recti rimatur iter?
Turba exemplo, non iudicio,
Vitam inſtituit. Non quò ratio,
Cynoſura ratis, ſed quò vulgi
Abripit æſtus, vela reguntur.
O quæ fragili puppe Leandro
Freta ſulcanti, tollat amicos

Seſtias ignes! Quis labyrinthos
Inter & vndas mihi Dædaleas
Humeris pennas aptet! Et ô quis
Ariadneo perplexa notet
Compita filo! vel quis potiùs
Fauor æthereus, qui Niliacis
Quondam Iſacidas profugos regnis
Rutilæ duxit lampade nubis,
Simili curſum ſplendore regat!
Si teſqua facem deſerta petunt,
Heu quò tendet per tot vitæ
Salebras nullo mens cæca duce?

PROSA EXEGESIS.

SI quis deliciarum ac ebrietatis incommoda ſecum accuratè perpenderit, nihil mirabitur, Eccleſiaſten, virtutis ac ſapientiæ cupidum, hæc turpitudinis caſtra deſerüiſſe. Viderat enim, in regno voluptatis nullum eſſe virtuti locum; contrà verò, ebrietatem indomitis cupiditatibus vitiiſque omnibus fræna relaxare. Semel enim peſſumdatâ, quæ inordinatis cupiditatibus obſtabat, verecundiâ, in lucem, quidquid mali latebat, emergit. Itaque libidinoſus, inquit Seneca, ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantum petierint, ſine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur ac publicat, tunc petulans non linguam, non manum continet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido. Adiice illam ignorationem ſui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut turbine aliquo circumagente totam domum: ſtomachi tormenta, dum effer-

Ebrietas omnia vitia prodit.

Seneca Epiſt. 83.

ueſcit

ueſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Omitto cetera, quæ recenſere longum eſſet.

Ebrietas inimica ſapientiæ.

Vnum perſequor quod ad rem præſentem facit, nihil tam inimicum eſſe ſapientiæ ſtudio, quàm ebrietatem. Quid enim ſapientiæ tam contrarium eſt, quàm dementia? Quis autem ignorat, nihil aliud eſſe ebrietatem, quàm dementiam voluntariam; nec aliter à phreneſi, quàm temporis breuitate, diſtingui? Certè vt quàm mitiſſimè cum Plutarcho ſentiamus, inſaniæ contubernalis eſt ebrietas. Vbi enim regnat ebrietas, ait Petrus Rauennas, exulat ratio, intellectus obtunditur, conſilia deuiant, iudicia ſubuertuntur, atque adeò, vigore mentis oppreſſo, totus homo alieni iuris efficitur. Quare repudiandum eſt illud, quod apud Macrobium legimus, velut ſolis Saturnalibus dignum, Fomitem quemdam atque ignitabulum ingenij virtutiſque eſſe, ſi mens & corpus hominis vino flagret.

Plutarchus lib. de Garrulit.

Petrus Rauennas in Serm.

Macrobius lib. 2. Saturnal. c. 8

Poëtæ nonnulli & Philoſophi vino diditi.

Non ignoro, ex iis, qui ſtudia vtcumque coluerunt, non paucos immodico vino deditos fuiſſe: nam, vt ſuprà dixi, diſputatur inter Philologos, ebrioſior Anacreon an libidinoſior fuerit. Et

Ennius ipſe pater numquam niſi potus ad arma
Proſilijt dicenda. ——

Horatius l. 1. Epiſt. ad Mecænatem.

& Cratinus cùm ebrius Comœdias ſcriberet, vinum Poëtis vice generoſi equi dicebat eſſe. Denique ipſe Philoſophiæ parens Socrates, ſi quando ad bibendum in conuiuiis adigeretur, omnes exhauriendis calicibus vincebat. Scio etiam, inter Stoicorum paradoxa illud numerari, ſapientem numquam eſſe ebrium, quantumcumque ſe vino ingurgitet. Sed non obſcurè profiteor, nihil mihi negotij eſſe cum iſtiuſmodi inſanientis ſapientiæ conſultis, quos non vnum vitæ probrum

Lipſius Manuduct. lib. 3. cap. 18.

apud posteros notauit. De veræ sapientiæ studio(quam nunc Philosophiam Christianam nominamus) omnis mihi dissertatio est.

Ad hanc postliminio adspirans Ecclesiastes, *Cogitaui*, inquit, *abstrahere à vino carnem meam, vt animum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam.* sapienter non vni tantùm sibi, sed omnibus præcipiens, iis qui solidæ virtutis veræque sapientiæ studio accenduntur, non tantùm vinum atque ebrietatem, sed quidquid ad delicias ac voluptates pertinet, penitus esse repudiandum. Itaque de recessu inprimis cogitans, ait Seneca, non Canopum eliget sapiens (quamuis neminem Canopus vetet esse frugi) sed ne Baias quidem, quia diuersorium vitiorum esse cœperunt. Non corpori tantùm, sed moribus etiam salubrem locum eligere debemus. Quid, quòd Plato, vt moribus salubrem eligeret, corporibus elegit insalubrem, dum in horrido atque obscuro Academi luco Academiam instituit, vt locus ipse non minimam Philosophiæ partem, mortis dico meditationem, ante oculos constitueret? Nec dubium est, quin idem propositum fuerit D. Bernardo, dum pleraque cœnobiorum suorum in locis palustribus fundauit. Idem etiam B. Brunoni, qui ad iacienda cælestis huius Philosophiæ fundamenta, horridam & incultam Carthusiæ solitudinem Gratianopolitano Episcopo diuinitus ostensam delegit. Quid enim necesse est Baiis, exempli gratiâ, ebrios videre per littora discursantes, & comessationes nauigantium, & symphoniarum cantibus perstrepentes lacus, & alia, quæ velut soluta legibus luxuria non tantùm peccat, sed publicat? Id agere debemus, vt irritamenta voluptatum quàm longissimè fugiamus. Vna Hannibalem hiberna soluerunt:

Sapienti fomenta voluptatũ vitanda.

Seneca Epist. 51.

Laërtius in Platone.

Surius in Vitâ Brunonis.

Seneca ibidem.

runt: & indomitum illum niuibus atque Alpibus virum eneruarunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus est.

Miles Christianus voluptatem fugiat.

Nobis quoque militandum est; & quidem genere militiæ, quo numquam quies aut otium datur. Debellandæ sunt voluptates, quæ in sæua quoque ingenia tyrannidem exercuerunt. Si quis sibi proposuerit, quàm dura sit virtutis palæstra, sciet nihil delicatè, nihil molliter faciendum. Quorsum enim militi fomenta voluptatum? Corpus assuetum tunicæ, loricæ onus non sustinet: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperabit capulus: nimia amœnitas animos effeminat; fortior miles ex confragoso venit. Hoc sibi propositum habuit nobile illud Christianæ Philosophiæ exemplar Hieronymus, qui veræ sapientiæ cupidus, in vastam solitudinem secessit, omnesque à se voluptatum illecebras abdicauit: ac ne sic quidem satis vitiorum pericula declinauit. Non me pigebit eius verba, tametsi prolixiora, subnectere. O quoties, inquit, in eremo constitutus, & in illâ vastâ eremi solitudine, quæ exusta Solis ardoribus, horridum Monachis præbet habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis? Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nudâ humo vix hærentia membra collidebam. Ille igitur ego scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat. In frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortuâ, sola libidinum incen-

Hieron. ad Heliodorum.

Idem ad Eustochiũ, de Virginit. seru.

incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad IESV iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ subiugabam. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte; nec priùs à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino imperante, tranquillitas. Si tantam passus est luctam horridus ille solitudinis incola, qui omnia vitiorum fomenta procul habebat; nónne meritò Ecclesiastes animum à vino ceterisque deliciis existimauit abducendum, vt sapientiæ studio vacare posset?

Neque otiosè subiungit (vt illud etiam ad extremum breuiter attingam) *donec viderem quid vtile esset filiis hominum, quo facto opus est sub Sole numero dierum vitæ suæ.* Quibus verbis non obscurè declarat, seriam de ratione vitæ ineundâ consultationem animum requirere ab omni temulentiâ quàm alieniſſimum.

Ebrietas inidonea consilio capiendo.

Maximus Tyrius Dissert. 12.

Scio quidem apud Persas in more positum fuisse, inter pocula de rebus maximi momenti consultare: sed fuerit hoc illis ignoscendum, apud quos seueriſſimis legibus in ebrietatem animaduertebatur, ac proinde satis cautum erat, ne quis à ratione exorbitaret. Sanè ad consilia de rebus magni momenti capienda ineptam esse temulentiam, prudenter ostendit olim Latychides; qui interrogatus, cur Spartiatæ tam parcè vino vterentur; respondit: Ne pro nobis alij consultent, sed nos potiùs pro aliis. Si inidonea est ebrietas ad consilia de Republicâ capienda; quis ei de vitæ instituendæ rationibus arbitria permittet, à quibus æternæ beatitatis summa dependet? Enimuerò cùm omnes in hoc turbulento rerum humanarum freto portum aliquem salutis respiciant; ineptus sanè gubernator esset, qui

Plutarchus in Apophtheg.

vino

vino crebriùs quàm fluctibus obrutus (vt alibi Sapiens noſter) in hoc tanto diſcrimine ad clauum ſederet. Opportunè hoc animaduertit Clemens Alexandrinus, qui vini temulentiam Oceani furiis comparauit. Corpus enim inſtar nauis demerſum, ac decumanis vini fluctibus obrutum, turpitudinis ac dedecoris profundum ſubit. Gubernator autem, mens videlicet humana, dum turgido ebrietatis fluctu circumagitur, tamdiu in cæcis illis nubibus ac procellis caligat, & à portu veritatis aberrat, donec in ſaxa voluptatis ſubtus latentia impingens, ſalutis ac famæ naufragio fatiſcat.

Prouer. 23.

Clemens Alexand. lib. 2. Pædag.

Et nos igitur his animaduerſis, Eccleſiaſten intueamur à vino iam abhorrentem, variaque vitæ genera maturâ conſultatione expendentem; omnibuſque vanitatis aut ſtultitiæ damnatis, extremo tandem libro concludentem, nihil homini in hac vitâ mortali eſſe conducibile, niſi vt Deum timeat, & mandata eius obſeruet. Agedum igitur veſtigiis eius, à Regiâ fortunâ & magnificentiâ exordium ſumentis, inſiſtamus.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 4. Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas,

5. feci hortos, & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus,

6. & extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſiluam lignorum germinantium,

7. poſſedi ſeruos & ancillas, multamque familiam

liam

liam habui: armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem:

8. coaceruaui mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias Regum, ac prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos, & vrceos in miniſterio ad vina fundenda:

9. & ſupergreſſus ſum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ieruſalem: ſapientia quoque perſeuerauit mecum.

10. Et omnia, quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaueram: & hanc ratus ſum partem meam, ſi vterer labore meo.

11. Cumque me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtrà ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole.

METRICA PARAPHRASIS.

PERPLEXA quiſquis compita, & vitæ vias
In varia ſectas ſtudia veſtigat, neque
Sat conſtat animo, quo gradus ſilo regat,
Quo Marte vitam aut arte mortalem excolat;
Non ille temerè ſortis arbitrio genus

Vitæ

Vitæ prehendat; sed neque inuitas colat
Procus Camœnas: sed viæ aut vitæ orbitam
Diuiniore mentis afflatu legat.
Expendat animo semina infusa indoli,
Viresque libret; quamque personam dedit
Orchestra vitæ, hanc congruo mimo explicet.
Quicumque rebus, stemmati, ætati, indoli
Curas adaptat, ille se scenæ probat.
Sic ego superbi culmen imperij tenens,
Et Rege digna mente complexus, Deo
Ædem sacraui marmore è Pario, inclytum
Decus Sionis, cui nec æquiparet suos
Isis colossos, nec Semiramidis opus
Superba Babylon. Regios struxi cedro
Libanitide lares, vmbra quos tepido sinu
Complexa saltus, vincit Alcinoi domum.
Vineta duxi breuibus Engaddi iugis,
Vlmis maritans vitium flexus vagos,
Topiariisque pergulis vmbram explicans.
Nec cultus hortus Veris amplectens opes
Amœnitati defuit. Cruor hîc rosam
Pingit Diones: hîc & Oebalius puer
Disco peremptus: hîc inardescens suis
Narcissus vndis: hîc furens Aiax gemit:
Hîc mille ficta nomina Heroum emicant.
Quid ampla memorem Persico pomaria
Visenda cultu? Frondium his confert decus,
Si qua aut comanti vertice, aut fructu abdito
Superbit arbor. Balsami hîc sudat liquor,
Libanitidesque fronde luxuriant cedri:
Fatidica sectas laurus intexit vias:
Patula cupressi spatia coniferæ ambiunt:

Spoliumque Idumes omne conuestit nemus.
Hic subdialis imminet siluis lacus,
Vitreasque venas fundit, & liquidas agris
Dispensat vndas: dicta vt ripis latex
Arbusta lambens, nutriat vernum decus.
Nec rure culto, nec suburbanis minor
Palatiorum augusta Maiestas fuit.
Hic limen ipsum, & Regiæ auratas fores
Frequens satelles obsidet: pars aureis
Armata peltis Regium stipant latus;
Pars etiam ahenâ luce conspicua vias
Anteambulones occupant; maior subit
Agmenque claudit fida Nobilium manus.
Adde atrienses, adde pincernas, coquos,
Comptosque vernas, & puellarum greges
Exhauriendis mille mandatis pares,
Quot comminisci mille consortes thori,
Formæ atque fastus æmulæ inuicem, queunt.
Diurna cunctis lauta, ter deni boues,
Centum bidentes, quodque venantum labor
Mensæ ministrat. Rusticas quæritis opes?
Campos oberrant mille lanigeri greges,
Tenerumque carpunt in myricetis thymum.
Armenta totidem pinguibus micant toris
Et læta tondent pascua. His simile nihil
Vidêre Solymæ. Euulsa quid terræ fibris
Auri metalla, aut pondus argenti eloquar,
Vectum per altos Thetidos vndantis sinus,
Alio calentem Sole dum Periën rates
Prorisque sulcant fulua Tarteſſi vada?
Tributa Idumes adtice, & Mareotidos
Quæ rector oræ pronus obsequio tulit:

Ad-

Adiice Sabæos, Cyprios, Arabes, Scythas,
Et Regio apice digna quæ Tyrus dedit,
Opibus voluptas suppares iunxit gradus.
Huic condiendæ dapibus admixtum melos,
Et musicorum læta quæ fidibus cohors
Curas leuaret, & Syri, & Lydi, & Phryges,
Mixtusque Pharia merce delicium aurium
Venalis infans: virgines formâ illice,
Pellax venenum: siue Cecropiæ alitis
Lenocinanti voce quæ vincant modos,
Seu quæ canoræ barbiti loquacibus
Digitis pererrent æra. Quid memorem scyphos
Gemmis rigentes, vrceos auro graues?
Hominum suaue nectar his fundit labris
Laticem Lyæum compta puerorum phalanx.
Quid plura? gazis & superbifico potens
Vici paratu, quotquot imperio inclyti
Solymæa tumidâ sceptra gestarunt manu.
Hæc cuncta gressu lubrico acceßi miser:
Nec cespitanti Sophia subtraxit facem,
Laterique adhæsit. Interim effusas dedi
Oculis habenas. Quidquid aut adspectui
Specie adlubescit, aut mouet cordi sitim,
Quidquid libido suadet, id votis dedi.
Nec in arcta lætam spatia contraxi indolem:
Animum iocis, ac tabidas curas Notis,
Veneri ac Lyæo floridos vitæ dies
Lubens dicaui: culmen hoc summum ratus
Beatitatis, aura dum sortis fauet,
Partis fruisci. Hoc præmium curis datum,
Hæc meta vitæ, hæc summa votorum fuit.
Heu cassa rebus somnia! heu fumum! heu nihil,

Quod fascinatos luminibus amabili
Errore lactat! Quid fibras terræ improbo
Labore scrutor, luridâ vt nocte abditam
Segetem malorum publicam in lucem eruam?
Per quot pericla grandius periculum
Sectamur! Aut quid luxui tantus labor
Desudat? O quàm tabidam morum luem
Gremio fouemus! Regium fastum adiice,
Et quam superba sceptra mentiri solent
Beatitatem. Eheu quid hîc solidi vides?
Inane magnum nomen alienum occupat.
Felix, recuruâ valle qui potuit sitim
Saliente venâ sistere: excelso è throno
Gemmâ propinant toxicum. Felix, cui
Viridi soporem cespite inuitat torus
Aut ripa frondens: ostro in Oebalio torum
Sibi cura sternit. Tutiùs repunt solo
Humiles myricæ, quàm comis superbiat
Intonsa cedrus. Marmoris molem strue
Inuisa cælo culmina; in cinerem ruet
Cuncta hæc vetustas. Nempe marmoribus edax
Sua fata tempus dixit: & quidquid diem
Adspexit, etiam noctis adspiciet vices.
Hoc nempe fato constat æterni Patris,
Hoc lege cæli, vt constet in terris nihil.

PROSA EXEGESIS.

Regia fortuna vanitas.

NON potuit Ecclesiastes magis ad institutum suum appositè pertexendam vanitatis telam ordiri, quàm à suo ipsius vitæ instituto, Regiâ scilicet maiestate, in quâ nec pauca & illustria insunt vanitatis argumenta. Nam quò maiora atque ampliora sunt in spe-

ſpeciem, quæ vulgus hominum plerumque ſuſpicit; eò maiora præbent atque ampliora documenta vanitatis. Ac inprimis ipſa maieſtas Salomonis tanta fuit, quantam eſſe decuit eam, quam ſacræ Litteræ paſſim velut ſymbolum diuinæ Maieſtatis vſurpant. Itaque non tantùm ex aureo illo eburneoque ſolio (cui nihil ſimile fuit in terris, aut ſecundum) ius vitæ neciſque in ſubditos nullo repugnante exercuit; ſed etiam longè lateque dominatus, tributa finitimis Regibus non inuitis imperauit. Maieſtatem non mediocriter auxit familiæ ſplendor, in quâ Regiis obſequiis addicta numerata ſunt quadraginta octo millia capitum: vt nihil mirum videri debeat, quod alioqui fidem excedit, cibum Salomonis fuiſſe in dies ſingulos triginta coros ſimilæ, & ſexaginta coros farinæ, decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes, exceptâ venatione ceruorum, caprarum, atque bubalorum, auiumque altilium.

Salomonis Regia maieſtas.

Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 2.

3. Reg. 4.

Hic igitur talis tantuſque, nihil vile, neque abiectum, aut Regiâ fortunâ indignum animo deſignans, publicis priuatiſque ædificiis nomen ſuum immortalitati conſecrauit. Quis enim ignorat templum illud omnium Gentium teſtimonio celeberrimum, cui excitando per tot annos quadringenta & vnum millia hominum, & nongenti, operam impenderunt? cuius vnus aliquis murus propemodum ad Italici milliaris longitudinem protendebatur, latitudo alibi ducentos pedes ſuperabat: cuius lapides è candido marmore nonnumquam tantæ magnitudinis erant, vt excauati, pro ædibus mediocri familiæ ſufficere poſſent; erant enim quinquaginta pedum longitudinis, vigintiquinque latitudinis, ſedecim altitudinis. Omitto Regiam

Salomonis ædificia.

non vnam, saxo decemcubitali, pro dignitate fortunarum Regis ac gentis, ædificatam, marmore incrustatam, cedro vestitam, auro insignitam.

Et quoniam omni genere magnificentiæ potentissimos omnium sæculorum Monarchas superauit, fingite hîc pretiosa ornamenta, siue platanum illam auream, quam Pythius Bythinius Dario Persarum Regi donauit, siue vitem illam nobilissimam, opus Amynthæ, cuius vuæ ex pretiosissimis gemmis erant coagmentatæ; siue aliud quid maius ex vicinorum Regum donariis conflatum.

Athenæus lib. 12.

Horti Salomonis.

Huc accedat hortorum amœnitas, quibus excolendis non minorem Salomon impendit operam, quàm aut Semiramis hortis suis pensilibus, aut Cyrus nobilissimis illis quondam plantariis. In iis autem tam concinnè omnia in pergulas opere topiario vestitas, in areolas puluilloſque disposita, vt pauimentum aliquod viuis coloribus tessellatum, & pulcherrimum artis cum naturâ certamen exhibere viderentur. Hîc spectare fuit flores exotico cultu & colore nobiles: hîc peregrini orbis germina: hîc arbores sub alio Sole & climate educatas. Cùm enim classibus suis vniuersum lustraret orbem, & eximiam haberet, Scripturâ teste, plantarum omnium cognitionem, quidquid natura habet illustre, his hortis complexus fuisse creditur.

Nec stetit in hac amœnitate nauseabundus animus: vilis erat formosissima illa naturæ maiestas, nisi etiam in subsidium ornamenti fabulæ adsciscerentur, & hinc populeis truncis, vario colore illusis, Heliades ramosa brachia protenderent, inde formosæ Daphnidis coma in frondes sese diffunderet, aliaque generis eiusdem amœnitatem in luxum verterent.

Sed

Sed nimius sum pro ratione instituti: ex reliquis pauca perstringam. *Armenta*, inquit, *& magnos ouium greges habui vltra omnes qui fuerunt ante me in Ierusalem.* Numerum non inibo; vos eum ex quotidiano familiæ dimenso (cuius antè memini) coniecturâ assequi potestis. Addo tamen equorum quinquaginta septem millia & sexcentos: totidem enim Scriptura commemorat. *Pecora Salomonis.*

Ac ne diuitias quidem eius ad calculos vocabo, non ignarus, nullam apud huius æui locupletes me fidem inuenturum: minores tantùm aliquot Regum thesauros attingam, ex quibus maiores Salomonis diuitias æstimare possitis. Cyrus, deuictâ Asiâ, auri pondo triginta quatuor millia, argenti quingenta millia talentorum, id est, quingentos nonaginta quatuor milliones, præter vasa aurea & argentea infiniti pretij, reportauit. Alexander, superato Dario, ducentos tredecim milliones retulit, & octingenta quadraginta millia ducatorum: & ex vnâ Asiâ vectigali quotannis sexcentos septuaginta septem milliones, & centum sexaginta millia ducatorum. Sardanapalus cum sexdecim millibus septingentis quinquaginta millionibus coronatorum in rogum se coniecit. His calculis tam stupendis maiores non opponam calculos, sed has tantùm Dei voces: *Diuitias & substantiam dabo tibi, ita vt nullus in Regibus nec ante te nec post te fuerit similis tui.* cetera Lectoris cogitationibus relinquam. *Diuitiæ Salomonis ex comparatione.* Plin. li. 33. cap. 3. Pineda in Salomon. præu. lib. 4. c. 19. 2. Paral. 1, 12.

Infinitus iam sim, si luxum conuiuiorum, ceteramque voluptatis pompam explicem. Omne genus venationis & aucupij Salomonis mensas exaggerasse, paulò antè diximus: nec minor in potu luxus fuit. Questus est aliquando Seneca de iis quibus gemmâ mini- *Conuiuiorũ Salomonis luxus.* Seneca de Prouidentiâ c. 3.

miniſtratur: quibus exoletus ſuſpenſam auro niuem diluit. & Plinius, Turbâ, inquit, gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, ac temulentiæ causâ tenere Indiam iuuat, aurumque iam acceſſio eſt. His paria, aut etiam maiora, tibi ante oculos conſtitue in mensâ Salomonis, præſertim cùm in Syriâ, teſte Cicerone, mos ille fuerit Regibus, vt aurea pocula gemmis pretioſiſſimis diſtinguerent.

Cicer. 4. in Verrem.

Muſica Salomonis.

Quid ego nunc pſaltrias ac fidicines illice formâ virgines; quid calamiſtratos comptuloſque ſymphoniacos commemorem? quorum plurimi ex Syriâ, Ægypto, & præſertim Alexandriâ, muſicis artibus inſtructi, venales eſſe conſueuerant: quos vti Eccleſiaſtes noſter *delicias filiorum hominum* indigetat, ſic & Agellius fiſtulatores, tibicines, fidicines, laſciuientium vocat delicias conuiuiorum.

Agell. li. 1. cap. 11.

Sed fruſtrà inſtar venatici canis Regiam Eccleſiaſtæ felicitatem ſuis veſtigiis perſequor, cùm vnico, quod ſubiicit, verbo omnia veſtigia ſua confundat, omnemque conatum meum eludat. Quidquid, inquit, *deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaueram.*

Salomonis felicitas vana.

An eſt aliquid vltrà, quod ad cumulum tantæ beatitatis addi poſſe videatur? Profectò tam illuſtris eſt ac ſplendida, tam in ſpeciem ſuauis hæc adumbrata felicitas, vt cordatiſſimo cuique fucum facere poſſit, niſi ille ipſe, qui exploratam illam penituſque perſpectam habuit, vanitatis eam condemnaret, *Vidi*, inquiens, *in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole.* An non idem nobis videri neceſſe eſt, ſi diſcuſsâ opinionum caligine, in rem ipſam mentis

tis aciem intenderimus? Dic enim, obsecro, vbi nunc palatia illa non marmore tantùm parietum & columnarum spectanda, sed etiam quà calcabantur pretiosa? vbi laquearibus auro illusis tecta ipsa fulgentia? iam insanæ illæ substructiones ne rudera quidem nobis reliqua fecerunt; nec amplius ex illâ ad miraculum stupendâ architecturâ curiosa ingenia colligunt, præter hoc vnum, Nihil esse opere aut manu factum, quod non aliquando conficiat atque consumat vetustas. Cic. pro M. Marcello.

Sed aliquando tandem receptui canamus, & iisdem, quibus antè, vestigiis Ecclesiastæ felicitatem retexamus. Nihil æquè in terris homines admirantur, quàm Regiam maiestatem, supremumque in omnes ius vitæ & necis: & tamen quo in pretio hanc maiestatem habebimus, quam aut in cineres redactam vilis vrna concludat, aut in putrido cadauere sarcophagus arrodat? Quid autem eximium habet illud supremum ius alienæ vitæ ac ne[illegible], cùm ne propriæ quidem vitæ necisque concedat arbitrium? Nónne de capite Iulij Cæsaris M. Brutus, cliens inprimis obnoxius, & Cimber quidam Tillius, homo ebriosus ac vilis, arbitria tulerunt? nónne de Crasso crudelis & insolens Parthus? Quid Caius Caligula? nónne postquam Lepidum iussit Decimo Tribuno præbere ceruicem, ipse Chæreæ præbuit? Neminem eò fortuna prouexit, vt non tantum illi minaretur, quantum permiserat. An verò nitentium agmen seruorum, & auro culta mancipia, longusque famulantium ordo, facit esse felicem? qui si vitiosi moribus sunt, aut instar locustarum sunt, aut pernicioſa domûs sarcina, & ipsi domino vehementer infesta: sin autem probi, quomodo ad alicuius gloriam aliena probitas pertinebit? Quid verò ampla palatia, *Regis fortuna vanitas.*

nisi curarum fraudiumque receptacula? Aut quid hortorum proderit amœnitas, si animus fuerit inserenus? Nec plus ad beatitatem momenti adferunt ingentes illæ diuitiæ, quæ, vti omnem excludunt calculum, sic omnem animi tranquillitatem. Quid enim aliud diuitiæ grauissimo Christi testimonio & maximo, quid, inquam, aliud diuitiæ, quàm spinæ, quæ curis animum lancinant, & cùm ad peccatum perttraxerint, quasi inflicto vulnere cruentant? Denique, vt ad conuiuiorum luxum descendamus, quid prosunt fercula patrimoniorum impendiis aut Prouinciarum vectigalibus condita? Profectò simul ac stomachum subierint, omnia eadem fœditas occupabit. Quid auro cælata pocula, gemmisque inoculata, aut, si mauis, tota gemmea? Sapienter illud à Poëtâ dictum est:

Luc. 8, 14. Gregorius Hom. 15. in Euangelia.

Iuuenalis Satyrâ 10.

——— *Nulla aconita bibuntur*
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Si hæc tanta, quæ tanto in pretio apud homines habentur, vanitatis damnamus; quo tandem loco habebimus inanem illum Musicorum concentum, & voces ad muliebrem inflexas mollitiem? Quid hæc solatij adferre possunt iis, qui non rarò è mediis voluptatibus ad æternum carcerem abripiuntur, *vbi erit fletus, & stridor dentium*? An non igitur summâ ratione concluſit Ecclesiastes: *In his omnibus vidi vanitatem, & afflictionem animi?*

Matthæi 8, 12.

Fortuna bona fallacia & pernicioſa.

Sed numquam id clariùs perspicitur, quàm cùm animis nostris luctuosam beatulorum illorum catastrophen (quæ nimisquam frequens est) cogitatione repræsentamus. Quemadmodum enim feras cum labore periculoque venamur, & captarum quoque illa-

Seneca lib. de Beatâ vitâ, c. 14.

rum

rum sollicita possessio est (sæpè enim possessores suos discerpunt) ita magnas habentes voluptates ac vanitates, non rarò in magnum euaserunt malum. Certè parum stabilis ac diuturna fuit Seruio Tullio sua felicitas, qui ex infimâ sorte in summum honoris culmen euaserat. Inuenta est enim ambitionis ac moræ impatiens filia, quæ per trucidati parentis cadauer impias ageret quadrigas. Nec multum sanè præsidij est in copiosâ familiâ, aut splendidâ amicorum manu. Fortunæ est ista turba, non Principis. Documento nobis sit Nero: qui rebus desperatis, vt se supplicio subduceret, cùm inter amicos percussorem quæreret, cunctisque fugâ dilapsis, neminem inuenisset cuius manu periret; Ergo ego, inquit, nec amicum habeo quemquam, nec inimicum? Prætermitto nunc illos, qui magnificis palatiis superbientes, *vocauerunt nomina sua in terris suis: & sepulchra eorum domus illorum in æternum*. Taceo illos, qui sic hortorum amœnitati cor affixerunt, vt præterrâ cælum despexerint. Noui in Belgio extitisse virum quemdam copiosum, qui cùm hortos cultissimos in vrbis pomœrio haberet, salute à Medicis depositâ, per hortum sellâ se gestatoriâ deferri curauit. Et, heu! crudele fatum, inquit, quod à tantâ me amœnitate diuellit! O Deus! numquam à te cælum petij; cur mihi inuides hanc terram? Sed frustrà voces ille blasphemas iactabat: neque terram impetrauit quam perditè cupiebat: an autem cælum, quod minimè cupiebat, obtinuerit, non iniuriâ quis dubitare potest. Si tantum mali ab innoxiâ, quam vocant, amœnitate; quid de diuitiis sentiendum, propter quas plerumque ferrum stringitur? Non referam hîc Polydori necem Poëtis decantatam: dicam potiùs, immensas Senecæ opes

Florus libro 1. c. 7.

Sueton. in Nerone cap. 47.

Psal. 48. 12.

Virgil. 3. Aeneid.

Lipsius in Vitâ Senecæ. (septuagies quinies centenà millia aureorum fuisse dicuntur) illecebram Neroni infa. li parricidij fuisse.

Pineda de Rebus Salomon. libro 4. c. 19. Dicam, quadringentos aureorum milliones Midæ & Crœsi (tantam enim prædam Cyrus diripuit) extremi exitij possessoribus suis causam dedisse. Nec minor ab epulis pernicies, certè multò promptior expectanda est. Nam, præterquam quòd morborum cohortem post se trahunt, nonnumquam etiam inter aurea gemmeaque vasa sanguine & veneno luditur. Videte quæ-

3. Reg. 13. so Amnonem iam temulentum Absalonis iussu confossum, mensas ipsas suo sanguine fœdantem. Videte

Iudith 14. truncum Holofernis ebrij cadauer in suo sanguine volutatum, & caput illud è Bethuliæ muris suspensum,

Ephes. 5. 18. omni Cicerone disertiùs clamans: *Nolite inebriari vino,*

Baronius ad annũ Christi 571. *in quo est luxuria*. Denique Rosimundam intuemini Helmigi scelerum suorum participi venenum auro propinantem, ipsamque ferro adactam, vt residuum exsorberet, postquam è parentis cranio, quod Alboinus maritus ad ludibrium auro incluserat, se vini haustu polluisset. Ad extremum, ne mollis effeminatorum voluptas à tam tragico luctu extremoque exitio immunis esse videatur, vnicum intuemini Sardanapa-

Athenæus libro 12. lum, quem cùm Arbaces, vnus è Præfectis, inter mulieres lasciuientem, & habitu cultuque mulieri quàm viro similiorem conspexisset, eò desperationis adegit, vt voluntariam sibi necem conscisceret. Et hæc est illa fortuna Regia? hic apex felicitatis? hæc diuinitatis æmulatio? hoc mortalium votum? Apage hæc vigilantium somnia. Ad alia cum Ecclesiaste transeamus, sicubi fortasse magis sincerum gaudium, magisque defecatum consequamur.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 12. Transiui ad contemplandam sapientiam, erroresque, & stultitiam (quid est, inquam, homo, vt sequi possit regem Factorem suum?)

13. & vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.

14. Sapientis oculi in capite eius: stultus in tenebris ambulat:

METRICA PARAPHRASIS.

AH! pereat quicumque ausus certare Tonanti,
Esse aliquid Regum nomina magna putat;
Et qui sidereis minitantia culmina tectis
Molitus, superis æmula facta parat.
Hic furor armauit bellacem rupe Typhœa
(Nunc spirantem ignes Trinacris Ætna premit)
Hic furor Enceladum, iaculatoremque Mimanta,
Quos belli socios fabula prisca facit.
Me quoque non dispar laudum furiata cupido
Vexit, & ignauam spernere iussit humum.
Pænè erat, Icario fierem vt noua fabula ponto,
Deque meo ferrent nomine nomen aquæ.
Molibus excelsis Solymæ dum culmina vinco
Mempheos, & quod vir femina struxit opus.
Dum solium solio, diademate vinco tiaras,
Et sceptris supero sceptra superba Ducum.

Dum mihi Pactolique, Hermique, Tagique fluenta
Prodiga diuitias deliciasque vomunt.
Hæc mihi maiestas humano culmine maior,
Visa fuit magnos posse decere deos.
Quò feror ah demens? quò me vehit aura Fauoni?
Quid mihi sors animos ah malesuada facis?
Quid genus Iäpeti, fæx terræ, fictilis vrna est,
Possit vt auctoris facta stupenda sequi?
Dat fortuna animos? Deus hanc animosque coërcet.
Ius habet in terras? Imperat ille polis.
Maiestate valet? Nutu hic percellit Olympum.
Sceptra vibrat? Sæuâ fulminat ille manu.
Imperij fines extendit? Ridet ab alto
Secta breui in puncto Regna superba Deus.
Cedite mortales: quid enim mera pulueris vrna est,
Possit vt auctoris facta stupenda sequi?
Sic ego vana gemens vigilantum somnia damno,
Dum sophiæ cupidum deuia rura tenent.
Vallis erat quâ populeis insibilat Eurus
Frondibus, ac tremulas ventilat aura comas:
Hîc me gramineæ compostum cespite ripæ
Hospita frondosi texerat vmbra Laris.
Hîc pius ardor erat Sophiæ nouisse Penates,
Errorisque vagas stultitiæque vias.
Suspirans Sophiam, Sophiam in mea vota vocabam,
(Fallebat vitreæ tædia murmur aquæ)
Donec lympharum sub murmure somnus amantem,
Et variis Icelon lusit imaginibus.
Tunc mihi visa fuit niueis Sapientia bigis
Tendere per textum versicoloris agri.
Ilicet excutiens torpentia membra veterno,
Inuolo in amplexus deliciasque meas.

Illa

Illa ſinu exceptum placidis circumligat vlnis,
Detergens mœſtis nubila luminibus.
Nec mora, percunctantem, ac dicere multa parantem,
Per liquidum admiſſis aëra vexit equis.
Lumine tum refugo viſi decreſcere montes,
Inque ſuos mergi culmina celſa ſinus.
Mox terram eripuere natantia nubila cælo,
Humentes Hyadum Pleïadumque lares.
Tandem Hyperionium ſuperauimus axibus orbem,
Qua ſub Amaltheæ ſemita lacte nitet.
Applauſere Deæ vaga ſidera: faßaque victam,
Occuluit roſeas Caſſiopæa genas:
Et canis Erigones motâ ſua gaudia caudâ
Prodidit: hic plauſus virginitatis erat.
Tandem luce nouâ micuit procul aula Tonantis,
Cuius erat Sophiæ pars ſatis ampla domus.
Hîc viridi ſmaragdo radioſque vibrante topazo
Septenâ ſerie ſculpta columna nitet.
Non illi ſudauit Ion, bimariſve Corinthus:
Doctior eximium dextera ſtruxit opus.
Tectum auguſtum ardet flammas iaculante pyropo;
Fulgurat in totâ lamina fulua domo.
Aſtrorumque pauit marmor cæleſte plateas,
Qualis ab Alpino frigore cruſta micat.
Interludit onyx operi, flammasque amethyſtus,
Et flammas adamas ſardonycheſque vomunt.
Cuncta ſtupens oculos dum flecto reflecto per aulam,
Quæ ſpecies oculos detinuere meos?
Hîc quidquid gremio complectitur Amphitrite,
Hîc videas quidquid lucida templa tenent:
Quidquid & Eois gemmantes roribus agri,
Et quos occiduis Phœbus inaurat equis.

Hîc

Hîc videas tenero cunabula præuia mundo,
Hîc ſimulacra, quibus nobile creuit opus.
Mille nitent ſpecies, & rerum mille figuræ:
Quin & quod nihil eſt, hic negat eſſe nihil.
Mens hæc feta parit, Sophia adiuuat Ilithyia,
Quoſque dedit partus, hos fouet alma ſinu.
Hîc vbi ſtellanti ſolio Sapientia ſedit,
Inſolitas roſeo ſparſit ab ore faces.
Erubuit Phœbus ſua lumina lumine vinci,
Erubuit Phœbi lumine caſſa ſoror,
Æterniſque ignes flammam occuluere minorem:
Vna fuit Sophiæ dicta flamma polo.
Hæc ſpeciem rebus, lucisque adflabat honorem;
Suppreſſit lucem lux tamen illa meam.
Intueor Sophiæ (quid enim ſpectare vetabat)
Stellantes oculos, & doluere mei.
Effundor cupidè per tot ſpectacula; verùm
Caligant nimium lumina paſſa iubar.
Senſerat hoc Sophiæ pia cura, iubarque reſorbens,
Atque homini propior, ſe minor, ora tulit.
Cerno, ait, ætherea nictantia lúmina flamma,
Mox erit in tenebris huic medicina malo.
Nec mora, præcipiti vacuum per inane volatu
Attonitum ignoto climate Diua ſtitit.
Non ita flammiuomis Phaëthon excuſſus habenis,
Vſtus ad Eridani præcipitauit aquas:
Non ita præpetibus Iouis armiger aëra pennis
Findit, vbi implumes ſollicitantur aues.
Redditus hinc terris (dederant nam ſomnia terras)
Conſpicor erroris ſtultitiæque Lares.
Lucus erat, cui vaſta Thetis circumflua, qualis
Fertur Vlyſſæas detinuiſſe rates.

Hîc si fortè vagis nebulosa per æquora portus
Obtigerit, terris altera cura manet.
Ecce tibi perplexa rubis, nemorosaque texta,
Et labyrinthæis compita secta viis.
Gnosidis hîc cùm nulla regant vestigia fila,
Luditur immensùm, conteriturque labor.
In medio spelunca nigro submota recessu,
Quam numquam auricomo sidere Phœbus adit.
Ingredimur sectam ramosa in compita noctem
(Præbebat Sophiæ prouida cura facem.)
Tandem iter implexum emensos per opaca viarum,
Excipit æthereæ lucis inane cauum.
Non roseas radiata genas ibi purpurat Eos:
Ast ignes fatui, vermiculique micant:
Qualiter in bustis fustrantur lumina flammæ
Dum regnat furuum nox adoperta caput.
Hæc habitat loca senta situ malè sobrius Error,
Deliri capitis, amphibiusque senex.
Vidimus exsortem lucis titubare per vmbras,
Dum pede semipedi claudus hiulcat iter:
Antra velut Siculus terebrato lumine Cyclops
Exploratrici lustrat opaca manu.
Hærebat lateri thalami pars blanda iugalis,
Annis disparilem quam sociarat Hymen.
Stultitiam dixere oculi sub fronte natantes,
Dissutæque genæ, & gutture risus hians.
Hos circum agglomerant vmbræ sine sanguine vulgus,
Plurima quæ stygio germina fusa specu.
Infera colluuies studiis operata parentum,
Stultitiæque graui turbine quassa caput.
Pars auidis fumos vlnis sectantur, & vmbras:
Pars tendunt volucri retia rara Noto:

Atque aliquis gaudet conchis educere bullas:
Atque aliquis læto murmure plaudit humum.
Hi ſubigunt ſteriles deluſis dentibus auras:
Hi ſibi delicias aſpidis oua coquunt.
Fallor? an Iſacides vili ſe pulte ſaginat?
Fallor, an hîc fallunt aurea vota Midam?
Sunt queis Siſyphei labor irritus impete ſaxi,
Sunt queis Tantaleo luditur amne ſitis.
Denique matriſſant natæ, natique patriſſant.
Me tamen haud vanè vana theatra docent.
Ludicra dum cupidam paſcunt ſpectacula mentem,
E tenebris oculos lux inopina ferit.
Nam quid diſſimulem? (ſemel inſaniuimus omnes)
In ſpeculo vultus intuor ipſe meos.
Non ibo infitias, quemuis rotat aura furoris:
Noſtraque cur lacrymis vita liqueſcat, habet.
Hîc ibam in lacrymas, cùm pulſa Hyperionis ictu
Frondea cum ſomno deſerit vmbra caput.
Tunc recolens pulſi ludibria vana ſoporis
Ingenio reperi pabula grata meo.
Quantum ſtultitiæ tenebris ſapientia diſtet,
Hoc vnum didici; cetera ſomnus erant.

PROSA EXEGESIS.

CVM nullam in Regiâ fortunâ beatitatem deprehendiſſet Eccleſiaſtes, ſed omnia vano faſtu gaudiiſque falſis permiſceri, ad Sapientiæ ſe caſtra tranſtulit, ſi fortè maior ex illâ felicitas in hanc vitam mortalem redundaret. Itaque vt olim, ita & nunc, *Optaui*, inquit, *& datus eſt mihi ſenſus: & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ: & præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Super ſalutem & ſpeciem*

Sap. 7, 7.

Vers. 10.

dilexi

dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inexstinguibile est lumen illius. Et quemadmodum olim pro luce & cynosurâ habuit sapientiam, quâ in hoc tempestuoso rerum humanarum freto vitæ cursum dirigeret; ita nunc etiam hoc interesse vidit inter sapientiam & stultitiam, quod inter lucem & tenebras, diem & noctem, lynceos oculos & cæcitatem.

Initium sapientiæ, nosse seipsum.

Et ecce primo statim intuitu, affulgente cælesti radio, in ipso vestibulo sapientiæ, tamquam in limine Delphici oraculi, inuenit documentum illud plus quàm Philosophicum, Nosce teipsum. Quod cùm altè eius animo insedisset, mox Regiæ fortunæ splendorem, quem non absque diuinæ maiestatis iniuriâ tantopere suspexerat, contempsit, ac pro nihilo habuit: & superbas cogitationes suas dementiæ accusans, cum gemitu exclamauit, *Quid est homo, vt sequi possit Regem factorem suum?* Quam sententiam vtinam vt chartis, sic mentibus omnium mortalium consignare potuisset! non tam facilè improbi, superbi, scelerati diuina iudicia ad iniquam arbitrij sui lancem reuocarent; non tam facilè, qui rerum potiuntur in terris, supremam Dei maiestatem contemnerent. Si pulueris ac luti sui originem intuerentur Principes ac Reges, non temerè in has voces erumperet Nabuchodonosor: *Quis est Deus, qui eripiet vos de manu meâ?* non tam proteruè iactaret Holofernes: *Sciat omnis gens, quia Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* non tam insolenter Israelitis exprobraret Rabsaces: *Nec Deus vester poterit eruere vos de manu meâ.* Denique si funestos eorum exitus, quos modò in medium produximus intueretur, non tam impudenter sese erigeret humana proteruia. Perhorresceret, credo, illorum supplicia,

Dan. 3, 15.

Iudith 5, 29.

2. Paral. 32, 15.

quorum insolentiam imitaretur; & cum superbo Antiocho iam vermibus scatente hanc palinodiam recantaret: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

2. Machab. 9, 12.

Sed redeamus in viam cum Ecclesiaste. *Vidi*, inquit, *quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.* Quibus verbis innuit, eximium quoddam lumen esse sapientiam, quæ proinde nulli rei aptiùs comparetur, quàm Soli, huius vniuersi oculo. Quemadmodum enim Sol oculorum, inquit Lactantius, sic sapientia lumen est cordis humani. Insistamus paulisper huic comparationi. Sol ille corporeus, dum cursu diurno orbem circuit vniuersum, quidquid in tenebris iacebat, luce suâ perfundit, & oculis nostris spectandum exhibet. Sed multò sanè luculentiùs multiplices naturæ opes expandit sapientia; &, quod illi singulare est, etiam abdita terrarum penetrat, quò nullus radiis solaribus datur accessus. Nec præsentis tantùm temporis fœtus, pulchramque rerum varietatem, quemadmodum sidus illud corporeum, nobis repræsentat; sed ad omnium sæculorum admiranda nos spectatores admittit, & omnium, quotquot orbe toto fuerunt, thesauros nobis communicat. Pulchrè ac subtiliter (vt omnia solet) hoc obseruauit Seneca. Ad res pulcherrimas, inquit, ex tenebris ad lucem erutas alieno labore deducimur: nullo nobis sæculo interdictum est: in omnia admittimur. Disputare cum Socrate licet, dubitare cum Carneade, hominis naturam cum Stoicis vincere, cum rerum naturâ in consortium omnis æui pariter incedere. Quænam illa felicitas est, ex omni retrò antiquitate delectum habere ingeniorum? familiares tibi reddere, quos quotidie consulas, quibuscum

Sapientia instar Solis. Lactantius lib. 2. c. 8.

Sapientia Soli præfertur.

Seneca de Breuitate vitæ c. 14. & 15.

buſcum de minimis maximiſque rebus deliberes, à quibus verum audias ſine contumeliâ, lauderis ſine ſimulatione, ad quorum te vultum moreſque conformes. Solemus dicere, non fuiſſe in noſtrâ poteſtate, quos ſortiremur parentes: ſed, ſi rectè ratiocinamur, nobis ad arbitrium noſtrum naſci licet. Nobiliſſimorum Sapientum variæ ſunt familiæ: elige, in quam adſciſci velis; elige, quem melioris vitæ velut alterum parentem dicas: non in nomen tantùm adoptaberis, ſed in ipſa bona. Siue Auguſtinum aliquem delegeris; inuenies qui te ſanâ doctrinâ fulciat: ſiue Hieronymum; ad intelligendos ſacros codices tibi facem prælucebit: ſiue Chryſoſtomum; omnipotentiâ quadam eloquentiæ inordinatis affectibus tuis dominabitur: ſiue Gregorium; præclaris eius inſtitutis ac documentis vitam tuam moreſque compones. Si rurſus ſacrarum Litterarum monimenta ſcrutari viſum fuerit, aut cum Moyſe naturæ, vt ita dicam, incunabula mundique primordia recognoſces, aut cum Euangeliſtâ Ioanne cæleſtibus ſpectaculis animum paſces, aut cum Regio Vate in laudes diuinas exſpatiaberis, aut in Iobo illuſtre par athletarum inuenies, & ſpectaculum ſapiente digniſſimum, virum fortem cum aduerſâ fortunâ compoſitum. Quid multa? viro ſapienti orbis patet vniuerſus, & omnia illi ſæcula ſeruiunt. Tranſiuit tempus aliquod? Hoc recordatione aſſiduoque ſtudio comprehendit. Inſtat? hoc ad ſolidarum virtutum mercatum vtitur. Venturum eſt? hoc ſolerti cogitatione præcipit.

Stultitia in tenebris verſatur.

Contrà verò ſtultus in tenebris inſcitiæ conſeneſcens, præteritum tempus ignorat, præſens operosè nihil agens diſſipat, & cùm nihil egerit quo ſe vixiſſe

teſtetur, futurum deſperat. In rebus gerendis non rationem, ſed impetum ſequitur: & cùm in fortunam impactus fuerit, ſubitò in medio turbine rerum obſtupeſcens quærit quomodo huc peruenerit. Si alios in conſilium adhibet, non veteres, illos quos dixi, conſulit, qui nihil dent auribus, ſed inſtar Roboami, præſentium, maximeque adoleſcentium adulatione recreatur. Hic in ipsâ carnificinâ ſe mitiſſimum gaudet prædicari, alius in rapinis liberaliſſimum, alius in ebrietate ac libidine temperantiſſimum. Si nullus adulantium plauſus circumſtrepit, ipſe ſibi ſtultus applaudit: & quantumcumque vitiis ſcateat, quidlibet tamen potiùs quàm ſeipſum mentiſque tenebras accuſat; ſimilis illi fatuæ, cuius ad Lucilium meminit Seneca. Harpaſten vxoris meæ fatuam ſcis hereditariũ onus in domo meâ remanſiſſe. ipſe enim auerſiſſimus ſum ab iſtis prodigiis. Si quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longè quærendus: meipſum intueor. Hæc fatua ſubitò deſiit videre. Rem tibi narro incredibilem, ſed veram. Neſcit ſe eſſe cæcam: ſubinde pædagogum ſuum rogat vt migret: ait domum tenebroſam eſſe. Hoc quod in illâ ridemus, nobis omnibus accidere certum eſt. Nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem quærunt: nos ſine duce erramus. Quare hoc tantum diſcrimen inter ſapientem ac ſtultum conſiderans Eccleſiaſtes, non immeritò cum guſtu aliquo atque approbatione ſapientiæ concluſit: *Sapientis oculi in capite eius: ſtultus in tenebris ambulat.* Sed ne ex hac ſapientiæ prærogatiuâ ſolidum gauderet gaudium, importuna mortis admonitio interuenit.

3. Reg. 12, 8.

Stultus adulatione delectatur.

Seneca Epiſt. 50.

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 14. Et didici quòd vnus vtriusque esset interitus.

15. Et dixi in corde meo: Si vnus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest quòd maiorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente meâ, animaduerti quòd hoc quoque esset vanitas.

16. Non enim erit memoria sapientis similiter vt stulti in perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter vt indoctus.

17. Et idcircò tæduit me vitæ meæ videntem mala vniuersa esse sub Sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus.

METRICA PARAPHRASIS.

POST gratos Sophiæ amplexus, blandosque fauores
Hausumque diæ conscium lucis iubar,
Nubila iam calcare gradu, celsoque micantes
Rebar ferire vertice astrorum domos.
Dicebam: Nunc me per Solis vtrosque penates
Dea centilinguis aureo curru vehet:
Et fastiditæ fugiam contagia terræ,
Tristesque lessos, funebresque nænias.

Hei

Hei mihi, quòd miſeros tot ſplendida ſomnia ludunt,
Beatitatis melle fucatæ oblita!
Ac velut illimis numquam deuoluitur amnis,
Humana nulli gaudia ad purum fluunt!
Æternaturos Sophiæ dum ſector honores,
Ingratus aurem vellicat præco necis.
Omne citans, inquit, nullo diſcrimine nomen
Lanifica ſimili Lacheſis inuoluit colu.
Siccine me ſtultumque eadem Libitina recondet,
Meritisque diſpar nomen exitio pari?
Cur igitur Sophiæ myſtes pallente lucernâ
Toties edaci tabui curâ miſer?
Quorſum Phœbeis frondent mihi tempora ſertis?
Hederæque ſacri verticis lambunt comas?
O vanum Pimplæa decus! vanæque Camœnæ!
Et litterarum turgidi faſtu greges!
Omnibus hoc fatum eſt, potare obliuia Lethes:
Nox vna doctum condet & ſtupidum caput.
Miramur fœtum ingenij, doctamque papyrum
Tenues per auras futili vitâ exui?
Marmoribus quondam exeſis monumenta fatiſcunt:
Trabeſque celſas vertit in cariem dies:
Splendida ſic rerum dum nomina proteret ætas,
Obliuionis alta nox cuncta obruet.
Dic vbi Niligenis gymnaſia nota Sophiſtis?
Vbi nunc Abellæ proditum antiquis ſophos?
Aut vbi quos Thecuæ ſapientia protulit orbi?
Aut quos Idumes docuit oraclum Theman?
Nil quidquam ſupereſt de tanti nominis vmbrâ:
Iacentque tumulo prorſus ignorabiles.
Sic doctum indoctumque eadem tegit vrna ſepulchri,
Et ſordet æquè maior ac minor cinis.

O vi-

O vita infelix! ô Lerna inuisa malorum!
Si vita dici meruit hoc mortis genus.
Quam quacumque vagos Titan agit æthere currus,
Aut luctus angit, aut pudenda vanitas.
Eluctere licet capita hæc, capita illa malorum,
Noua semper hydra fœnore insurget nouo.
O mihi quis tetricæ rumpat fastidia vitæ!
Mortale nil affecto: nunc cælum sequor.

PROSA EXEGESIS.

TRISTE haud dubiè ac permoleſtum accidit Eccleſiaſtæ, pronum iam atque incitatum Sapientiæ ad gloriam atque immortalitatem curſum, iniectâ mortis eamque ſecuturæ obliuionis admonitione ſuffl aminari. Cùm enim hæc inter ceteras non poſtrema Theologis noſtris occurrat ratio ſtabiliendæ animorum immortalitatis, quòd homo, quaſi diuinum quoddam animal, quidlibet animo fingat, & nouos in mente ſuâ mundos architectetur, quòd rationes rerum vniuerſales à materiâ, loco, ac tempore diuulſas, per ſe contempletur, quòd ipſa quoque obiecta, non vt amica ſenſibus, ſed ſecundùm proprias rationes, vt vera, ac æternis rationibus conformia ſibi repræſentet; denique quòd illimitatam quamdam ſortitus ſit intelligendi facultatem: æquum ſanè videbatur, vt qui animum à contagione carnis abductum in Sapientiæ palæſtrâ præ ceteris exercuiſſent, eoſdem æterna Sapientia à mortis, aut certè, quod proximum erat, ab obliuionis interitu vindicaret.

Sapiens morti & obliuioni obnoxius.

Leſſius de Immortalit. animæ, Ratione 1.

Hoc poſtremum ſibi perſuaſum habuit Seneca de vitæ breuitate diſſerens. Sapientis, inquit, multum patet vita, non illum idem, qui ceteros, terminus includit.

Seneca de Breuit. vitæ, c. 15.

dit. Solus generis humani legibus soluitur : omnia illi sæcula, vt Deo, seruiunt. Plus etiam innuit certamen illud opinionum, quod inter Stoicos reperitur: quorum nonnulli stultorum animas mox interire censuerunt, sapientum autem ad aliquot centena annorum millia quodam quasi immortalitatis genere donari. Sic enim Tacitus: Non cum corpore, vt sapientibus placet, extinguuntur magnæ animæ. Et apud Laërtium Cleanthes omnes permanere ait vsque ad conflagrationem mundi (quam, vt antè dixi, post trecenta millia annorum recurrere, tradit Iulius Firmicus) Chrysippus solas sapientum. Sed futile est illud Stoiorum discrimen, & vanum cerebri commentum. *Moritur doctus similiter vt indoctus, vnusque & stulti & sapientis occasus erit.* Fatetur hoc idem ille qui suprà Sapientes à communi lege eximere videbatur Seneca. Conditor ille iuris humani non natalibus nos nec nominum claritate distinxit, nisi dum sumus. Vbi verò ad finem mortalium ventum est, Discede, inquit, ambitio: omnium quæ terram premunt, siremps lex esto. Quid igitur? nullámne prærogatiuam habebit in terris animus ille tot studiis vigiliisque confectus? ille tot scientiis excultus? illud sapientiæ sacrarium? illud diuinarum humanarumque legum tabularium? illa communis vitæ norma, & spirans quædam lex? Nullam habebit. An nec illud saltem assequetur, vt vitæ breuitatem possit æternâ posteritatis memoriâ consolari? Ne illam quidem mercedem vitæ laudabiliter actæ natura cum sapiente pacta est. *Non enim erit memoria sapientis similiter vt stulti in perpetuum, & futura tempora obliuione cuncta pariter operient.* Quotusquisque est illorum sapientum, quos plurimos ante cataclysmum diuini-

Lipſ. Physiolog. li. 3. cap. 12.

Seneca Epist. 91. *Omnes morti obnoxij.*

uinitus instítutos esse non est dubium, cuius vel solum nomen sit ad posteros propagatum? Quis vel centesimum eorum Sapientum nouit, qui Homeri, Solonis, Pythagoræ, Platonis ætate innumeros sapientiæ candidatos celebritate nominis sui in Ægyptum, Chaldæam, Græciam, Italiam exciuerunt?

Scriptorum monimentæ intereunt.

Prætereà vt de iis loquamur, quorum nomina crebrò vsurpantur, vbi nunc liber Democriti de constantiâ? vbi alterum eiusdem opus de tranquillitate animi, quod egregium volumen vocat Seneca? vbi Panætij Stoici eâdem inscriptione liber, & alius item Hipparchi Pythagorici? Et ne nimis obsoleta producere videar, quàm multos Scriptorum laude claros commemorat Athenæus, & multò recentioris memoriæ Photius Patriarcha Constantinopolitanus, quorum illustria scriptorum monimenta æternâ obliuione sepulta sunt? Horum verò, quos hactenus litteratus aliquis ab obliuione vindicauit, nihil fermè præter nomenclaturam nouimus. Ceterùm albíne fuerint an atri, quo genio aut ingenio, quibus moribus aut rebus gestis, plerumque nescimus.

Photius in Biblioth.

Sed quòd decora nouimus vocabula, ait Boëtius,
Num scire consumptos datur?
Iacetis ergo prorsus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.

Boëtius de Consolat. lib. 2 Metro 7.

Et vt demus, Sapientum scripta omnia manibus teneri, ac in iis viuam animi effigiem nobis repræsentari; quàm diuturnum id futurum est? Maiórne spes cuiquam affulgere potest ingenij sui monimenta ab interitu vindicandi, quàm magnis illis eloquentiæ ac Philosophiæ principibus Ciceroni & Senecæ? Et tamen Orationes Senecæ, & Exhortationum libros, & librum

Lipsius in Vitâ Senecæ, cap. 10.

brum de Terræmotu, aliumque de Superstitione, & (quod maximè deplorant eruditi) Moralium libros, temporis nobis malignitas inuidit. Et vt alia Ciceronis præteream, nónne duo præstantissima eius ingenij deposita nescio quis casus, an fatalis quædam posterorum ignauia dissipauit? Consolationem scilicet de morte Tulliæ, in quâ paterno affectu stimulos acuente, seipsum vicit eloquentiâ; & sex de Republicâ libros, quo fetu non alium ipse teneriùs complexus est, aut maiore laude prosecutus. Si præcipuis summorum virorum monumentis obrepsit obliuio, quis reliquis eorumdem lucubrationibus æternitatem pollicebitur?

Vana est nominis immortalitas. Boëtius de Consolat. lib. 2. Prosâ 7.

Vt tamen demus hæc æternatura, cuius tandem pretij nobis erit hæc nominis immortalitas? Nam, vt ait Boëtius, si, quod nostræ rationes credi vetant, toti moriuntur homines, nulla est omnino gloria; cùm is, cuius ea esse dicitur, non existat omnino. Sin verò sibi mens benè conscia, terreno carcere resoluta, cælum libera petit; nónne omne terrenum negotium spernit, quæ se, cælo fruens, terrenis gaudet exemptam? Si denique læsæ maiestatis diuinæ rea æternis inferorum suppliciis mancipatur; quis tandem gloriæ sensus aut gustus ad miseros illos ex gratâ posterorum memoriâ redundabit? Quid enim Socrati, quid Platoni, quid Aristoteli, quid Zenoni, quid Senecæ, quid Ciceroni inter inferni cruciatus tot sæculorum encomia plaususque contulerunt? Laudantur vbi non sunt, ait Augustinus, torquentur vbi sunt. O misera mortalium conditio! ô triste calamitosæ huius vitæ fastidium! in quâ nec virtus, nec voluptas, nec temulentia, nec sobrietas, nec sapientia, nec stultitia, vanitatis ludibriis eximuntur. Si hæc omnis vita, quamcumque in partem te verteris,

Augustin.

vani-

vanitati obnoxia est; quæ tandem consolatio viris bonis est reliqua, nisi vt Deo se probent, æternisque rationibus vitam instituant, & sic demum postumam in cælo beatitatem præstolentur? de famâ in terris propagandâ nihil laborent, sequatur vel mala, dummodò bonam apud posteros mereantur.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 18. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, quâ sub Sole studiosissimè laboraui, habiturus heredem post me,

19. quem ignoro, vtrùm sapiens, an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui, & sollicitus fui. & est quidquam tam vanum?

20. Vnde cessaui, renuntiauitque cor meum vltrà laborare sub Sole.

21. Nam cùm alius laboret in sapientiâ, & doctrinâ, & sollicitudine, homini otioso quæsita dimittit: & hoc ergo, vanitas, & magnũ malum.

22. Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, quâ sub Sole cruciatus est?

23. Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nónne vanitas est?

METRICA PARAPHRASIS.

FATA si vanos Sophiæ labores
Arguunt, mentem quibus impolitam
Cordáque optaui radiis supernæ
Tingere lucis.
Quid miser, curis, macieque turpi
Comparo vermis lutulenta terræ
Dona? & insomnes studio minori
Dedico noctes?
Ite funestæ, stygiæ paludis
Filiæ exsangues, fera monstra, curæ:
Nec mihi vestrâ resonent tenaci
Compede crura.
Ergo me numquam radiis serenet
Phœbus innubi volitans quadrigâ?
Semper obstipam taciturna condent
Nubila frontem?
Quis furor mentem solio æuiterno
Debitam fœdo temerare limo, vt
Erutis mundi tumulo periclis
Turgeat arca?
Fœta quæ curis peperit cupido
Lucra, discinctus malè perdet heres,
Quem dabit consors thalami imminuto
Fortè cerebro.
Ille Therstites, decoris paterni
Degener sanguis, patrio labore
Instruet pompam statuæ superbæ
Splendidus Hermes.
Ille festiuis epulis gnathonum
Farciet ventres, patriique succi

Rore

Rore Lenæi laticis ſuaues
Condiet hauſtus.
Anne huic quidquam ſimile aut ſecundum
Inter hæc ludibria vanitatum
Phœbus emenſo referens quadrigas
Repperit orbe?
Ergo iam feſſus, reſidiſque anhelans
Pectore, in fluctus maris Adriani
Trado ſollertes Boreæ Notoque
Ferre labores.
Nam quid exhauſtos animos fatigem,
Peruigil ſi quod labor aggregauit,
Inter heredis digitos refuſum
Diffluit aurum?
Ingeni partum ſtolidus vorabit:
Otium fructus comedet negoti:
Vt fauos diæ ſpoliat meliſſæ
Nectare fucus.
Ille, quem gazis pauido incubantem
Pectore, examen ſtimulis laceſſit
Mille curarum laqueata circum
Tecta volantum,
Quos legit fructus animi ſubacti
Vomere ærumnæ? Quibus ille damna
Gaudiis penſat pereuntis æui, &
Luminis imbres?
Cura mordacem premit ægra curam,
Et catenati ſubeunt dolores
Culcitras ditum, vigileſque ducit
Purpura noctes.
O cauæ ſi cui pateant auari
Pectoris crates, quibus hic procellis

Sors inexpletæ furit in ruinam
Naufraga mentis!
Mitiùs fluctus glomerante Coro
Vnda per Syrteis fremit æstuosas:
Mitiùs pontum Libycis refringit
Eurus arenis.
Sic vagos diues gemit inter æstus
(O procellosæ pila vanitatis!)
Querneis arcæ tabulis sepulto
Pauper in auro.

PROSA EXEGESIS.

SI laborem ac studium sapientiæ impensum non absque censurâ vanitatis esse voluit Ecclesiastes, eò quòd in hac vitâ condignâ mercede frustretur; multò potiori iure curas illas, industrias, vigiliasque iam detestatur, quæ rebus fluxis & caducis, adeoque luto ac limo, vilissimisque terræ fæcibus, plerumque in gratiam ingrati heredis impenduntur. Hic autem non eorum tantùm qui auaritiæ, sed etiam qui ambitioni student, genius est, vt cùm aut opibus accumulandis, aut familiæ propagandæ dant operam, sibi omnia subtrahant, heredi omnia destinent. Vnde non inelegánter Phædrus:

Auarorum labores vani.

Phædrus lib. 4.

Tibi dico auare, gaudium heredis tui,
Qui tristis audis musicum citharæ sonum,
Quem tibiarum macerat iucunditas,
Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt:
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cælum fatigas sordido periurio.

Non absimile mihi hoc genus hominum videtur prægrandibus illis ac domesticis coruis, quos Sinarum Man-

Mandarini habent piſcationi adſuetos. Horum colla nodo ita laxo conſtringunt, vt nequaquam interclusâ reſpiratione, cibos tamen nec tranſmittere nec deglutire poſſint. Ita è caueis emiſſi ſeſe admirabili ſolertiâ in aquas immergunt, piſciculoſque minutos ore conceptos, maiores verò roſtro apprehenſos, domum idemtidem referunt. Sic miſeri illi, quaſi dæmonis emiſſarij, in gratiam aliorum prædis aſſiduis ac rapinis exercentur: iis etiam deteriores, qui ad metalla damnati ſunt; quibus poſt diurnos labores ſaltem nocturna ab opere ceſſatio eſt. Hi verò vel tum maximè ordinandis negotiis, ne dicam conſuendis fraudibus intenti, nullam quietis partem capiunt. Et cùm magnas opes ſiue iuſtis negotiis ſiue iniuſtis corraſerint, ne illud quidem à ſe poſſunt impetrare, ſaltem vt aliquod inde ſenectuti ſolatium accerſant. Noui ego in Belgio virum, qui cùm heredi futuro centena aureorum millia congregaſſet, ipſe ſeniculus fruſto panis & caſei onuſtus ſupra viginti milliaria Italica pedes conficeret. Cumque meridie refectionis causâ ad hoſpitium diuertiſſet, prolatis illis ſuis fruſtulis, hoc ſolum in ſumptum adiici voluit, vt caupo medium cereuiſiæ poculum ſibi promeret. Tum caupo: Hoc ſaltem, ô bone, genio tuo indulge, vt integrum promam poculum. nam filius tuus ante octiduum rhedâ magnificè vectus, cùm hac iter haberet, in ſe ſuoſque (liberaliter vino refectus) decem aureos vno prandio expendit: tu ſaltem ſeſquiaſſis ſumptum facere ne verere. At ille: Filius meus, qui mundi faſtum ſequitur, faciat quod ſe decet, mihi mea ſobrietas ſufficit. An eſt quidquam tam vanum?

Auarus genium ſuum defraudat. Maffæus lib. 6. Hiſt. Ind.

Sed illud longè indigniſſimum eſt, quòd plerum-

Auarus sæpè heredi degeneri laborat.

que omnis laboris induſtriæque fructus ad eiuſmodi deuoluitur heredem, quem ignores, vtrùm ſapiens an ſtultus futurus ſit; imò (vt ferè ſunt Heroum filij noxæ) quem ſcias iam fungum eſſe ac fucum, ſtipitem & caudicem, Hermæque trunco ſimillimum, aut, quod etiam deteſtabilius eſt, flagitiis omnibus coopertum. Nemo omnium qui ante Seuerum Imperio Romano præfuerunt, ditiores illo filios reliquit, ſed nemo turpiores, Baſſianum ſcilicet fratricidam & Getam. Sic & Ezechias ingentes illos theſauros, quos Legatis Babylonij Regis oſtentarat, degeneri prorſus ac flagitioſo reliquit Manaſſi. Nec vanus augur opprobrij familiæ ſuæ fuit Eccleſiaſtes. Satis enim parentis omen confirmauit, ſuamque ſtultitiam hoc vno reſponſo prodidit Roboam, quo decem tribuum iacturam fecit: *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.*

Sabellicus lib. 5. Enneade 7.

4. Regum 20, 21.

3. Regum 12, 10.

Heredes ſæpè prodigi ac decoctores.

Et hi tales vbi in congeſtos aceruos inſtar porcorum irruentes, cum Caligulâ pauliſper in auro volutati fuerint, ad luxum faſtumque paternis laboribus abuuntur; & quod parentil[illegible]oſt multorum annorum ſudorem theſaurus fuerat, [illegible]ſis penuria eſt. Cabrias, apud Athenienſes Princeps victoriis clariſſimus, omnique genere laudis florentiſſimus, opimam Cteſippo filio hereditatem reliquerat: ille tamen, poſtquam decoxiſſet, etiam lapides paterni ſepulchri (in quod mille drachmas populus Athenienſis impenderat) impiè prodegit. I nunc, & nocturnis diurniſque laboribus corpus exhauri, vt ingrati heredis luxuriam ſudoris tui ac ſanguinis impendio paſcas. I nunc, & curâ ſalutis poſthabitâ, per fas per nefas ingentes theſauros congere, ne deſit heredi quod diſſipet.

Athenæus lib. 4 c. 12.

At,

At, inquies, naturæ iura dissimulare nec possum nec debeo. Vincit me pietas, ius sanguinis compellit, natura ipsa, quasi iniectâ amoris manu, captiuum me trahit vinculis charitatis. An non affectum erga se meum extorqueant lacrymis perfusi consanguinei, & in splendidâ veste sordidati? annon filij suspiriis exhausti, & miserabili specie ægrotantis lecto circumfusi? Quid externo schemate planctuque commoueris? Simulata sunt hæc officia. Ne crede lacrymis, quas periculum recuperandæ salutis tuæ potiùs, quàm mortis, extorsit: dum præsentiam tuam sibi aduersari existimantes, obicem putant esse cupiditatis suæ quòd viuis. Ne crede raucis circumstantium suspiriis: corui sunt & vultures, cadauer expectant.

Saluianus lib. 3. contra Auarit.

Filiorum affectus sæpè simulatus.

Si tamen his omnibus paternus prævalet affectus, & in filiis cetera dissimulans, hoc tantùm attendis quòd filij sunt; cur non omnes, qui hoc nomine veniunt, in partem æqualem veniunt affectus paterni? Videmus enim fermè illos hereditate paternâ filios excludi, qui se diuino obsequio consecrarunt. Nullis à suis minus relinquitur, ait Saluianus Massilienſis, quàm quibus ob Dei reuerentiam plus debetur: nullos pietas minùs respicit, quàm quos Religio præcipuè commendat. Indigni iudicantur hereditate, qui digni fuerant consecratione: ac per hoc vnâ tantùm re viles parentibus fiunt, quia Deo cœperunt esse pretiosi. Ex quo intelligi potest, quod nullus pænè apud homines vilior sit quàm Deus, cuius vtique fit despectione, vt eos præcipuè filios spernant parentes, qui ad Deum cœperunt pertinere.

Parentum erga filios affectus inordinatus.

Saluianus ibid.

Sed negligamus hoc filiorum discrimen, quod Religio parit, & eos, qui in sæculo supersunt, magis tibi cu-

Parentes propter heredes propriam salutem negligunt.

ræ & cordi esse debere concedamus. Quid? tantopere cuiquam cordi erit filiorum opulentia, vt animæ negligatur egestas? An ita se totum filiorum negotiis impendet parens, vt numquam sit suus? O misera terræ mancipia! *Quid enim proderit homini*, ait Ecclesiastes, *de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, quâ sub Sole cruciatus est?* aut, vt ait Christus, *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Scitum est illud Comici, Omnes sibi melius velle, quàm cuiquam alteri. Quænam igitur hæc dementia est, cùm illicò citandus sis ad supremi Iudicis tribunal, posthabitâ salutis curâ, hoc solum vt animo voluas, quàm lautè heres tuus relictis à te opibus eat ventri litatum? An fortasse vereris, ne non satis profusè filius tuus helluetur, & à te congesta dissipet? Ne metue. vtinam tu tam saluus esses, quàm tua tibi atque heredi peribunt! Vis igitur fructum aliquem laboris tui decerpere? Quæ labor peperit caduca, tu misericordiæ operibus fac æterna. Laudent te, ait Hieronymus, esurientium viscera, non eructantium opulenta conuiuia. Sed quid heredi meo futurum est. O vanæ mortalium curæ! Illi nimirum nepoti, illi helluoni, illi gurgiti rogas quid facias? Hoc scilicet, quod Phoco filio suo fecit Phocion: qui cùm esset vir optimus ac sapientissimus, filium habuit vsque adeò vino deditum, ac moribus tam dissolutis, vt ne Spartanâ quidem disciplinâ ad saniorem mentem reduci potuerit. Cùm autem Menillus Phocionem, certum munus respuentem, rogaret, vt saltem Phoco filio illud acciperet; respondit: Phoco, si mutatâ vitâ ad frugem se receperit, patrimonium qualecumque sat erit. nam vt nunc quidem se gerit, nihil vmquam illi sufficiet. Præclarè

Matth. 16, 26.

Hierony. Epist. 8. ad Demetriadem.

Plutarch. in Phocione.

clarè docens, non luxui filiorum seruiendum, sed saluti: neque tantam eorum habendam esse rationem, vt propriæ salutis cura deseratur. quod satis etiam insinuat Ecclesiastes, dum subiicit:

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 24. Nónne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? & hoc de manu Dei est.

25. [a] Quis ita deuorabit, & deliciis affluet vt ego?

26. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam: [b] peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget, [c] & tradat ei qui placuit Deo: sed & hoc vanitas est, & cassa sollicitudo mentis.

[a] *Veneta sic habet:* Et quis iustiùs comedet, aut quis festinabit ad laborem meum magis quàm ego.

[b] *Tigurina versio habet:* Aberranti autem à recto itinere.

[c] *Symmach. & Campēs.* vt dentur illi cui placuerit Deo.

METRICA PARAPHRASIS.

Quis furor proprias vorare fibras,
Exsangues macie exarare vultus,
Noctes ducere nescias soporis,
Pistrinoque teri improbi laboris,
Vt fungus generis, patrique dispar
Fortunæ spoliis fruatur heres?
Dic, si nec graue, nec tibi molestum est,
Quisquis arbiter es beatitatis,
Dic, an non satius bonis potiri?
Et post tædia sordidi laboris

Securum placidæ vacare vitæ?
Quisquam viuere, dum potest, recuset?
Auri qui cumulo gemit reposto
Heredis memor, immemor suique
Sibi mancipij struit catastam,
Dignus perdere, quod negat fruisci.
At cui cænula dapsili paratu
(Iustum diuitis arculæ tributum)
Et fragrans genio litat Falernum;
Hic demum sapit, & sui potitus
Insigni Superum fauore gaudet.
Et quis iustiùs occupet labores,
Vectigalque suo imperet labori,
Massicumque, epulasque, sportulasque,
Quàm quem perpetuus labor fatigat?
Terram vomere quis secat colonus,
Nec dono Cereris famem saginat?
Quis vites viduis maritat vlmis,
Nec dulci recreat sitim Lyæo?
Hanc mentem Superi bonis, amoris
Hanc arrham dederunt, vt aucupentur
Vitæ tempora, prosperosque fluuis
Nummorum radijs dies serenent,
Iugi lætitiæ dies sacratos.
Sed quem tramite deuio vagantem,
Nummorumque cupidini dicatum
Irato Deus intuetur ore,
Huic mentis dedit improbæ flagellum,
Rodentesque dedit fouere vermes,
Insomnesque dedit fouere curas,
Vt fluuam, gremio abditus Cybeles,
Prædam diripiat vel ex Auerno:

Aut

Aut per naufraga regna fluctuanti
Merces Antipodum sequatur alno:
Aut turgentibus horreis, Libyssâ,
Quidquid verritur areâ, recondat:
Et cùm diuitias soli pararit,
Et cùm diuitias sali pararit,
Quin & diuitias Stygis pararit,
Partis diuitiis inops, fameque
Enectus tumulo inferatur exul,
Discincto bona transferens nepoti,
Aut quem fors Deus ipse surrogarit.
O vanissima cura vanitatis!

PROSA EXEGESIS.

TAMETSI nihil in hac vitâ mortali sit ex omni parte beatum, & quocumque te cogitatione conuerteris, in aliquem vanitatis scopulum impingas; opportuno tamen consilio interuenit Ecclesiastes, & aliquem saltem laboris industriæque fructum ostendit, quo se possit ex parte sapiens in hac tantâ acerbitate consolari: vt nimirum quæcumque assiduo labore, curâ, sollicitudine conquisiuit, verè solideque possideat, non autem ab iis ipse possideatur: vt diuitias apud se in seruitute esse iubeat, non in imperio patiatur: vt non tam illas suspiciat, aut stulto complexu stringat, quàm ad omnes vitæ opportunitates, atque omne genus obsequij velut ancillas emittat. Nihil est enim tam angusti animi, tamque parui, quàm amare aut suspicere diuitias: nihil honestius magnificentiusque, quàm pecuniam contemnere si non habeas, si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre, &, vt verbis Ecclesiastæ insistam, hilari animo minimeque

Diuitiis imperandum est.

Cicero libro 1. Officiorum.

Vtendum diuitiis.

meque contracto *comedere & bibere, & ostendere anim suæ bona de laboribus suis.* Verùm enimuerò, quid homonstri fuerit, cùm dies noctesque colligendis vitæ subsidiis incumbas, inter tot subsidia vitam pati contabescere? Primum igitur quod naturæ sat est (quæ moderatum exigit tributum) honestè ac liberaliter, non sordidè, neque cum gemitu concedatur.

Diuitiæ beneficentiæ & eleëmosynæ seruiant.

Sed quoniam auctore Deo philosophantem, ac diuino spiritu concionantem audio Ecclesiasten, plus innuere mihi videntur hæc eius verba, *ostendere animæ suæ bona de laboribus suis*, quàm comedere & bibere. Itaque & beneficentiam commendant, qui est alter diuitiarum fructus, & illam potissimùm, quæ pauperibus exhibetur: ex quâ quantum boni in animam redundet, nemo facilè cogitatione comprehendat. Inexhaustæ enim

Agapetus Epist. ad Iustinianũ Cæs.

sunt opes beneficentiæ, ait Agapetus: nam largiendo acquiruntur, & dissipando colliguntur. Quemadmodum scaturientes putei, tametsi multum exhauseris, ad

Clemens Alexand. lib. 3. Pædag.

pristinum statum reuertuntur, ait Clemens Alexandrinus: aut vbera, quò frequentiùs emulgentur, eò turgescunt magis.

Eleëmosyna fœnus animæ.

Sed longè vberior ab hac beneficentiâ fructus promanat, quoties in pauperibus Deo fœneramus. Parum

Chrysost. Homil. 34. in Genes.

argenti erogamus, ait D. Chrysostomus, aut esurientem pascimus, & horribili illo extremi iudicij die fiduciam consequimur, & audimus verba nulli regno conferenda: *Venite benedicti Patris mei: esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Nundinæ profectò quæstuosissimæ! vili nobis pretio constat quod carò vendamus, imò quod nullis diuitiis æquiparemus. Compendiosa negotiatio: panis fragmento, aut calici aquæ frigidæ, merces æterna rependitur. Denique tanta vis est

eleë-

eleëmosynæ, ait idem sanctus Pater, vt multâ cum fiducià suos in cælum introducat alumnos. Est enim cæli nota ianitoribus, sponsalis thalami fores obseruantibus. Nec tantùm nota, sed etiam venerabilis est: vnde cultores suos nemine repugnante introducet. Itaque hi sunt amici illi, qui, cùm defecerimus, recipient nos in æterna tabernacula: quos cùm operibus misericordiæ demeremur, non egenis largimur, ait Magnus Gregorius, sed patronis potiùs munera offerimus. Hom. 33. ad Pop. *Eleëmosynæ potentia.* Luc. 16. Gregorius lib. 11. Moral. c. 14.

Quemadmodum igitur apud Romanos rebus suis benè consulebant, qui patronos apud Imperatorem (quos etiam Reges ac dominos vocabant) aliquo munere sibi deuinciebant; ita rebus suis præclarè consulit, & animæ suæ bona ostendit, qui hos cælestes aulicos, & Christi vicarios, in communionem laboris & industriæ suæ adsciscit. Multoque certè melius hic rerum suarum satagit, quàm qui propriæ salutis immemor, & animæ suæ curam in postremis habens, totus in eo versatur, quo pacto labores suos ac sudores ingratis heredibus transscribat. Quam dementiam sic perstringit Propheta: *Non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ.* Et post pauca, *Simul insipiens*, inquit, *& stultus peribunt, & relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum.* Meritò hos tales stultitiæ condemnans, qui hoc vel ad causam, vel ad cumulum ruinæ suæ adiecerunt, vt relinquerent alienis diuitias suas. Quid enim tam stultum est, tamque perditum, quàm vt quis sibi de rebus suis non consulat, sed in propriam potiùs perniciem heredem locupletet? *Quis iustiùs*, ait Ecclesiastes, *ad labores meos festinabit*, id est, opibus à me conquisitis fruetur, *quàm ego?* Non omnino insulsè (quamuis propter intem- *Auarus se & salutem negligit.* Psal. 48, 8. v. 11. & 12. Eccle. 2. ex versione Venetâ.

Lampriđ. in Heliogabalo. perantem luxuriam flagitiosè) reſpondit Heliogabalus, rogatus an in tam profuſo luxu futurę nihil timeret inopiæ: Quidlibet, inquit, eueniat, dummodò partis fruar. cui enim meliùs heres fuero, quàm mihi & vxori? Sed potiori ratione hoc in re nobis propoſitâ ſic vſurpat Saluianus. Numquid poteſt cuiquam quidquam propius aut charius inueniri, quàm quilibet ſibi ipſi? Suam cuilibet veſtrûm animam, ſuam ſpem, ſalutemque commendamus. Et pios vos eſſe dicitis, cùm heredes diligitis? Ego verò contendo, nihil vobis inhumanius, nihil magis ferum aut impium dici poſſe, à quibus hoc impetrari non poteſt, vt vos ipſos diligatis. At filiis, nepotibus, amicis conſulitis. Eſto. Eſt enim charitatis plena excuſatio. Sed eſt modus in rebus, neque vllum cuiquam tam charum pignus, quod animæ præferatur. Iuſtius eſt igitur, aliquid heredibus deeſſe de patrimonio, quàm teſtatoribus de ſalute.

Saluianus lib. 3 ad Eccleſ. Catholi.

Hanc ſapientiam & ſcientiam homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus, vt ne cui meliùs de ſuis facultatibus conſultum velit quàm ſibi, &, quod inde conſequens eſt, ſolidam fundatamque *lætitiam. Peccatori verò dedit afflictionem & curam ſuperfluam, vt addat & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo.* Dignum ſordidâ illâ cupiditate ſupplicium: quod vt exigatur, nihil opus eſt Furiis diuinæ iuſtitiæ adminiſtris; ipſe ſibi tormentum eſt inordinatus animus, ſuoque malo, quod nutriuit ac peperit, contabeſcit,

Auarus ſibi ipſi pœna.

Claudian. lib. 2. in Ruffin.

Fœdáque auaritiæ complexæ pectora matris
Inſomnes longo veniunt examine curæ,

animumque in mille partes diſcerpunt. Nec intelligit miſer, inquit Cyprianus, ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auroque ſe alligatum teneri, & poſſideri magis, quàm

Cyprian.

poſſi-

possidere diuitias. Quare vilibus hisce de catastâ mancipiis, quæ catenâ & ferro circumducuntur, & ad omnem auaritiæ velut heræ suæ nutum se fingunt, meritò D. Bernardus abiectos animos sic exprobrat: Conformaris crumenæ tuæ, tamquam seruus dominæ suæ. Quemadmodum enim ille isti necessariò & congaudet gaudenti, & dolenti condolet; sic tu cum crescente marsupio tuo crescis pariter animo, & cum decrescente decrescis. Nam & contraheris tristitiâ, cùm illud exinanitur; & lætitiâ solueris, aut certè inflaris superbiâ, cùm impletur. Bernardus Serm. 21. super Cantica.

Sed crudeliùs etiam sæuit impotens illa domina auaritia, & quemadmodum olim Tamberlanes captum Baiazetem I. Turcarum Imperatorem vilissimis impendit obsequiis, & in luto ac cœno manibus pedibusque nixum, dorsum sibi equum ascendenti præbere iussit; sic auaritia quos sui fecit mancipij, in luto ac cœno conculcat, aut assiduis vilissimisque laboribus exercet. Neque enim miseri illi, quantum hactenus corraserint, sed quantum cupiditas, quæ infinita est, requirat, expendunt. *Auarus in luto versatur.* Iouius in Vitâ Baiazeti I.

Quo consilio autem tot se curis vigiliisque conficiunt? aut quo fine conquirunt, quod nullo fine coaceruent? nimirum vt quod genio suo subtrahunt, *tradant ei qui placuit Deo:* qui placuit, inquam, non tam moribus aut vitæ meritis (hoc enim minus habet vanitatis) sed designatione ac destinatione hereditatis; siue vt Chaldæa paraphrasis habet, *vt tradant illi quem elegerit Deus*, aut vt Symmachus, *cuicumque Deo placuerit*. At cui tandem? Pudet dicere. Non rarò fuco, fungo, nepoti, decoctori, ingrato, perfido, hosti, parricidæ. Sæpè quod auarus summâ congessit sollici- *Auarus alteri laborat.*

Ambrosius lib. 1. Officiorū, c. 49. *Decoctori.*

tudine, ait D. Ambrosius, præcipiti effusione dilapidat heres luxuriosus: & diu quæsita turpis helluo,

Helluoni.

præsentium cæcus, futuri improuidus, inexplebili quadam absorbet voragine. Profundissimus helluonum gurges olim fuit C. Caligula: & tamen quàm multi

Suetonius in Caligulâ, c. 38. *Ingrato.*

eum laboris ac sudoris sui scripserunt heredem? At ille pro gratiâ ludibrium rependebat, illusores vocans eiusmodi testatores, quòd post nuncupationem heredis viuere perseuerarent: multisque venenatas misit matteas, vt eos è medio tolleret.

Dion. in Tiber.

Eâdem ingratitudine Tiberius in miseros testatores grassatus est. Nam & Ruffum Geminium, à quo heres scriptus erat, in Senatu accusauit, in speciem quidem quòd mollis & effeminatus haberetur, re autem verâ vt hereditate potiretur. Quid enim causæ adferre potuit,

Sueton. in Tiber.

cur Cn. Lentulum Augurem è medio tolli curarit, virum Patritio genere, vitæque modestiâ ac virtute conspicuum? Nulla certè alia fuit, quàm quòd is eum heredem scripserat.

Hosti. Valerius Maximus lib. 7. c. 8.

Quid L. Valerium commemorabo, qui Cornelium Balbum hostem togatum expertus, à quo, præter ceteras lites, capitali crimine accusatus fuerat; præteritis aduocatis & patronis suis, solum reliquit heredem, nimiâ consternatione, quæ animum eius transuersum egerat,

Iouius in Vitâ. *Parricida.*

deprauatus. Quid porrò Baiazeti II. profuit, immensas opes Imperij Turcici congessisse? Nónne thesauros illos Selimo parricidæ filio reliquit, qui operâ Iudæi Medici veneno patrem è medio sustulit? Quid Visburi

Olaus Magnus li. 16. c. 44.

Gothorum Regi auaritiæ sordes profuere? nónne à propriis filiis, quibus eâ de causâ contemptui fuit, cum totâ familiâ flammis absumptus est?

Quæ omnia cùm per se vanissima sunt, tum illa po-

potissimùm grauem scelerum vindictam inter Christianos arguunt, cùm testatores quidam, qui filiis carent, tantâ cæcitate caligant, vt opes suas malint externorum luxui, quàm propriæ saluti subseruire. Hinc licet semine sanguinis sui careant, ait Saluianus, quærunt tamen quoscumque alios, quibus substantiam propriæ facultatis addicant: quibus vmbratile aliquod propinquitatis nomen inscribant, quos sibi quasi adoptiuos imaginarij parentes filios faciant, vt in locum eorum, quæ non sunt, pignorum, perfidiâ generante succedant. Ac sic miseri cùm filiorum vinculis non constringantur, ipsi sibi vincula fabricant, quibus à subsidio propriæ salutis arceantur: & cùm vis domesticarum necessitudinum nulla sit, foris discrimen arcessunt: & licet causæ desint periculorum, ruunt tamen velut in interitum voluntarium. Procul hanc à se arcebit amentiam, quicumque diuino munere perspectum habuerit, neminem sibi, quàm se, chariorem esse; neque vlli rei potiùs labores suos, quàm æternæ quieti ac saluti, seruire debere.

Auarus luxum externorum propriæ saluti præfert.

Saluianus lib. 3. ad Eccl. Cath.

SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT TERTIVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 1. Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cælo.

2. Tempus naſcendi, & tempus moriendi.
Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum eſt.

3. Tempus occidendi, & tempus ſanandi.
Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi.

4. Tempus flendi, & tempus ridendi.
Tempus plangendi, & tempus ſaltandi.

5. Tempus ſpargendi lapides, & tempus colligendi.
Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.

6. Tempus acquirendi, & tempus perdendi.
Tempus cuſtodiendi, & tempus abiiciendi.

7. Tempus ſcindendi, & tempus conſuendi.

Tem-

Tempus tacendi, & tempus loquendi.
8. Tempus dilectionis, & tempus odij.
Tempus belli, & tempus pacis.
9. Quid habet amplius homo de labore suo?

METRICA PARAPHRASIS.

NON *semper imbres nubibus exciti*
Campos inundant, aut Aquilonibus
Concussa spumosis frementeis
In scopulos ruit Amphitrite.
Quandoque vultus ridet amœnior
Cæli atque ponti, dum silet Æolus,
Et Phœbus innubi sereno
Flammiuomis equitat quadrigis:
Nec semper agrorum Othrysiæ niues
Obsessa stringunt marmore viscera.
Mox aura torpentes Fauoni
Euocat imperiosa flores.
Sic cuncta voluens orbita temporum
Discriminato digerit ordine,
Suisque limitata metis,
Pegaseo vehit hora cursu.
Est tempus, almi cùm iubar ætheris
Salutat infans, atque veteri moras
Perrumpit: est tempus perennes
Cùm tumuli redit in tenebras.
Quandoque seris poma nepotibus
Plantat colonus sidere prospero:
Quandoque & euulsos labores
Dat rapidis alimenta flammis.
Dum sæua Enyo spicula fulminat,

Est

Est vt Gradiuo victima corruat:
Est vt repercusso furore
Pelias hasta ferat salutem.
Est inuidendos cælitibus lares
Fastidioso qui pede proruat:
Idemque mox palatiorum
Marmora marmoribus coronat.
Nunc rore salso flumina depluunt,
Genasque oberrant: nudaque pectora
Plangentium tundunt lacerti,
Nunc radij melioris astri
Frontem expeditam nubibus hispidis
Risu serenant instabili vice:
Plausuque supprimente planctum
Bassaridum volitant choreæ.
Est cùm potentes marmoreæ domus
Disiecta campis rudera dissipant:
Lectisque mox superbiorem
Ruderibus decorant ruinam.
Quandoque tempus Cypridis obuius
Vlnis potiri, & connubij fide:
Quandoque fastidita sordet
Idalio Cytheræa nexu.
Nunc Antiatis munera congeres
Amica diuæ: nunc pede proteres,
Aut rapta planges, dum seuerâ
Fronte minax caperabit ora.
Est qui superbæ coccina dissecat
Pertæsus Aulæ: mox animi vagus
Vanusque, gaudet consuendis
Syntheſibus renouare fastum.
Non hora quæuis tuta silentio:

Nec

Nec rara linguæ culpa volubilis:
Ast omne punctum promeretur
Apta catus dare frena voci.
Est tempus, arcto dum Charitum parens
Mentes amoris fœdere glutinat:
Est cùm theatrales nouercas
Corda odiis furiata vincunt.
Quandoque Medi fulgur acinacis,
Et Martis vrbeis buccina territat:
Mox pacis interpres vireſcit
Compoſitis animis oliua.
O caſſa fructu tempora! labilis
Pudenda vitæ ludibria! his labor
Iactatus æſtuat procellis
Per liquidum nebularum inane.

PROSA EXEGESIS.

SI tanta nobis in hac vitâ mortali rerum temporumque viciſſitudo propoſita eſt, tantaque pugnantium inter ſe voluntatum ſtudiorumque conuerſio; magnopere aſſentior illi Comico, qui inſtabilem vanitatis noſtræ conditionem his verbis expreſſit: Dij nos homines vt pilas habent. Atqui quàm multiplex homini, quamque inſtabilis ſit vitæ ratio; & quot ab omni parte fluctibus infeſtetur, numquam ſatis pro dignitate dici, ac ne cogitari quidem poteſt. *Vita hominum inconſtans.*

Primùm enim fortuna, varietati ſemper amica, conſtantiam reſpuit, inquit Cicero. Niſi hanc fortè conſtantiam vocare velimus, quòd, vt ait Plinius, has vices habeat conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecundis, ex aduerſis ſecunda naſcantur. In quo illud ad cumulum infelicitatis accedit, quod ait Pindarus: *Fortuna adfert inconſtantiam.* Cic. lib. 2. de Nat. deor. Plinius in Panegyr. Traiani.

Pindarus Pyth. Od. 3. Vnum ad bonum mala bina partiuntur mortalibus immortales.

Tempus mobile varietatem adfert. Deinde tempus ipsum naturâ fluxum ac mobile, dierum noctiumque, frigoris & æstatis vicissitudine semper alternat. Vt autem temporum, sic & vitæ sunt quædam vices: & vt nox suum sibi spatium vendicat, ita vitam nobiscum somnus, id est (vt ego quidem sentio) mors altera partitur.

Mundus ipse inconstans. Denique mundus ipse quantus quantus est, quid aliud est, quàm æstuarium quoddam alternis incrementis ac decrementis reciprocum? Æstuarium dico? imò vastum quoddam pelagus, nunc fluctibus intumescens, nunc malaciâ torpens, nunc ventis contrariis, atque inter se tumultuantibus, infestum: nec eâ tantùm parte, quam inexplebilis hominum cupiditas nauibus peruiam fecit, procellis agitatur; sed atrocioribus etiam, quâ parte habitabilis est, atque adeò in ipsis Regnorum Rerumque publicarum visceribus, tempestates excitat.

Hominis animus varius & inconstans. Quæ omnia licet per se vanissima sunt, ipsique homini peracerbum in tantâ rerum temporumque varietate iactari; nihil tamen in hac vanitate rerumque vicissitudine tam vanum, tamque inconstans est, quàm ipse humanus animus præsentia semper fastidiens, & ex futuro pendens: nec mitiùs cupiditatibus, quàm fluctibus & procellis iactatus. Theatrum huius vniuersitatis, si placet, ante oculos constitue, hominesque pugnantibus inter se studiis, nec semper iisdem, distractos intuere: inuenies alios fastidio sui languentes, ad noua suspirare solatia, alios ad speciosam professionem alligatos, & sub ingenti titulo laborantes, hoc agere, vt iugum excutiant, & sibi vacent: alios

assi-

assiduâ mutatione propositi fluctuantes(vt viduæ mulierculæ ad defunctos solent maritos) ad id suspirare quod reliquerunt.

Adiice illos qui, vt ait Seneca, non aliter,quàm quibus difficilis est somnus, versant se in omnem partem, donec lassitudine quietem inueniant, statum vitæ subinde formando ; in eoque nouissimè manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad nouandum pigra deprehendit. Seneca de Tranquill. animi,c.2.

Adiice etiam illos, quos animi, votorum exitum non inuenientis misera torquet iactatio : dum nec cupiditatibus suis imperare, nec obsequi possunt. Vnde paulatim languens, obrepit cunctatio vitæ parum se explicantis, & inter destituta vota torpentis animi situs.

Alios deprehendas perpetuis amicorum offensionibus & conciliationibus alternantes, & modò eos odisse quos arctissimè sibi deuinxerant, modò eorum, quos abdicarant, desiderio contabescere. Sic Alexander modò in Clitum sibi chariſſimum excandescens, inter epulas eumdem confodit, modò eius desiderium non ferens,ipse mori voluit. Sic Andronicus Imp.quos heri complexus intimorum consiliorum consortes habuerat,mox in eosdem atrociſſimè sæuiebat. Quinimò videre erat eumdem vno die (quod de Nauarcho Xerxis memoriæ proditum est) ab illo laudari,& conuitiis proscindi : coronari, & securi percuti. Curtius lib. 8. Nicetas in Andronico.

Sed plerosque hominum sui torquet impatientia, & nusquam residentis animi volutatio. Si vitam laboresque suos Reip. consecrarunt, se sibi ereptos esse conqueruntur : ad otium adspirant, & cum Augusto aliquando se victuros sperant. Simul atque tamen odio

infelicitatis operoſæ ad otium profugerunt, ô quæ tormenta parietibus ſuis imputant, dum animus ad ciuilia erectus, & agendi cupidus, in ſuâ ſolitudine contabeſcit? Iidem ſi cum aduersâ fortunâ conflictantur, quibus non lamentis infelicitatem ſuam deplorant? quas non tragœdias excitant? Si tamen fortuna nouercam exuerit, & blandior arridere perrexerit; non minus felicitatis ſuæ faſtidio ſuſpirant, quàm antè calamitatis impatientiâ torquebantur. Quid, quòd nec deliciæ, nec voluptates ſemper placent? & nonnumquam ipsâ delectatione ſuauiùs irritantia delectant? Vt vlcera quædam, ait Seneca, nocituras manus appetunt, & fœdam corporum ſcabiem delectat quidquid exaſperat: non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates velut mala vlcera eruperunt, laborem & vexationem eſſe voluptati. Et quemadmodum Achilles ille Homericus Patrocli funere mœſtus, modò pronus iacet, modò ſupinus, modò in latus incumbit, modò ſe in pedes erigit; ita proprium eſt ægrientis animi, nihil diu pati, & mutationibus vt remediis vti. Hinc vagæ peregrinationes, modò per amœna Campaniæ littora, modò per horridos Bruttiorum ſaltus, & poſt ruris ſolitudinem vrbanus iterùm plauſus, & raucum fori murmur arridet, & humano ſanguine pinguis arena, & ſpectacula ſpectaculis mutantur.

De Tranquillitate animi, c. 2.

Hoc ſe quiſque modo ſemper fugit,——

ait Lucretius. Sed quid prodeſt, ſi non etiam effugit? Sequitur ipſe ſe, & vrget grauiſſimus comes, nec ſui, nec vllius rei diutiùs patiens, donec tandem faſtidio incipit eſſe vita, & ipſe mundus; & ſubit illud tabidarum deliciarum, *Quouſque eadem?*

Quod autem de otio ac negotio, de amore & odio, de

de lætis ac triſtibus diſſerüi, idem in bello ac pace, idem in congregandis ac diſſipandis opibus, ceteriſque quæ recenſet Eccleſiaſtes, locum habet, nimirum hinc manifeſtè exploratam penituſque perſpectam haberi vanitatem ſemper fluctuantis, & in nullâ re creatâ acquieſcentis animi. Nam ſiue fortunæ obſequitur, ſiue huius mundi æſtu ſe ferri permittit, ſeu denique ipſe ſibi & cupiditatibus ſuis indulget; omnia tempus habent, & breuiſſimis ſpatiis alternant ſingula. O ludicra vanitatis pila! ô triſte mortalis vitæ faſtidium!

Et quis tandem huic tantæ ægritudini faciet medicinam? Non alius certè feliciùs, quàm diuinâ gratiâ confirmatus ipſe ſibi animus; ſi nimirum faſtidium in æquabilitatem, varietatem vertet in conſtantiam: & idem ipſe ſemper, ſuique ſimilis, erecto excelſoque vultu vtramque fortunam intueatur; & cùm nihil hîc diuturnum eſſe ac ſtabile deprehenderit, *Animus conſtantiâ firmandus.*

Speret infeſtis, metuat ſecundis
Alteram ſortem benè præparatum
Pectus, ——— Horatius l. 2. Od. 10.

ſciatque nihil non timendum eſſe felicibus, nihil infelicibus deſperandum.

Alterum etiam remedium ſuggerit Nazianzenus, vt inter huius vitæ fluctus, rerumque omnium viciſſitudines, æternis rationibus nixi, anchoram in Deo figamus, eius nutum ſequamur, eius promiſſis velificemur, & humana cuncta vento leuiora exiſtimantes, ad æternæ vitæ portum contendamus. Idipſum diſertè nobis commendant ſolemnes Eccleſiæ preces, quæ, dum hæc ſcribo, ſic habent: Deus, qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis; da populo tuo id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis: vt inter mun- Nazianzenus Orat. 16. *Mens in Deo figenda.* Dominicâ IV. poſt Paſcha.

danas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia. Sed redeamus in viam, & à deſultoriâ ſtudiorum inconſtantiâ ad naturæ contemplationem nos transferamus.

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

[a] *Alij*, occupationem,

VERS. 10. Vidi [a] afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, vt diſtendantur in eâ.

[b] *Sine* pulchra

11. Cuncta fecit [b] bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.

METRICA PARAPHRASIS.

DOTALES aditura ſtygis Proſerpina campos,
Fraude Dionæa viridaria nobilis Ætnæ
Dum fati ſecura petit (ſi fabula poſcit
Priſca fidem) iunxere gradum, quæ Mænala terret
Venatrix, quæque anguicoma Pandionis arces
Gorgone tuta tegit: circum vndique Naiades errant:
Idalis ipſa chorum ducit, Zephyrique tepentis
Occupat afflatu iam pubeſcentia prata.
Hîc ſtupefacta cohors, viſuſque per omnia ducens,
Secta volubilibus miratur Eloria riuis:
Miratur nemus exuuiis & honore comarum
Luxurians, quod Phlægra ſuis veſtiuit opimis:
Miratur pictis vernantia floribus arua,
Addubitans quæ prima metat decora inclyta Floræ,
Pollice quem tenero veris populetur honorem.

Hæc

Hæc ſociare roſis candentia lilia gaudet;
Illa tuos Narciſſe, tuoſque Hyacinthe dolores
Vngue ſecat recolens: hæc textilibus calathiſcis
Conſtipat violas, ſertis hæc tempora obumbrat;
Hæc oculos formâ, nares hæc paſcit odore.
Haud aliter quiſquis terras, cælumque profundum
Circuit obtutu, qua ſubtrahit inuidus axem
Antipodum, & latè Finitor diuidit orbem,
Æternæ mentis decora alta ſtupore ſilenti
Proſequitur; nec iam Sicana aut Theſſala Tempe
Ætnæoſque ſtupet ſaltus, ſed quælibet orbis
Ora loquax ſpeciem maieſtatemque fatetur,
Artificisque ſuper molitur laude laborem.
Singula nempe Deus pulchrum, pulcherrimus ipſe,
Finxit ad exemplar, Diâ quod mente repoſtum
Condita felici ſignauit tempora partu,
Tempora fatorum æternus quæ fixerat ordo.
Aſpice ſidereis flammantia tecta pyropis.
Hîc Hyadum ſparſit glomerabile ſideris aurum,
Hîc nautis Helicen, & tardi plauſtra Bootæ,
Hîc noctisque duces, orbisque infixit ocellos:
Hîc furuam noctis Phœbæâ lampade pallam
Diſſipat, ac rebus formoſum adſpirat honorem.
Aëra quis vaſtum exiguo conſtringere verſu
Audeat? hinc nobis vitæ ſpirabile munus,
Roridaque exſuccas impregnant nubila terras:
Hîc ſe puniceo Thaumantias ornat amictu,
Illudens Phœbi radiis, quos diuite cultu
Mentitos oculis iubet obiectare colores.
Hîc fragor, eliſis hîc fœta tonitrua flammis,
Viſcoſaque faces ferali crine minantes,
Numinis imperium maieſtatemque loquuntur.

Quid

Quid mare veliuolum memorem? quàm commoda, vento
Auſpice, diſſectis miſcet commercia terris?
Nunc age, quàm pulchro decoratur ſyrmate, quamque
Terra parens frugum vario pubeſcit in herbam
Germine? quot pingit vernantia floribus arua?
Quantâ fruge beans auidi rata vota coloni
Poſt glandes Dodona tuas, Cerealia dona
Congerit, Hyblæoſque fauos, laticemque Lyæum?
Parua loquor. Patulis circumfer lumina terris,
Quælibet ora dabit Teumeſſia, quælibet hortos
Alcinoi, nec Syrtigenam ſola Africa loton
Oſtentabit ouans, nec Olympi Lydia nectar,
Nec ſola Heſperidum carpet mala aurea Lixos.
Quælibet illecebris pars orbis, & illice cultu
Attonitos rapietque oculos, rapietque palatum.
Hoc Pater omnipotens hominem ſpectare theatro
Diuinæ monimenta manus, cauſasque ſtuporis
Iuſſit, & occultos naturæ duxit in auſus.
His ſtudiis mortale genus, taboque ſilenti
Carpitur, ingenij dum ſe pernicibus alis
Ignea vis animi doctis exercita curis
Erigit, & carnis negat indignata teneri
Carcere; nunc vaſti tranſſcendens mœnia mundi,
Stellanteſque domos, nunc ſeſe Tethyos abdens
Fluctibus, & liquidi ſcrutans ſecreta profundi,
Nunc vltra Heſperiam, Soliſque cubilia Gades,
Auriferam viſens Peruën, nunc littus læuæ,
Nunc ſola Iaponios nobis obuerſa prementes.
Scilicet ingenuis pudor eſt, neſcire quod vſquam eſt:
Suſpiciunt monimenta orbis, cauſasque latentes
Rimantur, ſtimulatque animos prurigo ſciendi,
Lumina nec dulci patitur nictare ſopore.

Sed

Sed tamen, ô rerum caligo! ô mersa tenebris
Causarum series! quantum est quod nocte sepultum
Prodet sera dies! Quis enim (licet abdita mundi
Deuexum in senium tenero meditetur ab vngue)
Naturæ comprendat opes? Quo pondere tellus
Pendula libretur, quo fluxerit æquor ab ortu,
Vnde salo superent riui, laticesque scatebris,
Quid pelago cæloque, vt Luna reciprocet æstus
Alterno vndarum libramine, quantula quantum
Pupula comprendat spatij, obtutuque sub vno
Multiplices rerum formas discriminet, vnde
Per labyrinthæos flexus fragor occupet aures,
Quantum iter in terras radiis Hyperionis, vnde
Mille trahat varios Iunonia virgo colores,
Quæ manus impellat ventos, aut carcere frænet,
Denique, sidereis numeret quot sedibus astra
Stellantes nox picta sinus. Mens pondere tanto
Obruitur, nimiaque indagine lassa fatiscit;
Nec tamen optatâ recreatur imagine veri:
Naturæ licet vsque putet ter maximus Hermes
Exploraſſe adyta, aut stellis candentibus aptum
Torserit axem humero cælorum conscius Atlas.
Sed venient seris labentia tempora sæclis,
Cùm non vnus Atlas propiùs caput inserat astris,
Ductilibusque tubis radios geminaque dioptra
Transmittens, oculis vires arcessat ab arte.
Tunc Solem adspiciet sparsâ ferrugine tingi:
Æmula tum Phœbes Veneris lunata stupebit
Cornua, Phœbea sensim coëuntia luce.
Tum Iouis insolito numero sua pila satelles
Eriget, astriferâ Regem statione coronans.
Nec tamen idcircò penetralia nosse licebit

Diuinorum operum nimio ſubmota receſſu.
Caligo eſt, quod ſcire datur. Lux craſtina luce
Plus ſapit heſternâ: nocti nox addita noctem
Exuit, & mentem perfundit lumine. Sic nos
Siſyphio exercet docta ignorantia ſaxo.

PROSA EXEGESIS.

O MISERA mortalium conditio! quid tandem in rebus humanis expetendum cenſebimus, ſi non minus in pertinaci conſtantiq́ue labore vanitatis, quàm in deſultoriâ ſtudiorum inconſtantiâ reperitur. Vidimus præcedenti Sectione perpetuam in tantâ rerum ac ſtudiorum viciſſitudine iactationem: nunc autem non minus animi tormentum exiſtit ex pertinaci planeq́ue inexplebili ſciendi cupiditate: quam cùm huius vniuerſi Conditor eximiâ mundi pulchritudine in animis noſtris excitet, neque vmquam liquido veritatis fonte reſtingui patiatur; quid aliud, quàm Tantali cuiuſdam à nobis ſupplicium repoſcit? Atqui nihil eſt in hac rerum vniuerſitate tam minutum, ait Ariſtoteles, tamq́ue vile, aut abiectum, quod non cùm ingentem in animis noſtris ſciendi pruritum excitet, tum verò in ſtuporem nos rapiat, & auctoris ſui commendationem. Et quod Heraclitum Tarentinum dixiſſe ferunt, cùm in caſam quamdam furnariam diuertiſſet, Introite, ſunt hîc etiam dij; hoc in minimis etiam naturæ operibus ſentiendum, in quibus multiplex radius diuinæ perfectionis elucet. Nam, vt rectè notat Bernardus, potentiſſimè ex nihilo omnia, ſapientiſſimè pulchra, benigniſſimè vtilia ſunt creata. Nec auctor excellentior eſt Deo, ait Auguſtinus, nec ars efficacior eſt Dei verbo, nec cauſa melior eſt, quàm vt bonum

Vanæ ſciendi cupiditas.

Ariſtoteles de Partib. animal. lib. 1. c. 3.

Res creatæ in Creatoris notitiam nos ducunt.

Bernard. Serm. 3. de Pentecoſt.

Auguſt in Sententiis, Sent. 141.

cree-

creetur à bono. Et quamuis non omnia eius opera æqualem pulchritudinem ac maiestatem præ se ferant; idem tamen illi quod Apelli contingit, cuius non absolutissima tantùm opera mirata est antiquitas, sed subtilissimam etiam lineam in spatiosâ tabulâ depictam primùm Rhodius Protogenes, deinde Roma inter eximia nobilium pictorum monimenta suspexit. Ita in diuinis operibus non absolutissima tantùm naturæ opera, sed tenuissima etiam lineamenta miramur. Plin. li. 35. cap. 10.

Effecit hæc naturæ præstantia, vt præter alios Antonius ille vastæ solitudinis cultor sic vniuersitatis huius amœnitate caperetur, vt cùm quidam ex illo sciscitaretur, cur tam paucos, ac propè nullos apud eum libros conspiceret, respondisse dicatur, Hæc mundi spectacula sic animum suum oblectare, nullum vt aliud librorum adminiculum desideraret: hîc inuenire se studium amœnissimum, quo semper caperetur, nec vmquam satis caperet. Ad hoc studium naturâ optimum quemque incitari ait Seneca: quæ, inquit, ad contemplandum nos erexit, nullamque non sui partem nobis explicuit, vt per hæc, quæ obtulerat oculis, cupiditatem etiam faceret cererorum. Nec enim omnia, nec tanta visimus, quanta sunt: sed acies nostra aperit sibi inuestigando viam, & fundamenta veri iacit, vt inquisitio transeat ex apertis in obscura, & aliquid ipso mundo inueniat antiquius. Quis fuerit Vniuersi status antequam singula in partes discederent: quæ ratio mersa & confusa diduxerit: quis loca rebus assignauerit: an suapte naturâ grauia descenderint, euolarint leuia: an præter nisum pondusque corporum altior aliqua vis legem singulis dixerit. Quin etiam cogitatio nostra cæli munimenta perrumpit, nec contenta est id

Seneca de Otio sapientis, c. 32. *Ex notis ad ignota scièndi cupiditas transit.*

quod ostenditur scire; Illud, inquit, scrutor quod vltra mundum iacet, vtrúmne profunda vastitas sit, an & hoc ipsum terminis suis cludatur. Quin imò tanta erat antiquis Philosophis naturæ opera contemplandi cupiditas, vt corpus suum, tamquam scientiæ remoram, non absque iniuriâ ferrent, assiduaque moriendi consuetudine animum à corporis contagione reuocarent. Enimuerò, vt est à Socrate in Phædone disputatum, nihil est homini ad veritatis lucem adspiranti tam inimicum, quàm corporis contagio, & voluptatis illecebra; quę mentem caligine offusam falsis decipit imaginibus, nec à sensuum colluuione ad mundi spectaculum, rerumque naturam perlustrandam egredi permittit. Vnde Mercurius ille, cui multiplex rerum scientia Trismegisti cognomen peperit, eum qui ad Philosophiam adspirat, in Asclepio hortatur, vt corpus, quoad fieri potest, quasi vestem deponat, exuatque hoc inscitiæ indumentum, interitus vinculum, viuam mortem, sentiens cadauer, ductile sepulchrum. Quod illi sanè impigrè exequuntur, qui perueștigandâ rerum naturâ non ætatem tantùm, sed etiam sanguinem succumque consumunt.

Plato in Phædone.

Hæc est igitur illa *occupatio*, quam *afflictionem* non immeritò vocat noster Interpres, *quam dedit Deus filiis hominum vt distendantur in eâ.* Nimirum, *Cuncta fecit bona* (siue pulchra) *in tempore suo*; quæ proinde eximiâ suâ specie ac voluptate spectatores suos mirum in modum afficiunt, & ad inuestigandas naturales veritates, rerumque causas, vehementer impellunt. Quid enim fortiùs desiderat anima, quàm veritatem, ait D. Augustinus. Vnde mox subiicit: *Et mundum tradidit disputationi eorum.* At quo fructu tandem? O vanitas! *vt* post infini-

Res creatæ in cognitionem sui alliciunt.

Augustinus Tract. 26. in Ioan.

infinitum laborem, paucis hinc inde tenui cognitione delibatis, *non inueniat homo opus, quod operatus est Deus, ab initio* vitæ suæ disquisitioni mancipatus *vsque ad finem.* Dic enim, obsecro, quid certi aut explorati habemus in hac rerum humanarum confusâ caligine? Pythagoras Naturalem Philosophiam extra scientiarum chorum eliminabat, quòd omnem subtilitatis naturæ comprehensionem opinionibus contineri diceret. Socrates, cùm priùs ad rerum naturalium peruestigationem animum appulisset, earumdem inconstantiâ perpetuoque fluxu deterritus (quòd nihil in iis certò sciri posse apud se statuisset) ad Moralem Philosophiam animum adiecit. Hunc secuti cum Platone suo Academici, omnia in rebus naturalibus dubia atque incerta esse contenderunt.

Res naturales obscuræ.

Tertullian. lib. de Animâ.

Theodoretus lib. de Materiâ & mundo.

Denique fuit hæc apud veteres peruagata de veritate querimonia, quòd ita humanæ mentis commercium fugisse videretur, vt in eâ quærendâ mortales operam luderent. Hinc Democritus eam in puteo, cui nullus esset fundus, demersam querebatur; Anaxagoras densâ caligine circumfusam pronuntiabat, Empedocles ad hauriendam scientiam nimis angustas esse sensuum vias. Alij suos nescire potiùs quàm scire docentes, in inuestigatione Physicæ veritatis nihil perspectum haberi posse contendebant.

Veritatis cognitio difficilis.

Lactantius lib. 3. c. 3. Mirand. lib. 2. de Exam. van.

Et verò, nónne in iis, quæ sub adspectum cadunt quotidie, tamquam in tenebris palpitamus? Quis fontium fluminumque idoneam assignauit originem? Nam siue eximbribus oriri dixeris, cum antiquis, ridebit Rheni potor aut Danubij accola, qui ex nudis etiam rupibus, qui nullum imbrem bibunt, copiosissimas vident aquarum scaturigines. Siue cum Aristotele ad vapores

Fontium origo obscura.

Arist. lib. 1. Meteoror. c. 13.

pores ſubterraneos referas, quis non videt difficillimum hoc eſſe commentum, nullaque nixum experientiâ. Siue denique cum D. Baſilio, Hieronymo, ipſoque Eccleſiaſte, è mari curſum ducere malueris; quis comprehendet, quo pacto liquidum hoc elementum, quod in mare tamquam locum depreſſiorem deuoluitur, ex eodem contra naturæ ductum ad capita fontium ſurſum recurrat?

Baſilius Homil. 4. Hexaëm. Hieron. in cap. 1. Eccleſiaſtæ.

Æſtus marini cauſa obſcura. Vide Conimbricenſes in Meteor.

Nunc verò cùm de æſtu marino diſceptatur, quis non explodendos iudicet Stoicos, qui, vt aliquam eius aſſignent cauſam, ab animâ liquidi illius elementi, quam otiosè comminiſcuntur, motum illum reciprocum oriri contendunt? Nec minùs illi ridiculi ſunt, qui hunc tantum effectum ad aquarum euaporationem referunt, quâ vigente efferatur mare, ceſſante decidat: qui mari ſimile quid euenire fabulantur quod animanti febrium paroxiſmis per interualla æſtuanti. Et quamuis melior Philoſophorum ſententia cauſam æſtûs marini Lunæ adſcribat, quis tamen idoneum diſcrimen oſtendet (cùm hoc aſtrum terras omnes ac maria ſuo lumine influxuque peruagetur) cur non omnia maria eodem illo æſtu, reciproco, certiſque horis dimenſo, fluctuentur? Nam in Luſitanico Belgicoque Oceano ſenis ferè intumeſcit ac detumeſcit horis; ad Erythræum verò Africæ promontorium quaternis accedit, octonis regreditur: in littore Cambaiæ mare binis horis triginta circiter leucas acceſſu obtegit, binis totidem receſſu detegit: in Euripo (fretum eſt inter Aulidem & Eubœam) vnius diei noctiſque ſpatio ſepties recurſat. Sanè, vt cetera ſilentio inuoluam, tantum negotij Euripus ille faceſſiuit Ariſtoteli, vt deſperatione tandem ac tædio victus, in eumdem ſe præ-

Æſtus maris diuerſus.

cipitem

cipitem egisse dicatur. Vnde locus prouerbio factus, Aristoteles non capit Euripum, igitur Euripus capit Aristotelem.

Porrò ventis ipsis leuiora sunt, quæ de ventis plerique philosophantur. Aiunt, exhalationes à Sole attractas, in opacam nubem impingentes, in hanc illámve partem fugâ dilabi. Crederes illos æreas ferreasque nubes cogitatione fabricari. Sed quid illis ventis facient, quos vehementissimos patimur, nullo vsquam nubis apparente vestigio? Quare Seneca faciliori viâ, sed planè fabulosâ & commentitiâ sese expedit, vitam scilicet aëri tribuens quâ se moueat. Quantò laudabiliùs ignorantiam confessus cum Regio Vate diceret, *Qui producit ventos de thesauris suis*, non de antro aliquo Æolio, aut concauâ rupe, sed, vt ait Bellarminus, de potentiâ suâ secretissimâ & ditissimâ, quæ numquam exhauriri potest.

Ventorum causa obscura.

Seneca lib. 5. Nat. quæst. c. 5.

Bellarmin. in Psalm. 134.

Quid nunc ego species seu formas adspectabiles à corporibus illuminatis decisas commemorem? quæ si in speculo videntur, quomodo imago in speculi profunditate immersa apparet, cùm species in superficie terminentur? Sin autem res ipsa in speculo apparet, quomodo intra speculum videtur, cùm illi minimè insit?

Specierum visibilium natura occulta.

Præterea quis vmquam vel probabili coniecturâ assecutus est, vnde amœnissima illa colorum varietas in iride, in vitro triquetro, in politis adamantibus existat? Vnde mercurio, siue argento viuo, illud eximium, vt cùm aliquod plumbi libras natantes sustineat, vel vnicus auri scrupulus illi iniectus mergatur? Vnde non tantùm defunctorum corporibus ad inimici præsentiam, sed plantis etiam & arboribus illa, quam cernimus, antipathia? vnde sexcenta talia naturæ miracula?

Naturæ miracula.

cula? Stulti sumus, si aut naturam penetrare, aut causas eruere nos posse confidimus. Demus, inquit Augustinus, Deum aliquid posse quod nos fateamur inuestigare non posse, atque in talibus rebus tota ratio facti, sit potentia facientis.

Augustinus Epist. 2. ad Volusian.

Curiositas hominum mirabilis.

Et hæc quidem luce meridianâ clariùs humanæ curiositatis & scientiæ vanitatem ante oculos constituunt; sed inter tot naturæ miracula vnum mihi reliquum fieri videtur. Cùm toties, eluso scientiæ conatu, vita pariter animique vigor contabescat; quî fieri potest, vt in tantâ desperatione ad occulta naturæ penetrandi, nullum inuestigandi finem faciat humana curiositas? Quid hîc dicam? nisi hoc etiam ad cumulum nostræ vanitatis accedere, quòd, ad curiositatis illecebram, noua subinde scintilla veritatis in lucem emergat; quâ fit vt magis magisque sciendi cupiditas accendatur. Quis enim ignorat, quantopere huius temporis Astrologorum studia accenderit opticus ille tubus, cælestium secretorum ingeniosissimus explorator? Quantis hoc hominum genus incessit gaudiis, cùm plures septenis Pleiades, cùm circumfusos Saturno stipatores, cùm Solis maculas, aliaque hactenus inexplorata, huius tubi beneficio in lucem protulerunt? Nec dissimili ratione præteritis sæculis acus nauticæ inuentum, aliaque non minùs præclara, mentes sciendi cupidas erexerunt: quæ tantò vehementiùs accendi consueuerunt, quòd, licet hinc inde veritas aliqua in lucem emerserit, multum tamen ad scientiæ perfectionem semper desideretur. Sanè ante annos non ita multos mihi contigit, cùm aliud agens acu nauticâ tempus fallerem, deprehendisse me (quod nusquam legisse memini) vectem seu baculum ferreum sursum erectum, supe-

ſuperiore ſui parte, ſi pyxidem admoueas, acum nauticam ad ſe rapere, inferiori parte à ſe repellere: eumdemque ſequi effectum, ſi vectis ſurſum deorſum inuertatur. Si verò vectis in terrâ iaceat, ita vt parallelus ſit illi lineæ horizontali, quæ protenditur ab Oriente in Occidentem, neutra pars acum nauticam aut repellet, aut attrahet; ſed naturæ ſuæ relinquetur. Si vectis parallelus fuerit lineæ horizontali, quæ protenditur à Septemtrione in Meridiem, pars illa vectis, quæ Septemtrionem reſpicit, acum repellet; quæ verò in Meridiem vergit, attrahet. Denique ſi vectis altera ſui parte paululùm à terrâ eleuetur, pars eleuata, quamcumque cæli plagam reſpiciat, acum attrahet, pars autem altera terram contingens reiiciet. Omitto hîc ſtupendum illud horologium recentiſſimè inuentum, quod in aquâ per ſe mouetur, horaſque deſignat. Sic aliquid ſemper noui in lucem emergit, quod vanam ſciendi curioſitatem paſcat, nec illam tamen ad perfectam diuinorum operum cognitionem perducat. Interim quod Chymicæ artis exploratoribus euenit, vt quintę alicuius eſſentiæ, vt vocant, inuentione lactati, non abſque facultatum ac vitæ diſpendio ſemper artis illius perfectionem ſequantur, & numquam aſſequantur: idem hîc vſu venire cernimus, vt in hac diuinorum operum diſquiſitione vita nos citiùs, quàm labor inueſtigandi deficiat. Quare vanitatis huius pertæſus Eccleſiaſtes, remedium mox ſuggerit & ſolatium.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 12. Et cognoui quòd non esset melius nisi lætari, & facere benè in vitâ suâ.

13. Omnis enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

METRICA PARAPHRASIS.

SATIS impudente voto
Phaëthonticis quadrigis
Stellata templa cæli,
Et siderum perennes
(Aciem obruente luce)
Lustrauimus choreas.
Satis impotente nisu
Pennisque Dædaleis
Per regna fulgetrorum,
Per nubiumque tractus,
Roris niuisque cunas,
Tentauimus volatum.
Satis insolente velo
Ac Tiphyos carinâ
Furentis Amphitrites
Sulcauimus procellas:
Et ingenî minoris
Bolide abditos recessus
Penetrauimus profundi.
Sat ingenî procacis

Erro-

Errore flexuoso,
Labyrinthicisque spiris,
Implexa per viarum
Itum labante gressu.
Ohe! sat est proteruæ
Pruriginis sciendi:
Potior mihi voluptas
Recti tenere callem,
Et gaudio fruisci.
Quisquis volet, medullas
Distillet in lucernam,
Pernoxque perdiusque
Nimiâ sagacitate
Se concoquens liquescat:
Rimatus alta cæli,
Rimatus ima terræ,
Quæque orbis architectus
Supra ambitum sciendi
Procul extulit, premendo:
Donec cupita tabes
Bibat artubus cruorem,
Vitietque succulentum
Pallor genis ruborem,
Macieque nudet artus:
Potior mihi voluptas
Recti tenere callem,
Et gaudio fruisci;
Quaque herbidos Penates
Siluæ comis opacant,
Vel quà fugax laborat
Trepidare lympha riuis,
Vitiis valere iussis,

Curis valere iußis,
Lætam explicare frontem;
Temereque ſic iacentem
Vel Daphnidis ſub vmbrâ,
Vel myrteo theatro,
Crinem impedire ſertis;
Capacibusque conchis
Stillare dium odorem.
Hîc ceſpitum per æquor
Satyri, leueſque Fauni,
(Hæc ruſticana turba eſt)
Ceraſiſque, ficubusque,
Citreisque, Perſicisque,
Maliſque, Dactylisque,
Dapes ferunt inemptas.
Hîc Maſſicum liquorem
Thyadum rotator Euan
Cado æſtuante promit.
Iuuat hoc, iuuat ſalebris
Scientiæ expeditum
Recti tenere callem,
Et gaudio fruiſci.
O! ter beata vita,
Virtus vbi & voluptas
Corde hoſpitantur vno!
Maiúſne munus orbi
Blando fauore cæli
Rutilo datum ſub axe,
Quàm præmium laboris,
Vitæ hunc videre fructum,
Inter dapes ſuäues,
Et Bacchicum liquorem,

Recti tenere callem,
Et gaudio fruiſci?
O! ter beata vita,
Virtus vbi & voluptas
Corde hoſpitantur vno!

PROSA EXEGESIS.

OBNVNTIABIT hîc, ni fallor, Stoïcorum aliquis, & viſis auibus tam diſcoloribus, infauſtum pronuntiabit augurium. Quod enim, inquiet, virtuti cum voluptate commercium? præſertim cùm gaudium quidem nonnullum, nulla autem viro bono voluptas contingat? Nam Seneca quidem ita pronuntiat: Voluptas (ſi ad noſtrum album verba dirigimus) res infamis eſt: gaudium niſi ſapienti non contingit. Sed ego hanc logomachiam pro nihilo duco, cùm *Et mala mentis Gaudia* rectè cum Virgilio dicamus; & ipſe Seneca diſertè pronuntiet: Iſta eſt voluptas & homine & viro digna, non implere corpus, nec ſaginare, nec cupiditates irritare, quarum tutiſſima quies eſt; ſed perturbatione carere. vbi perſpicuè honeſtę voluptatis meminit. Atqui hoc ipſum eſt quod intendo, nempe, ſapientem, damnatâ inſatiabili illâ ſciendi cupiditate, & (quæ non minùs animi ſuccum, quàm corporis exſugit) in ſecretis naturæ perſcrutandis curioſitate, ad hoc debere conniti, vt virtutum potiùs actionibus, quàm inani ſcientiâ delectatus, ſolidum gaudere poſſit gaudium. Nam quòd cibi potuſque meminit Eccleſiaſtes, non eo conſilio facit, vt ventris ingluuiem commendet; ſed (quod alibi etiam inculco) parœmiali formâ loquendi ſecuram ac tranquillam cum hilaritate vitam denotat: quod perſpicuũ euadit ex ſimili loco Ieremiæ, vbi Deus

Seneca lib. de Beatâ vitâ.

Idem li. 7. de Benefic. cap. 2. *Voluptas quædam honeſta & homine digna.*

Ieremiæ 22,15. Ioakimo Iosiæ filio superbiam exprobrans, regnique iacturam minatus, ita loquitur: *Numquid regnabis, quoniam confers te cedro? Pater tuus numquid non comedit & bibit*, id est, securè vixit, securè regnauit, *& fecit iudicium & iustitiam tunc cùm benè erat ei?* tu verò regno exterminaberis.

Sed redeamus in viam cum Ecclesiaste, qui à curiositate, vanaque & inexplebili sciendi cupiditate veram negat delectationem proficisci, sed afflictionem potiùs ac distentionem animi. Sola virtus gaudium præstat, non vanum, neque ambitiosum, sed solidum, modestum, tranquillum: cui si quid infestum occurrit, id nubium modo interuenit, quæ infra Solem feruntur, nec vmquam diem vincunt. Reuerà enim, ait Seneca, talis est sapientis animus, qualis mundi status supra Lunam:

Virtus gaudium & tranquillitatem præstat.

Seneca Epist. 59.

Perpetuum nullâ temeratus nube serenum.

Nam quemadmodum pars illa mundi superior, & ordinatior, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinem, denique omni tumultu caret; eodem modo sublimis animus quietus semper est, & in statione tranquillâ collocatus, modestus, venerabilis, compositus, & numquam interpolato gaudio serenus.

Seneca Epist. 23. Quæris, vnde liquidum illud gaudium, & absque nube serenitas? Ex bonâ conscientiâ, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam.

Corporis aliquod bonum à beatitate non est excludendum. Quæris iterùm: Nullæne corporis partísve sensitiuæ in hac voluptate sunt partes? Respondeo, cùm non animâ solùm constet hominis natura, sed & corpore; nec à rectâ ratione, nec à lege diuinâ alienum esse, vt in con-

consortium honestæ alicuius voluptatis corpus assumatur. Quare magnopere dissentio à magnificis illis Stoïcorum vocibus, Etiamsi in Phalaridis tauro subiectis ignibus vstulatus mugiat, beatum esse sapientem. Sanè si nullum aliud præmium virtuti reliquum est, præter ipsam generositatis & constantiæ pulchritudinem Phalaridis tauro inclusam; nescio an quis animum eiusmodi phantasticæ beatitatis imagine consolari possit. Hominem certè eiusmodi, cùm non animâ tantùm, sed & corpore constet, beatum esse nemo non infitiabitur.

Maneat ergo, neque à beatitate sapientis exterminandam esse honestam voluptatem, neque ab huius voluptatis consortio corpus esse sequestrandum. Nemo, arbitror, iam succensebit Ecclesiastæ, si in adumbrandâ mortalis huius vitæ beatitate sensitiuæ partis corporisque rationem non esse duxerit negligendam. Non quod in hoc toto negotio potiores partes voluptati tribuendæ sint, cùm nec æquales quidem concedamus; verùm enimuerò quemadmodum in æternâ beatitate potiores partes obtinet essentiæ diuinæ contemplatio, indeque resultans amor, & tamen absque delectatione, quæ suapte naturâ inde promanat, beatum dici neminem posse existimant: sic in hac vitâ mortali, tametsi in conscientiâ præclarè factorum, diuinaque amicitiâ, potissimus sit fructus sapienti, necesse est tamen in complementum beatitatis honestam admitti voluptatem. Hoc est quod suo calculo confirmat Ecclesiastes, cùm ait, *Et cognoui quòd non esset melius nisi lætari & facere benè in vitâ suâ.*

Curiositas sciendi res naturales non facit ad beatitatem.

Quid ergo? nihílne ad beatitatem facit illa, quam mox homini tam exoptatam dixisti, rerum naturalium

lium perluſtrario, & indefeſſus ardor diſcendi? Non plus profectò, quàm aut ad explendam famem fugacia poma Tantali, aut ad reſtinguendam ſitim pertuſæ Danaidum vrnæ. Sanè cùm omnis hominum labor ſperatæ quietis causâ ſuſcipiatur, & omnis ſollicitudo tranquillitatem ſpectet, & omnis huius vitæ iactatio beatitatem velut portum intueatur; quorſum illa tam improba tamque peruigil & irrita ſemper animorum contentio? quorſum illa tam anxia ſecretorum inueſtigatio, quæ nullum vmquam ſit exitum habitura; & vt maximè, quod intendit, aſſequatur, nullum idcircò gradum ad beatitatem ſis promoturus, quæ non in profanâ ſpeculatione, ſed virtutum actione; non in ſcientiâ, ſed rectè factorum conſcientiâ conſiſtit. Itaque qui ſcientiæ curioſitate paſcuntur, quid aliud quàm ſpeciosâ vanitate paſcuntur? qui cùm inter aſtra veluti cæleſtium ſecretorum conſcij deambulauerunt, nondum intelligunt, quid valeat excelſus animus, ac ſupra mortalium curas & cogitationes erectus: & cùm ad rimanda naturæ ſecreta infra terram ſe demiſerint, à verâ ſubmiſſione animi adhuc infinito diſſident interuallo. Melior eſt profectò (ait Thomas Campenſis) humilis ruſticus qui Deo ſeruit, quàm ſuperbus Philoſophus, qui, ſe neglecto, curſum cæli conſiderat. Multa verba non ſatiant animam, ſed bona vita refrigerat mentem, & magnam præſtat apud Deum fiduciam.

Thomas à Kemp. li. 1. de Imitat. Chriſti, c. 2.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 14. Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum: non poſſumus

mus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur.

15. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt, iam fuerunt: & Deus instaurat quod abiit.

METRICA PARAPHRASIS.

Dvm curis domitis, nec Genij immemor
Mentem composui, mox oculis nouus
Hic fulsit radius, quàm fatuus labor
Symmystas sophiæ atterat.
Quantum desipiunt, qui sapiunt nimis!
Nequidquam ingenium, Momus & arbiter
Diuinorum operum, torseris; omnia
Stabunt lege adamantinâ,
Quæ mundi placito Dædalus ordine
Fundauit. Placeant, displiceant; tamen
Qui nutu artifici singula digerit,
Firmat quas posuit vices.
Æternis choreis sidereæ faces
Noctis peruigiles excubias agunt:
Alternis radios Cynthia Cynthio
Raptos cornibus alligat.
Si Sol Hesperiis auricomum caput
Mersit gurgitibus, mox penetralibus
Eois roseâ tollere verticem
Gestit luce superbior.
Nunc terræ Boreas viscera congelat,
Nunc laxant Zephyri floridulos sinus:
Nox, lux, bruma, calor, dulcia & aspera
Alterno subeunt gradu.
Non semper vacuum nubibus aëra,

Non exempta putes æquora fluctibus,
Nec voto lacrymis eximios dies
Innubésve pacíscere.
Sic mundus stabiles instabilis vices
Æternat: volucrem præcipitans rotam
Sors frænos patitur: nil ita sub polis
Exlex, quin subeat iugum.
Sic Numen facili lege coërcuit,
Quidquid Sol rapidâ circuit orbitâ:
Nil quidquam Lachesis, nil fuga temporum
Sæuo proruit impetu.
An collapsa putas, queis cariem dies,
Aut bustum cineris relliquias dedit?
Aut rebus faciem concipis alteram
Seris postgenitis fore?
Error sollicitum deuius occupat.
Venturi speculum temporis exhibet
Ætas præterita, & lege reciprocâ,
Quod pernix rapuit dies,
Ætas restituet postuma. Lubrica
Mundi sic stabilit magna Dei manus.
Hinc frustrà reseces luxuriantia,
Et frustrà adiicias decus.
Sic fatis placitum: ne artificem manum
Confutet Superûm turba Promethei: astì
Æternis potiùs consiliis minor
Numen suspiciens colat.

PROSA EXEGESIS.

QVANTVM vanitatis insit in disquisitione diuinorum operum, nimiaque sciendi curiositate, nuper ex eo declarauit Ecclesiastes, quòd qui ætatem omnem,

nem, addo & vigorem, & vitam in his ſtudiis poſuerunt, hoc ſolum ſint aſſecuti, vt plura ſe quotidie neſcire debeant fateri. Nunc alterâ non minùs euidenti ratione eamdem vanitatem exaggerat, quòd tametſi nonnihil hinc inde lucis acceperint, fruſtrà tamen hoc vniuerſum pulcherrimum opus cæleſtis illius architecti, ad iniquam arbitrij ſui trutinam exigant; cùm *nec addere quidquam poſſint, nec auferre, ſed omnia opera quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum.* Firmauit hoc pactum ſuum cum genere humano præpotens ille rerum omnium moderator, qui cùm ſemel rerum temporumque viciſſitudinem ad abolenda cataclyſmo mortalium flagitia totius anni ſpatio perturbaſſet, tandem reliquiis hominum reconciliatus, *Non vltrà*, inquit, *percutiam omnem animam viuentem ſicut feci. Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, nox & dies non requieſcent.*

Homo Dei opera mutare non poteſt.

Geneſ. 8, 21. *Dei opera eumdem ſeruant tenorem.*

Hanc rerum viciſſitudinem in paruis æquè ac magnis ratam eſſe, obſeruat Seneca. Quemadmodum, inquit, quartana ad horam venit, quemadmodum podagra ad tempus reſpondet, quemadmodum præſtò eſt ad menſem ſuum partus; ſic aquæ interualla habent, quibus ſe retrahant, & quibus reddant. Et quid hoc mirum eſt, cùm videas ordinem rerum & naturam per conſtituta procedere? Hiems numquam aberrauit: æſtas ſuo tempore incaluit: autumni veriſque, vt ſolet, facta mutatio eſt. Tam ſolſtitium quàm æquinoctium ſuos dies retulit. Sunt & ſub terrâ minùs nota nobis iura naturæ, ſed tamen non minùs certa. Si quid interdum naturæ videtur deperire, quia ab oculis noſtris ſubducitur; cogitemus id recondi tantiſper, non conſumi. Nam rerum natura, vt alibi Seneca, nihil dicitur

Seneca l. 3. Natural. quæſt. c. 16.

Seneca l. 5. de Benef. c. 8.

citur perdere: quia quidquid illi auellitur, ad illam redit; nec perire quidquam poteſt, quod quò excidat non habet, ſed eódem reuoluitur vnde diſcedit. Sed quidquid ſit de mente Senecæ, & Stoïcâ rerum omnium reuolutione; illud certè nemo repudiabit, quod hoc loco aſſerit Eccleſiaſtes, *quæ futura ſunt, iam fuerunt, & Deus inſtaurat quod abiit.*

Si certis legibus ab Auctore naturæ ſtabilitis, hîc omnia ſuum quemdam curſum ac tenorem ſeruant; quid miſer homuncio ex argillâ in tam pulchrâ huius vniuerſi harmoniâ diſſonum ac futile iudicium ſuum interponit?

Horat. li. 2. Od. 11. ——*Quid æternis minorem*
Conſiliis animum fatigat?

Quid inani atque irritâ cogitatione in operibus diuinis
Deſtruit, ædificat, mutat quadrata rotundis?
Non poſſumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur, id eſt, vt maieſtate eius ex operibus cognitâ, cum reuerentiâ atque admiratione eum veneremur.

Stultum eſt opera Dei carpere aut velle emendare.

At, inquiunt, ſi non reipsâ præſtare, animo certè fingere poſſumus (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ) quædam pulchriora, aut diuturniora, aut alterius formæ, quàm à Deo condita ſunt. Nec deſunt, qui, iudicio ſuo pluſculum indulgentes, hunc in modum inani cogitatione paſcantur. Quid obſtitit, inquiunt, quò minùs hic orbis à centum millibus annorum conderetur? quid vetat, quò minùs homini, ad intelligendum & agendum nato, multò longior vitæ terminus prorogetur? Quid prohibet, quò minùs aurea, gemmea, ſplendida atque integra creata ſint, quæ vilia, fœda, mutila & manca in oculos incurrunt? Quid

cauſæ

causæ est, cur tot aduersæ fortunæ telis expositæ sit vita nostra? Quare multi cum inediâ ac nuditate conflictantur, cùm aliis, quod in luxum & comessationes profundant, abundè suppetat? Denique cùm bonus sit Deus, cur tot mala, tot scelera, tot flagitia in regno suo permittit? Ita nonnulli tantum sibi sumunt in operibus diuinis arbitrij, vt Momum aliquem imitari videantur, quem Nocte & Somno progenitum, scribit Hesiodus deorum opera summâ libertate carpere consueuisse. Scribunt aliqui, tribus in rebus Iouem ab illo reprehensum. Primò, quòd capris inutilia indidisset cornua, vtpote reflexa, quibus se tueri non possent. Deinde, quòd eadem tauris non collocasset in armis, quò valentiùs impeterent. Tertiò, quòd in hominis pectore fenestras non aperuisset, ne tam occulta essent animi sensa. quamquam Vitruuius huius tertij Socratem prodit auctorem.

Hesiod. in Theogoniâ. Vide Bisciol Tomo 2. lib. 2. c. 12. Vitruuius lib. 3. de Architect.

Sed his Momis, aliisque horum similibus vnica Moysis sententia os obstruit: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Cui, præter infinitas aliorum Patrum sententias, illa congruunt Augustini verba: Quidquid tibi verâ ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deum, tamquam bonorum omnium conditorem. Nam, vt alibi dicit, bona facere si non posset Deus, nulla eius esset potentia: si autem posset, nec faceret, magna esset inuidentia. Quia ergo omnipotens est & bonus, omnia valdè bona fecit: &, vt ait D. Basilius, fecit, vt bonus, quod vtilissimum est; vt sapiens, quod pulcherrimum est; vt potentiâ præditus, quod maximum est. Quid? inquies, annon citiùs hunc mundum, aut splendidiorem, aut maiora è nihilo corpora potuit educere? Apage stulta curiositas! cui si concessero-

Deus mundum optimo modo condidit ad rationem sibi propositam. Genes. 1. 31. Aug. lib. 3. de Lib. arbit c. 5. Idem li. 4. de Gen. ad litter. c. 16. Basilius Hom. 1. in Hexaëm.

ſerimus, aliquot millenis millibus annorum citiùs hunc mundum creari potuiſſe, reſtabit ſemper eadem quæſtio, Cur non etiam citiùs. Cùm igitur in hoc genere perfectionis, ſiue diuturnitatis non detur optimum, ſed ſemper aliquid ſuperſit quod Deus præſtare poſſit; illud optimum eſſe cenſendum, quod rationibus diuinis, quibus adductus hoc vniuerſum condidit, magis eſt conſentaneum. Idemque iudicium eſt de pulchritudine ac magnitudine ſingulorum: quoniam in illis nihil eſt optimum aut perfectiſſimum, ſed quacumque perfectione datâ, poſſibilis eſt maior & maior in infinitum. Quare nec Deus in iſtiuſmodi obiectis vult id quod optimum eſt. Neque enim poteſt amor Dei efficax velle producere effectum, qui impoſſibilis eſt, cuiuſmodi eſt in hoc rerum genere optimum ac ſummum. Illud igitur in huius Vniuerſi fabricâ ſinguliſque partibus optimum exiſtimemus, quod ad eorum finem appoſitiſſimum, ac rationibus æternis maximè conforme eſt.

Vide Didacum Ruiz de Volunt. Dei diſp. 9.

Boni non inuiti malis exercentur.

Sed altera curioſis illis diuinorum operum & conſiliorum exploratoribus reſtat querela in iis quæ vitam communem propiùs concernunt. Cur, inquiunt, boni in hac vitâ tot malis exercentur? Deferrem aliquid huic querelæ, ſi à bonis ac ſapientibus profecta eſſet. Sed illi amari ſe à Deo patris vicem potiùs quàm matris gaudent: itaque non in ſinu foueri, ſed rebus aſperis virtuti ſuæ materiam ſuppeditari deſiderant. Et ſi fortè cum aduerſâ fortunâ in arenâ concluſi fuerint, ſe aliquo in numero apud ſupremum agonothetam eſſe gaudent; contrà verò nihil illo cenſent infelicius, cui nihil vmquam contingit aduerſi. Sed hæc alibi latiùs.

Nunc de paupertate videamus, quam non homi-

num

num magis opprobrium censent, quàm Dei, amplissimas mundi opes non satis æquis portionibus distribuentis. Atqui ego non aliud euidentius diuinæ sapientiæ prouidentiæque argumentum inter homines extare contendo. Paupertati enim, si rectè ratiocinabimur, omnem artificum industriam, omne scientiarum lumen, omnem huius Vniuersi splendorem, omnem morum honestatem, rerumque publicarum subordinationem referemus acceptam. Tolle paupertatem, iam omnibus in summâ rerum affluentiâ otio luxuque marcentibus, peribit omne dominos inter seruosque discrimen, peribit subditorum ac Magistratuum inæqualitas, quiescet omnis agricultura, torpebit artificum industria, omnis denique cos acuendi ingenij tolletur è medio. Nam, vt apud Stobæum Theocritus,

Paupertas sapienter à Deo introducta.

Vide Lessium de Numine, Ratione VIII.

Sola est paupertas, quæ cunctas excitat artes.

Durum enim telum necessitas, quæ, stimulante inediâ, non homines tantùm, sed etiam bruta animalia pænè supra vires ad extremos adigit conatus.

Quis expediuit psittaco suum Χαῖρε? inquit Satyricus,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis, ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

Persius in Prologo.

Vnum restat, quod primâ fronte plus negotij facessere videtur. Si Deus infinitè bonus est, cur tot mala in hoc vniuerso esse permittit? Deinde, Cur non ipsos homines ita condidit, vt peccare non possent? Primam quæstionem ita resoluit D. Augustinus: Ex his omnibus consistit vniuersitatis mirabilis pulchritudo: in quâ etiam illud, quod malum dicitur, benè ordinatum, & suo loco positum, eminentiùs commendat bona.

Mala culpæ non absque ratione Deus permittit.

Augustinus Enchirid. c. 10. & 11.

na. Nec enim Deus omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis, niſi vſque adeò eſſet omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Et infrà: Melius iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla eſſe permittere. Cur autem hominem Deus non eiuſmodi condiderit vt peccare non poſſet, rationem reddit lib. 83. Quæſtionum, q. 2. Quia ſecundùm rationes æternas, quas in excitando hoc pulcherrimo opere ſpectauit, melior eſt homo, qui voluntate, quàm qui neceſſitate bonus eſt.

Plura fortaſſis obiiciat profana curioſitas: ſed in illius æternæ ſapientiæ conſiliis & infinitæ potentiæ operibus expendendis neceſſe eſt vt ſuccumbat mortalis infirmitas. Quare quicumque ſapiet, ſuperuacuam ſciendi cupiditatem ratione moderabitur: neque diuinorum iudiciorum iniquus arbiter, neque diuinorum operum faſtidioſus erit indagator: non ignarus, quemadmodum diuinorum iudiciorum multa occulta ſunt, nulla iniuſta, ſic diuinorum operum multa eſſe nobis incomperta, nulla imperfecta. Nunc ad aliud genus vanitatis nos ducat Eccleſiaſtes, quod non minùs quàm ea quæ dicta ſunt, curioſos diuinorũ operũ inſpectores affligat.

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 16. [a] Vidi ſub Sole in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem.

17. Et dixi in corde meo: Iuſtum & impium iudicabit Deus, & tempus [b] omnis rei tunc erit.

[a] LXX. Et adhuc vidi. *Syriac.* Et ampliùs vidi.

[b] *Alia verſiones habent*, omnis voluntatis, omnis operis, omnis facti

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

Hvc, huc oculos Astræa tuos
Celsâ in terras ex arce vibra,
Non quæ quondam sortita poli
Statione locum, quâ Parrhasias
Proximus vndas subit inuitus,
Arctica flectens plaustra Bootes;
(Nihil ad mœstos fabula questus:)
Sed quæ terras exosa, Dei
Penitos gaudes habitare sinus.
Huc huc facilis tantisper ades:
Et quas mœror parturit, hauri
Pronâ iustas aure querelas.
Dum fora Themidos rauca pererro,
Nulla per orbem mihi visa Themis.
Siue obsessas crebro intueor
Iudice portas; hac proscripta est
Nobilis exul. Seu mihi Sanhedrim
Illibatum populi florem
Claraque sanctæ lumina gentis
Celebri ostentant arce Sionis;
Cœtibus istis, heu! contemptor
Inopis turbæ residet fastus.
Seu Cecropiæ sede Mineruæ
Libitum est Areos lustrare pagum,
Celebresque reo Marte cathedras;
His in tenebris palpitat error,
Iungensque suas geminat noctem.
Paucis cura est iuris & æqui.
Seu Palladium, seu Prytanæum,
Seu quodcumque est orbe tribunal

Animus luſtrat; nullam Themidos
In ſede Themim conſpicor: aut merx
Vilis pretij Themidos libra eſt,
Aut ius ſummum iniuria ſumma eſt.
Fruſtrà hîc lacrymas viduæ thalamis,
Fruſtrà lacrymas ſoboles orba,
Fruſtrà lacrymas promunt inopes.
Auido rictu turbam imbellem
Inſtar leporum leo deglubit.
Quoties terret diadema oculos,
Aut ſtrata gemunt iura ſub enſe,
Aut percellunt ſaturæ Tyrio
Murice veſtes, vnctaſque manus
Faſcinat aurum; fruſtrà implorat
Iudicis vrnam cauſa minorum.
Potior nummis, potior iure eſt.
Munera cauſam dulcius omni
Suadæ eloquio muta perorant.
Miſeri ciues! Si cui faſces
Arbiter orbis tradidit vrbis,
Sedet elinguis, ſpeque metuque
Geminâ ferri compede vinctus.
Regnum infelix! ſi, cui cingit
Diadema comas, impete cæco
Sæuiat exlex. At vos miſeri,
Quibus in promptu dira libido eſt
Nigrum innocuis figere Theta,
Quibus arbitrium vitæ atque necis
Furor effrenis temerè effutit,
Diſcite atroces Numinis iras.
Veniet, veniet funeſta dies,
Cùm nube caput Phœbus opacâ

Luri-

Luridus abdet: cùm ſanguineo
Squallida amictu tenebris faculam
Luna negabit: cùm, concuſſo
Cardine cæli, fragor horrendùm
Mugiet orbis: cùm ſupremi
Iudicis iræ famulas tendet
Natura manus. Ille per altum
Æthera vectus nube coruſcâ
Penitasque fibras lumine ſcrutans,
Iuſtum, iniuſtum, iuſtæ expendet
Pondere lancis. Tum virtuti
Conſtabit honos: tunc æterno
Vindicta nefas dabit exitio:
Tunc quæ lento pede proreptans
Dubiam Nemeſis mentem excruciat,
Specténtne vagas Numina terras;
Scelera horrendâ ſtrage piabit.
Non tunc viduas thalami exſortes
Lare cauſidici procul arcebunt:
Non in tenebris cauſa minorum
Spreta iacebit: non in longum
Differet inopes Iudicis vrna.
AMPLIVS & NON LIQVET *exeſte.*
Omnia quondam tempus habebant,
Omnia at iſtud tempus habebit.

PROSA EXEGESIS.

CVM varia hoc Capite protuliſſet Eccleſiaſtes, quæ curioſos diuinorum operum inſpectores ſollicitos in hac vitâ habent atque exercitos; hoc tandem ad cumulum vanitatis adiecit, quod ceteris multò eſt acerbius, nimirum in hac rerum humanarum confusâ cali-

gine loco iudicij impietatem, loco iuſtitiæ iniquitatem graſſari: per impietatem quodlibet peccatum deſignans, quo iudiciorum æquitas euertatur; per iniquitatem verò propriè dictam iniuriam, quæ iuſtitiæ aduerſetur. Et quamuis idem iudicij & iuſtitiæ locus exiſtimari poſſit, non incongruè tamen per locum iudicij quælibet Iudicum ſubſellia aut tribunalia intelligimus, per locum iuſtitiæ Principum aulas ac palatia deſignamus. Nam tametſi virtutes omnes à Principe, tamquam à capite, in ſubiecta Reip. membra deriuari debent, iuſtitia tamen regnum ſibi poſtulat in regno: quâ ſublatâ, inquit D. Auguſtinus, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia?

Iuſtitia Regum potiſſima virtus.

Auguſtinus libro 4. de Ciuit.

Agnouit hoc Numa Pompilius, quem iuſtitiæ causâ priuatum ac peregrinum Romani Dominum elegerunt. Agnouit & Lycurgus, qui iuſtitiæ causâ ſeipſum in ordinem redegit. Pulchrum fuit iuſtitiâ regnum adipiſci; pulchrum etiam, regno iuſtitiam anteponere. Alterum tam illuſtrem reddidit iuſtitia, vt regno dignus iudicaretur; alterum tam magnum, vt id contemneret. Nec minùs hac laude floruit Traianus: qui gladium iuſtitiæ ſymbolum Præfecto porrigens, Accipe, inquit, gladium, quem pro me, ſi ritè atque ordine imperauero, ſtringes; ſin minùs, etiam in me.

Plutarchus in Lycurgi & Numæ comparatione.

Dion in Traiano.

Sed, proh dolor! rari ſunt qui hac moderatione in ſummâ fortunâ vtantur: plerique, vt ait Velleius, magnitudinem fortunæ ſuæ peccandi licentiâ metiuntur; id omne, quod collibitum eſt, etiam licitum iudicantes; & vt barbarus ille apud Tacitum, in ſummâ fortunâ id æquius arbitrantes, quod validius. præſertim ſi Anaxarchus aliquis adulator accedat, qui cùm Alexander ob interfectum Clytum lamentaretur, nec

Regibus ſæpè libido lex eſt.

Velleius.

Tacit. l. 15. Annal.

ſolatia

solatia admitteret, dixit ignorare illum cur veteres sapientes Iustitiam assessorem Ioui fecerint; nimirum quia quidquid à Ioue decretum, id iure quoque factum sit. innuens non aliud Regibus iustum esse, quàm quod libido suaserit. Hinc illud non minùs superbè quàm nefariè dictum ab Atreo:

Vbicumque tantum honesta dominanti licent, Seneca Thyest.
Precariò regnatur.——

& illud Caligulæ, asserentis, omnia sibi in omnes licere. Qui etiam, quoties vxoris collum exoscularetur, addebat: Tam bona ceruix, simul ac iussero, demetetur. Sueton. in Calig. 29. & 33.

Nec minùs *in loco iudicij*, id est, in Iudicum subselliis ac tribunalibus, quàm in aulis Principum iustitia prostituitur, dum contra Iuris ac legum præscripta, inprimisque contra supremi tribunalis placita multipliciter peccatur. Res indigna, adeoque certa Reipublicæ pestis: dum ij, qui diuinæ voluntatis in terris sunt interpretes, à quibus æquitatis, sapientiæ, religionis oracula petenda sunt, quos nullâ cupiditate duci, sed Deum & conscientiam in consilium adhibere oportuerat, pro reuerentiâ fastum, pro lege libidinem, pro æquitate cupiditates habent assessores. Non tulit hoc olim Andronicus Comnenus Imperator Byzantinus, qui in hæc verba Præsidibus scripsit & Magistratibus: Aut iniurias, aut vitam relinquite. Nam vos iniustè agere & viuere, nec Deo gratum, nec mihi ministro eius ferendum est. Et tamen quis in hanc siluam cæduam securim mittat? Minor est omnis labor, & omnis inferior industria, quàm vt tam multiplices iudiciorum corruptelæ, ac tam latè propagatæ, excindi exstirpariue possint. Infinitum sit omnia percensere: paucas tantùm è multis iniquitatis radices perstringam. *In iudiciis multipliciter peccatur.* Lipsius in Monitis Polit. c. 9.

Multitudo legum est occasio iniuriæ.

Ac inprimis leges ipsæ, quæ corruptis in Republicâ moribus medicamenta esse debebant, propter multitudinem & intricatam obscuritatem factæ sunt iniquitatis præsidia. habetque locum illud Platonis, quòd vbi plurimæ leges, ibi & lites, itemque mores improbi. Et illud Taciti, corruptissimâ Republicâ leges esse plurimas: quam, vt anteà flagitiis, ita nunc legibus ait laborare. Inde enim quæstuosissima nunc ars est litigandi, & latè per orbem propagata causidicina: vt, eodem teste Tacito, quemadmodum vis morborum pretia medentibus, sic fori tabes pecuniam Aduocatis ferat. Apud quos peritè captare aut capere aduersarium, in laude reponitur: neque bona conscientia, ait Celsus, sed victoria litigantis est præmium.

Vide Lipsi. suprà c. 10.

Tacitus libro 4. Annalium.

Idem li. 11.

Iudices inidonei causa sunt iniuriæ.

Altera radix iniquitatis sunt Iudices inidonei, eoque munere indigni, quos nimirum faba creauit, non Iuris peritia; & Principum auctoritas, non vitæ integritas: qui in alienis facinoribus conniuent, ne in seipsos famamque suam damnationis calculum coniicere videantur.

Iudicum oscitantiæ causa iniuriæ.

Præterea quantus eorum numerus est, qui per oscitantiam aliud agentes iustitiam produnt, aut non satis expensis causarum meritis, innocentem aliquem, Andabatarum more, sententiâ percutiunt? Non illepidè tales Iudices apud Macrobium describit C. Titius. Ludunt, inquit, aleâ studiosè vnguentis delibuti, scortis stipati. Inde ad Comitium vadunt. Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant; quippe qui vesicam plenam vini habeant. Veniunt in Comitium tristes. Iubent dicere. Quorum negotium est, narrant; Iudex testes poscit. Ipsus it mictum. Vbi redit. ait se omnia audiuisse. Tabulas poscit, litteras inspi-

Macrobius lib. 3. Saturn. c. 16.

inſpicit. Vix præ vino ſuſtinet palpebras. Quis ferat tanto neglectu tantaque oſcitantiâ de capite aut fortunis ciuium decerni? Non tulit profectò Machetas quidam Macedo. Qui cùm à Philippo non ſatis attento, re totâ non benè cognitâ, damnatus eſſet, Macedonicâ & militari libertate, Appello, inquit. Philippus miratus & iratus, Tu à Rege? inquit, & ad quem? Tum Machetas, Ad teipſum, inquit, ſed vigilantem & attentum. Et libertas illi ſaluti fuit. Non tulit etiam Berenice Ptolemæi Regis Ægypti vxor: quæ cùm videret, marito aleâ ad teſſeras ludenti nomina reorum cauſaſque capitales prælegi, libello è pueri manibus extorto, maritum grauibus verbis increpuit, dicens, non ſic obiter aduertendum animum eſſe, cùm de hominis ſalute quæritur, ſed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra. non enim ſimilem eſſe caſum teſſerarum & corporum.

Lipſius Monit. Politic. c. 9.

Aelianus Variar. Hiſtor. lib. 14. c. 43.

Nunc verò quoties Iudicum ſocordiâ aut cupiditate lites in infinitum protrahuntur? vt longè ſit optabiliùs citò condemnari, quàm poſt longa temporis ac fortunarum diſpendia, in causâ triumphare. Res indigna, ait Innocentius III. in tantùm ſæpè iuſtitiam differtis, vt litigantibus plus quàm totum auferatis: quia maior eſt ſumptus expenſæ, quàm fructus ſententiæ. Quorſum enim tot contentioſæ exceptiones & comperendinationes, niſi ad quæſtum ac lucellum diriguntur, vt per Symplegadas nauigetur Colchos ad aureum vellus?

Iudicum negligentia cauſa damni.

Innocent. lib. 2. de Contemptu mundi c. 5.

Neque minor æquitatis pernicies expectanda eſt ab animo irâ aut inuidiâ, ceteriſque perturbationibus occupato. Quid enim Ariſtidem oſtraciſmo in exilium expulit, niſi inuidia ipſi conflata ex cognomento Iuſti, quod

Iudex animo perturbato æquũ decernere non poteſt.

Plutarchus in Ariſtide.

quod vitæ merita vel inuito pepererant? Quid Socratem Athenis, id est virtutem ipsam è medio sustulit, nisi Iudicum ac Magistratuum, moribus ac vitâ dissimillimorum, inuidia? Ac tanta subinde glisçunt odia, vt animo præiudiciis obfirmato, indictâ causâ pereant innocentes. Fuit hæc veteris Ecclesiæ querela, cùm nouella Christianorum germina toties indictâ causâ iniustitiæ mucro demeteret. Sic occupant animos, inquit Minucius Felix, & obstruunt pectora, vt antè nos incipiant homines odisse, quàm nosse, ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.

Minuc. Felix in Octauio.

Fauor iudicia peruertit.

Ex hoc fonte cupiditatum alia non minor æquitatis contagio promanat, fauor scilicet Iudicis nimium aut amori suo, aut aliorum blanditiis aut armatis precibus indulgentis: qui quoties libitum fuerit, casum pro amico seu iure seu iniuriâ fabricat. & ne temerè quid pronuntiasse videatur, nihil tam alienum à lege, more, ratione decernit, quod non in speciem idoneo auctore defendat. O quàm vereor, ne qui tot hîc casus pro amico absque lege aut ratione prodigunt, in supremo Dei tribunali nullum sibi casum pro amico reliquum faciant.

Munera iudicia corrumpunt.

Denique præsentissima iudiciorum pestis est munerum corruptela; dum alij Iudicis munus emunt, vt duplicato fœnore Ius vendant; alij in iudicio cauponariam exercent, auro calculum suum venalem habentes, & iustitiæ lancem muneribus labefactantes.

Sed vela contraho, ne in hoc mari magno nullum tandem portum inueniat oratio. Et sanè mens inter tot iniquitatum procellas ægra fluctuat, tantaque huius vitæ vanitate tamquam ventorum turbine depressa pænè mergitur, nisi inter tam densas nubes emicante cæle-

cæleſti radio recreetur. Oſtendit hunc nobis Eccleſiaſtes, dum ait: Ne turbare tam cæcâ humanarum rerum caligine; veniet dies, cùm *iuſtum & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* Si nunc à potentioribus iniquè conculcaris, tantiſper ſuſtine. Satis idoneus patientiæ ſequeſter Deus eſt, inquit Tertullianus. ſi iniuriam penes eum depoſueris, vltor eſt; ſi damnum, reſtitutor eſt; ſi dolorem, Medicus eſt; ſi mortem, reſtaurator eſt. Huius tribunal ne parui ducas. Veniet dies, cùm inferiorum Iudicum ſententias exactè perpendet. Prouocarunt aliquando ad hoc tribunal duo Caruaialij fratres, à Ferdinando IV. Hiſpaniæ Rege oppreſſi, cùm ſuſpecti eſſent de occultâ cæde Benauidij viri primarij; ſed neque teſtibus conuicti, neque crimen faſſi, nihilominùs à Rege, qui præceps ac durus erat in iudicando, iuſſi ſunt duci, & ex altâ rupe præcipites dari. Cùm id fit, clamant innocentes ſe mori: & quoniam Regis aures iuſtiſſimæ defenſioni obſtructæ eſſent, ad ſummum Iudicem ſe prouocare, & Regi diem dicere ab iſto trigeſimum. Dicta nihil valuerunt: ſententia tenuit, ſed & ipſorum vadatio. Ipſo die trigeſimo Rex leui morbo tentatus, eodem paulò pòſt in lecto exanimis repertus eſt. Si quid hîc interuenit diuini, eſt ſanè cur timeant iniqui iudices. *Audite ergo Reges*, ait Sapiens noſter, *& intelligite, diſcite iudices finium terræ. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Huc oculos conuertant, qui in hac cæcâ mortalium confuſione palpitant: hîc greſſum figant, qui in hac tam vanâ tamque ancipiti rerum humanarum viciſſitudine fluctuant. *Tempus* enim *omnis rei tunc erit:*

Tertullian. de Patientiâ.

Deus inferiorum iudicum ſententias diiudicat.

Lipſius in Monit. Polit. c. 11.

Sap. 6.

omnis, inquam rei, quam hactenus hoc capite tractauit. Tunc enim neque temporum neque officiorum viciſſitudo nos vlla iactabit, ſed ſtabilis nos excipiet æternitas: & qui naturæ opera intellectu conſequi non potuerunt, ex illis tenebris aliquando tandem emergent: & qui addendo ac detrahendo cogitationes ſuas exercuerunt, iam in Dei operibus ac iudiciis acquieſcent, omniaque perfecta ac iuſta eſſe cognoſcent: & quibus iniqua iudicia mœrori fuerunt, iam diuinam prouidentiam venerabuntur: & qui iniquis iudiciis oppreſſi ſunt, in ſupremi Iudicis æquitate reſpirabunt: & ipſi iniqui iudices digna factis ſupplicia perſoluent; ac denique huius vitæ vanitas in veritatem, tenebræ in lucem conuertentur. Sed quoniam interim probis ac improbis, imò brutis & hominibus promiſcua contingunt omnia, & alta caligo diſcrimina rerum, vt in nocte colores, obruit, mox ſubiicit Eccleſiaſtes grauiſſimam hanc tentationem.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 18. Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis.

19. Idcircò vnus[a] interitus eſt hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius: cuncta ſubiacent vanitati,

[a] *Frequens lectio habet*: Quia vnus eſt euentus *vel* occurſus

20. &

20. & omnia pergunt ad vnum locum: de terrâ facta sunt, & in terram pariter reuertuntur.
21. Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum?

METRICA PARAPHRASIS.

Heu! quibus mentes hominum tenebris
Nullo interprete deuiant!
Nosse dum curâ ancipiti laborant,
Quid distent homines feris.
Sors enim cunctos eadem sinistris
Lætisque obuia detinet.
Pestilens vdo Ioue ventilata
Si terræ incubuit lues;
Lurido, iuxtà ac hominum, feraxum
Tabo corpora diffluunt.
Si niuem spargit Borealis Vrsa,
Aut cælo Procyon furit;
Frigus humanum glaciat cruorem,
Æstusque exanimat feras.
Coniugis postquam gremio solutis
Aether nubibus influit;
Fruge turgescens alimenta vtrisque
Tellus dædala parturit.
Si iuuat mulcens hominem voluptas,
Non lactat pecudes minùs
Tela dum spargit pharetratus Infans,
Et Cypris geminat faces;
Concipit flammas hominum propago,
Et vulnus patitur fera.

Dum ſopor Lethes placido madentes
Pennas flumine concutit;
Edomat curas hominum voraces
Et brutas cicurat feras.
Sed quid in luctus animi labantis
Verſu ſingula perſequor?
Tam pares munus vegetantis auræ
Vitæ folle reciprocant,
Quàm pares fatis rigidum tributum
Soluunt legibus ætheris.
Quid feris præſtat ſoboles Adami?
Si contagia corporis,
Si notes caſus fugientis æui;
An non omnia vanitas?
Vna nox omnes manet, vna vitam
Claudit meta nouiſſima:
Quæ tulit natos vtero Cybelle,
Denatis tumulum dabit.
Corpus, heu! vilem ruit in fauillam, vt
Nudum fax tetigit latus.
Quid, precor, refert cineres amomo
Mixtos vrna coërceat;
An putreſcentis pecudis cadauer
Conuexum tumulet poli?
Par erit bruti pretium fauillis,
Vt diſpar fuerit rogus.
Hei mihi! quantis animus procellis
Sub caligine fluctuat!
Quis ſatis lucem dirimit tenebris,
Rectis deuia ſeparat?
Quis ſatis ſolers animo volutat,
Quæ vox Numinis edocet;

Nempe

Nempe ſupremis ſobolem Promethei
Fatis eſſe ſuperſtitem,
Atque cognatos ſuperum Penates
Pennâ ſcandere præpete?
Contrà brutorum vacuis ſub vmbris
Euaneſcere ſpiritus?

PROSA EXEGESIS.

INGENS profectò tentationis aries, quo neſcio an alius vehementior adhiberi poſſit ad labefactandam animi conſtantiam, & illud qualecumque ſolatium, quod ex æquitate futuri iudicij in hac rerum perturbatione oſtendebatur, funditus euertendum. Quorſum enim tanto pondere expenſa extremi iudicij trutina? aut quid ſolatij conferent tam grauibus verbis exaggerata poſtuma iuſtorum præmia, ac improborum ſupplicia, ſi omnis cum corpore ſenſus extinguitur, & iiſdem limitibus omnis noſtra beatitas, quibus brutorum, circumſcribitur? Atqui nullum in ſummâ rei diſcrimen inter hominem & brutum inueniet, quicumque primâ fronte vtriuſque ortum & interitum, & ſimiles in vitâ *occurſus*, ſiue caſus obuios, fuerit contemplatus. Videmus enim ſimiliter homines, ac bruta, in vtero concipi, fetuque formato in lucem protrudi, ac ſucceſſiuis incrementis ad maturitatem perduci: videmus in vtriſque vitæ ſedem in corde conſtitui, ſanguinem ex hepate per venas diſpenſari: videmus cerebrum capitis arcem occupare, indeque ſpiritus animales per neruos diffundi: videmus eadem in vtriſque organa ſenſuum. Et quid ſi hac in parte nobilius aliquid brutis conceſſum eſt? Certè aquilæ perſpicacitate viſus hominem ſuperant: auditu talpæ excellunt:

Grauis tentatio eſt, eadem hominibus & brutis euenire.

vultures etiam & canes multò ſagaciùs eminus odorantur. Nec deſunt qui vinci hominem guſtu velint à Protogeuſte Indico animali, vti etiam tactu ab araneis.

Quid nunc varios caſus commemorem, quibus expoſita eſt vita noſtra? Sanè non pauciores, & fortè grauiores inueniemus, quàm quibus obnoxia ſunt bruta: quæ ſi variis cæli terræque iniuriis expoſita ſunt, habent certè, quibus ſe tueantur, maiora præſidia. Nam & villis, plumis, piliſque tecta ſunt, & vnguibus, roſtro, cornibus, ac dentibus armata, quibus omnem à ſe vim, ac nocitura propulſent; cùm homo nudus & inermis, ſoloque ſe vagitu defendens, in hanc miſeriarum palæſtram eiiciatur.

At, inquies, vt corporum quædam ſit affinitas, ſi membrorum ſtructuram vſumque organorum ſpectemus; tamen ſi mentem ratione præditam contemplemur, infinito ab animâ brutorum interuallo eam diſtare non infitiabimur. Sed ne illud quidem vſque adeò liquidum eſt, quin aliqua ſaltem rationis ſcintilla brutis communicata quibuſdam videatur. Si enim gratitudinis virtus à rectâ ratione proficiſcitur, quis non admiretur aquilam à ſerpente ſpiris circumligatam, & à ſuperueniente meſſore, ſerpente diſſecto, liberatam, mox liberatorem ſuum ab hauſtu veneni, quod aquæ infuſum erat, vnguibus aliſque prohibuiſſe? Quis non obſtupeſcat leonem Androdo ſeruo fugitiuo ob ſpinam è pede euulſam, diu in ſpeluncâ hoſpitium præbuiſſe, & alimenta è prædâ ſuppeditaſſe? Sed illud ad prædicationem etiam ſplendidius fuit, cùm idem ille ſeruus è fugâ retractus, & leoni tunc fortè capto Romæ ad deuorandum obiectus, à leone agnitus fuit, caudæque blandimentis, & omni beneuolentiæ

Bruta quædam ad rationem propius accedunt.

Crates Pergam. lib. 5.

Agellius Noct. Attic. lib. 5.

tiæ significatione cultus, vnà cum vitâ leone donatus abiit, acclamante populo, En leo hospes hominis, en homo medicus leonis. Quid elephantum commemorem? omnem pænè fidem excedunt, quæ de huius animalis ingenio grauissimi Auctores memoriæ prodiderunt. Nam & pueros amat, iisque cunas agitat, & muscas ab iis abigit, aliaque præbet solatia, teste Athenæo. Et Alexandriæ elephantem Aristophani Grammatico corriualem fuisse in amore puellæ cuiusdam quæ corollas vendebat, adfirmant Plutarchus & Plinius, eidemque munuscula attulisse, faciemque proboscide suauiter contrectasse. Rursus innocentibus (etiamsi nudi vinctique illis obiecti fuerint) eos peperciisse, testatur Iosephus; & contrà noxios conculcando obtriuisse, scribit Valerius Maximus. Quin & adulteros odisse, ipsaque adulteria iis, quorum intererat, prodidisse, auctor est Ælianus. Denique prolixâ oratione, propositis commodis & incommodis, eorum animos in omnem partem flecti, docet Pierius.

Vide hæc & plura apud Aldrouandū.

Infinita quæ restant, consultò prætereo, ex quibus nonnulli veterum animalia quædam tantam habere solertiam, ingenium, docilitatem, tradiderunt, vt ad humanæ mentis similitudinem vnica videretur deesse, quæ rationis semper socia est & interpres, oratio. At ne huius quidem omnino expertes esse brutas animantes, quotidiana docet experientia in psittacis, coruis, picis, de quibus admiranda quædam, voceque inexspectatæ, memoriæ proditæ sunt. Et inter quadrupedes hyæna Indica, siue Crocotta, tam peritè voces humanas imitatur, vt certa pernicies sit eis auscultare. Quid hîc dicam? An bruta in humanæ rationis admittenda consortium? Non equidem existimo. An, quod ait

Bruta quædam etiam loquuntur.

Ec-

Ecclesiastes, hinc ostendi, filios hominum similes esse bestiis, & nihil hominem habere iumento amplius? præsertim cùm eadem cunctis incumbat mortis necessitas?

Similiter homines ac bruta moriuntur.

Sanè si corporis oculos consulimus, & externâ morientium specie cetera, quæ latent, metimur; nihil admodum discriminis inter hominum ac brutorum interitum inueniemus. Dissoluuntur in tabem corpora, sensuque ac vitâ destituta, in terram delabuntur, nec quidquam sui, præter tristes exuuias, vrnamque cineris, aut putredinis, apud suos reliquum faciunt. Quid igitur dicam, si & in vitâ ad hominis felicitatem bruta adspirant, & in morte ad brutorum infelicitatem homo deprimitur? Quid dicam? nisi quod

Sap. 14,11. ait Sapiens, *creaturas Dei factas esse in odium, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Heu quàm multi, dum hîc bruta animalia paria cum hominibus sortiri arbitrantur, desperatâ postumâ beatitate, à cœpto virtutis atque honestatis itinere deflectunt? Quàm multi secum interitura cuncta existimantes, non minùs vitiorum quàm voluptatum cœno sese immergunt? Sic enim apud eumdem Sapientem ratiocinantur: (si tamen ratiocinantur.)

Sap. 2,3. *Cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur, tamquam mollis aër, & transibit vita nostra tamquam vestigium nubis. Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ. Sit autem fortitudo nostra, lex iustitiæ. quod enim infirmum est, inutile inuenitur.* Istiusmodi dementiâ & improbitate pascuntur, quos aut animi stupor vltra mortalitatis huius limites cogitationes

vetat

vetat extendere, aut flagitiosa vita, quòd præsenti suauius sit voluptate, quidquam sperare.

Nec tantùm imperitæ multitudinis est hic stupor, sed multorum etiam, quos pallium philosophicum superbiores reddidit, quàm sapientiores, de quibus illud Sapientis dici potest: *Quis nouit*, id est, vt Campensis exponit, Quotusquisque est qui attentè consideret, *si spiritus filiorum Adam adscendat sursum, & spiritus iumentorum descendat deorsum?* Itaque qui animum cum corpore interire dicerent, præcipui fuerunt Epicurei, quos ingens Ethnicorum turba secuta est. Stoici etiam hac in parte hallucinati sunt. Nam, vt ait Cicero, vsuram lucis nobis largiuntur tamquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos; semper, negant. Quamdiu autem? nempe ad ecpyrosin illam siue mundi conflagrationem: tunc enim in elementa mundi resoluendos. *Philosophorum error circa animæ immortalitatem.* Cicero Tuscul. 1.

Inter hos tamen Seneca nusquam hac in parte sibi constat. Nunc immortalitatem agnoscit, dum ait: Magna & generosa res est humanus animus: nullos sibi poni, nisi communes cum Deo, terminos patitur. & infrà: Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, æterni natalis est. Nunc autem animum cum corpore putat interiturum. At ego, inquit, mortem diu expertus sum. Quando? antequam nascerer. Mors est non esse; id quale sit, iam scio. Hoc erit post me, quod antè me fuit. Sed nemo stupidiùs hac in parte quàm Plinius philosophatus est, qui de animâ quidem brutorum, quam miris ornat encomiis, optimè meritus est, de humanâ verò pessimè, cuius immortalitatem acerbâ mordacitate insectatus est: nunc magno suo malo infeliciqúe experimento certior apud inferos factus, quàm vana sibi somnia persuaserit. Superuacaneum Seneca Epist. 102. Epist. 54. Plin. lib. 7. cap. 55. Vide Conimbricenses de Animâ separ. Disput. 1. art. 1.

fuerit ſtupidis eius interrogatiunculis reſpondere. Viderit ipſe (ſic enim iocatur) ſitne aliquis poſt mortem doloris ſenſus; & illic diſcat, ſi nihil eſt quod agant animæ; multùm ſanè ſupereſſe quod patiantur.

Multò profectò ſapientiùs apud Xenophontem philoſophatus eſt Cyrus Maior, qui ad mortem ſeſe accingens, Nolite, inquit, arbitrari, ô mihi chariſſimi filij, me, cùm à vobis diſceſſero, nuſquam aut nullum fore; nec enim dum eram vobiſcum, animum meum videbatis, ſed eum eſſe in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eumdem fore creditote, etiamſi nullum videbitis.

Cicero de Senectute. *Plerique Philoſophi rectè de animæ immortalitate philoſophati ſunt.*

Hanc igitur de animorum immortalitate certiſſimam ſententiam conſtanter aſſeruerunt ex antiquis Pherecides, & eius auditor Pythagoras, Triſmegiſtus, Thales Mileſius, Plato; & ne ſingulis recenſendis immorer, ſapientiſſimi Hebræorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Indorum, Gallorum, & duces ſuos ſecuti Pythagorici, Platonici, aliique pænè innumeri.

Animæ immortalitas probatur.

Et verò ratio euidentiſſima (vt Fidei firmamenta ſeponam) cuiuis minimè contentioſo hanc veritatem facilè perſuadet. Neque enim ea tantùm intelligit humanus animus quæ corpori ſubſeruiunt, aut ſenſibus amica ſunt (cuiuſmodi fermè eſt tota cognitio & imaginatio brutorum, etſi nonnumquam aut magicis artibus, aut imitatione conſuetudinis, non delectu rationis, altiora conari videntur) ſed rationes rerum vniuerſales concipit, & nouos mente architectatur mundos. quæ euidenter oſtendunt, mentem humunam non eſſe corpori immerſam. Neque verò huius vitæ limitibus cogitationes ſuas aut deſideria definit, ſed omnem complectitur æternitatem. Quid enim aliud loquun-

quun-

quuntur Mauſolæa? quid pyramides? quid coloſſi? quàm affectationem quamdam immortalitatis apud poſteros? Nunc verò ſi animi oblectamenta perpenderis, nullum cum carne commercium habere iudicabis. Delectatur enim contemplatione veritatis: delectatur rerum pulchritudine, ſymmetriâ, Mathematicis diſciplinis, honore, famâ, gloriâ, imperio. & ea quidem tanti facit, vt præ illis corporis commoda, vitamque ipſam pro nihilo ducat. Si autem animus à corporis conſortio penderet, non tam facilè vitam contemneret, vtpote ſummum ſuum bonum: nec eam pro gloriâ, pro virtutis pulchritudine, pro libertate prodigeret. Quid infinitam animi capacitatem, ne totius quidem orbis imperio aut poſſeſſione explendam, commemorem? *Satiabor*, inquit Propheta, idemque Rex glorioſiſſimus, *cùm apparuerit gloria tua.* Pſal. 16, 15.

Vide Leſſium de Animæ immortalit.

Rurſum, quid mundus hic pulcherrimus, quem hominis causâ conditum nemo dubitat? an non in tenebris deliteſcet, ac fruſtrà extitiſſe cenſebitur, ſi cum morte intellectus hominis extinguatur? Quotuſquiſque enim eſt, qui centeſimam imò milleſimam huius mundi partem in hoc tam anguſto vitæ curriculo habeat exploratam? Denique, ſi poſtumas pœnas ac præmia ſuſtuleris, nónne virtutem omnem ac religionem è mundo ſuſtuleris, omnibuſque flagitiis aditum laxaueris? Omitto cetera: quæ tametſi non minùs ſolida ſint quàm perſpicua; neſcio tamen quo ſæculorum fato, an infortunio, Deique peccata vindicantis nutu ſit effectum, vt rationibus tam euidentibus vix olim pauci animum aduerterint, pleriſque velut in meridianâ luce caligantibus. Felices nos, quibus oborto Fidei radio, cetera magis prona ac procliuia ſunt effecta. *Qui annun-* Pſal. 147, 19.

annuntiat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraël, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Olim denſis in tenebris palpitabant, & in cæcâ errorum caligine ceſpitabant, non vulgus hominum tantùm, ſed etiam Ethnicorum ſapientes: vt non immeritò dixerit Eccleſiaſtes: *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam adſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Nemo tamen curiosè ſcrutetur, cur tantam Deus caliginem rebus humanis offuderit. Satius eſt cum Eccleſiaſte à ſuperuacuâ diuinorum conſiliorum diſquiſitione abſtinere.

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 22. Et deprehendi nihil eſſe melius quàm lætari hominem in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius. Quis enim eum adducet, vt poſt ſe futura cognoſcat?

METRICA PARAPHRASIS.

CVNCTA ſi vaſti moderator orbis
Sub caligine detinet,
Nec ſuperfuſis ratio coruſcam
Prælucet tenebris facem,
Cana ſi terris pietas, fideſque, &
Sincera exulat æquitas,
Et pares brutis nimiùm fugacis
Auræ munere veſcimur,
Nec magis ſupremo homines ferasque
Sors diſcriminat exitu;

Quid

Quid fatigamus miseri æuiterno
Mentem consilio imparem?
Lætus in præsens animus futuri
Ne se indagine torqueat.
Nempe quod visum est Superis, placere
Turbæ terrigenùm decet:
Nec pedem excelsis adytis profanæ
Fas inferre licentiæ.
Quisquis humanâ meditatur vrnâ
Scrutari abdita temporum,
Arduum nexis ope Dædaleâ
Pennis inuolat æthera.
Ergo dum partis animum serenas
Mœstis nubibus obsitum,
Consules æqui facilis bonique,
Quidquid corrigere est nefas:
Et litans acti pretium laboris
Frugalem genio dapem,
Pallidas trades Boreæ vehendas
Curas in mare Caspium.
His nihil ducas fugientis æui
Inter tædia dulcius.
Nam licet curis animum vlceraris,
Et lentâ pereas lue,
Hauriant cordis gemitus vigorem,
Aut vultus lacrymæ exedant;
Nullus interpres superum recludet
Quæ lux postuma parturit.

PROSA EXEGESIS.

OPPORTVNO sanè consilio molestissimæ vanitati, quam toto hoc Capite tractauit, tandem occurrit Ecclesiastes, monens scilicet tranquillitate & æquabilitate animi diuinis operibus & consiliis acquiescentis, omnem curiositatis pruriginem, omnes disputationum tumultus, omnes tentationum procellas esse sopiendas: ne superbus animus in peruestigatione naturæ nimiùm cogitationibus suis indulgens, & indebitum sibi in rebus diuinis adscribens arbitrium, dum temerè in res abditissimas penetrat, maioribus indies tentationum laqueis, & errorum labyrinthis implicetur.

Deus sciolos rerum humanarũ caligine exercet.

Solet enim plerumque Deus ita profanam ac superbam hominis curiositatem compescere, vt solent magni nominis Philosophi, siquando sciolus aliquis ostentandi ingenij gratiâ de quolibet scibili, vt aiunt, se controuersiam moturum esse profitetur. Vt enim arrogantis disputatoris tumorem comprimant, & ingenij ipsius tenuitatem ostendant, obscuris quibusdam & inexpectatis argumentorum laqueis eum constringunt, aut, si respondendum est, negant in speciem prima principia, ἀσύστατα rationibus stabiliunt, absurda sustinent, totam denique Philosophiam sursum deorsum inuertunt: non quòd ita rem se habere existiment, vti præ se ferunt; sed sciolos illos argumentorum colaphis in omnem partem versant, tenebris inuoluunt, vertigine circumagunt, vt pudore suffusi tenuitatem ingenij sui agnoscant, neque tam facilè quæ non capiunt carpant. Ita Deus humanæ curiositatis temeritatem, & superbi iudicij fastum retundere cupiens, res omnes creatas quasi sub caligine proponit, easque perpetuâ rerum vicissi-

ciſſitudine ex oculis noſtris ſubducit, *vt non inueniat homo opus quod operatus eſt Deus.* Deinde, quamuis ataxiam quamdam rerumque perturbationem exhibere videatur, & *in loco iuſtitiæ iniquitatem, & in loco iudicij impietatem;* fruſtrà tamen indignatur & auctori ſuo ſuccenſet mens proterua mortalium,& malâ quadam carpendi ſcabie infecta, idemtidem ſe ſcalpit & exaſperat: fruſtrà etiam fremens, cælique decretis repugnans (quod in ſe eſt) ſceptrum Deo regnandique arbitrium de manibus extorquet, aut ad ſuum torquet arbitrium.

Meritò rideamus, inquit Lipſius (vir mihi, dum vi- Lipſ. l. 1. de Conſtant. cap. 14.
ueret, percharus) ſi is qui cymbam ad rupem alligauit, & funem idemtidem trahat, rupem ad ſe accedere cenſeat, cùm ipſe potiùs ad illam accedat: & non maior noſtra ſtultitia eſt, qui ad rupem illam æternæ prouidentiæ nexi, trahendo & reluctando volumus eam nobis obſequi potiùs, quàm nos illi? Denique curioſos illos ac faſtidioſos diuinorum operum cenſores,& conſiliorum arbitros, grauiſſimâ hac tentatione Deus exercet, quòd dum externâ ſpecie cuncta metiuntur, vix vllum inter homines ac bruta diſcrimen, aut in vitâ aut in morte deprehendant. Non quòd vllâ ratione ambigendum ſit de animorum immortalitate, ſed quòd profana curioſitas, dum nimiùm ſibi tribuit, & rebus externis perturbata, contra Auctorem naturæ diſputat, hac cæcitatis pœnâ multetur.

Quid igitur conſilij? Opportuniſſimum illud ſug- *Diuinis iudicijs acquieſcendum.*
gerit Eccleſiaſtes, vt ſorte noſtrâ contenti, rebuſque partis hilariter fruentes, quæ ſupra nos ſunt, noſtra nihil intereſſe arbitremur: ſed quidquid circa mundi gubernacula diuina prouidentia ſanxerit, id æqui bonique conſulamus. Ad hanc legem animus noſter aptan- Seneca Epiſt. 107.
dus

dus est, vt quæcumque fiunt, debuisse fieri putet. Optimum est pati, quod mutare non possis; & Deum, quo auctore cuncta proueniunt, hilariter & sine murmuratione comitari, rebusque suis amicum, ac præsentibus, qualiacumque sint, & eorum vsu frugali contentum, superuacuas sollicitudines procul ablegare. Hoc voluit Ecclesiastes, cùm dixit, *Deprehendi nihil esse melius, quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius*, siue vt habet Arabica versio, *hanc esse portionem illius*. eatenus scilicet opes ad beatam ac tranquillam vitam conferre, si frugaliter illis atque hilariter, ad inutiles tetricasque curas exterminandas, vtamur: cetera enim ad heredes pertinent. Hic est igitur magnus animus, quem commendat Ecclesiastes, qui suis gaudens, & quidquid Deo placuit, id optimum ducens, totum se Deo tradidit: at contrà ille pusillus ac degener esse conuincitur, qui obluctatur, ac de ordine mundi malè existimat, & emendare mauult Deum, quàm se; id est, qui prouidentiam ceteraque diuina carpens, alia illa esse velit magis, quàm se alium; nec in præsentibus tantùm censorem agit, sed ad postuma etiam sæcula inanes curas & cogitationes transmittit. Quid autem superuacuâ sollicitudine promouet, nisi vt Deo reddatur inimicus, ac sibi? Deo quidem, cui summopere displicet impudens hæc & profana curiositas, vt olim rectè animaduertit Euclides, dum multa de diis interroganti prudenter respondit: Cetera quidem nescio; hoc scio quòd oderunt curiosos. Nec minùs sibi inimicus censendus est, cùm in illâ tam pertinaci futurorum disquisitione, dispendium valetudinis, ac tabem quam non quærit, inueniat, id autem quod sequitur, numquam adsequatur. *Quis enim eum adducet, vt post se futura*

Curiosus Deo redditur inimicus & sibi.

futura cognoscat? Nemo certè huic tam impudenti tamque cupido, dum viuet, indicabit, quis mundi status post eius mortem sit futurus: eadémne rerum temporumque vicissitudo: idémne mundi ornatus, an diuersus, aut maior: an adhuc diuturna futura sit bonorum cum improbis conflictatio: quamdiu iniquitas iustitiam sit adulteratura: quamdiu de innocentiâ triumphatura sit improbitas: quando tandem iniquorum iudicum sententiam ad suum tribunal euocatura sit diuina iustitia: quæ præmia iustis improbisque supplicia sit decretura: quando tandem reipsâ declaraturus sit Deus, quid inter homines & bruta intersit: quamdiu iisdem casibus vtrique futuri sint obnoxij in tentationem ac ruinam eorum, qui, dum supra vulgus sibi sapere videntur, nimis quàm desipiunt. Denique nemo diuinorum secretorum conscius inuenietur, qui curiosum hunc de iis quæ post mortem eius circa ipsum alioqúe in tempore aut æternitate decernenda sint, certiorem facere possit. Quisquis igitur sapiet, sedato semper ac tranquillo animo sua lætus adspiciet, & quidquid de se diuina prouidentia decreuerit, id velut æquum sanctumque venerabitur: ceterùm rebus suis propitius, sibique intentus, huius mundi gubernacula cursumque Superis committet.

Frustrà se torquet curiosus.



SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT QVARTVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 1. Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ ſub Sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem conſolatorem: nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos.

2. Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes:

3. & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus eſt, nec vidit mala quæ ſub Sole fiunt.

METRICA PARAPHRASIS.

ELOQVAR, an ſileam perculſæ vulnera mentis?
Flebilibúſve elegis viſa nefanda querar?
Dum me vana inter dextrâ lævaque reclino,
Et laſſum huc illuc verſo reverſo latus;
Dum ſola terrarum tacito pede mœſtus oberro,
Perluſtrans animo Solis vtramque domum;
Vidi (præ lacrymis vix me vidiſſe fatebor)
Sed vidi (heu! refugit mens meminiſſe nefas,)

Lumi-

Luminaque insontes rorantia tollere cælo,
Et frustrà innocuos imbre rigare sinus.
En viduæ thalamis, viduæ solamine matres
(Heu consanguineis præda voranda lupis!)
Torquebant misero natorum pectora planctu,
Flebilibusque dabant talia verba sonis:
O! mea lux, mea nox, mea vita, & funera, nati!
Dum vos intueor, vita inimica fugit;
Obuia luxuriat seges exsuperanda malorum:
Nec quisquam miseris ferre laboret opem.
Non iuuisse, parum est; etiam pugnatis amici,
Diripitur vestrâ præda tenella manu.
Qualiter in siluis cùm deuia segrege cursu
Vepribus horrentes agna pererrat agros,
Pænè tenet spolium quæuis de vellere spina,
Signat & implexas lanea præda vias:
Sic ego cum teneris genitrix mœstissima natis,
Fraudibus innumeris obuia præda sumus.
Desertos vellunt, rapiuntque feruntque propinqui,
Quos portum laceræ fas erat esse rati.
Sic gemitus, sic verba pio dat suada dolori:
Sed rapit immitis tristia verba Notus.
Parte aliâ Corydon, angusti cultor agelli,
Cui calloſa manus, & ligo census erant,
Duxerat è tuguri congesto cespite in herbas 2. Reg. 12.
Delicias agnam, diuitiasque suas;
Nec secùs, ac natos, hanc pulte fouebat agresti,
Et vitrei laticis fagina pocla dabat:
Hæc venerata manum Cerealia dona ferebat,
Inque sinu domini dulce iacebat onus.
Viderat hanc diues, cui pascua iugera mille,
Mille boues tondent gramina, mille greges:

Huius fortè nouus succeſſit ſedibus hoſpes,
Cui voluit lautas appoſuiſſe dapes.
Ecce ſuis parcens bubuſque, ouibuſque, opibuſque,
Pauperis agnellam gaudia tota rapit.
Hei mihi, quæ lamenta dedit! quos pectore queſtus!
Nequidquam implorans Diuûm hominumque fidem.
Credibile eſt fleuiſſe agros, paruoſque penates,
Vicinumque illi congemuiſſe nemus.
Parte aliá infeſti malè ſobria turba Gradiui
Inuadunt inopes ruſtica tecta lares.
Iob 24. *Ploranti Lycidæ reſpectans bucula abacta eſt:*
Et gemitu Lycidæ bucula congemuit.
Singula quid memorem? miſeros pede proterit exlex,
Ludibriisque agitat luxurioſa cohors:
Pupilli & viduæ pingueſcunt ſanguine dites,
Atque inopum lacrymas ebria turba bibit,
Nec medicina malo eſt. quid enim tua limina pulſent
O Themi vix magnis peruia muneribus?
In pretio pretium eſt: Themidis mammona tribunal
Occupat, & proprio iura dat arbitrio.
Vanum dia Themis nomen! vaniſsima libra
Aſtræa! & cæcæ ſomnia noſtra Deæ!
Ius omne in nummis. Inopes exeſte. Miſellos
Submouet his ſacris munere inuncta manus.
O dolor! ô vbi nunc Vates Auſitidis oræ,
Cui decus æternum dura tuliſſe fuit?
Iob 29. *Ille oculus cæco, pes claudo, vita ſepulto,*
Ille parens viduæ, & coniugis inſtar erat.
O quoties inopum ſolamine pectora mulcens
Rebus in adflictis portus & aura fuit!
O quoties raptu ambeſam è faucibus vrſi,
Damnatamque fero iudice fouit ouem!

Hæc

Hæc inter merito firmans solamine mentem,
Securus fati talia dicta dedit:
In nido moriar, veluti Phœbëius ales
Emensus longâ sæcula dena die,
Natalesque rogos, parituraque funera vitam
Diuitiis Arabum deliciisque parat:
Et latè exspatians per deuia rura volatu
Portat odoratis thura Sabæa focis:
Cinnamaque, & costum, Nabathæaque germina, & altè
Funeream cumulat spica Cilissa struem;
Inde Hyperionios adflictu prouocat ignes,
Fitque modò alituum gloria, parua cinis:
Sed cinere è busti rediuiua repullulat ales,
Et noua fatali fœnore sæcla parat.
Sic ego post tumulum fortunatamque fauillam,
Post ver continuum, quod breuis vrna dabit,
Emergam vegetus, longumque remetiar æuum,
Grataque post cineres lucra vigoris erunt.
O velit hæc Numen! ô si fata aspera rumpas!
Concilietque tibi reddita vita fidem!
Exoriare aliquis sacro de puluere phœnix:
Nam qui subuenias flentibus, vnus eris.
Vnus eris puerisque parens, viduisque maritus.
Iam dudum poscunt tristia sæcla virum.
Exundant lacrymæ, veluti Mareotide ripâ
Cùm vagus arentes Nilus inundat agros.
Crescite, crescite nunc lacrymæ, confundite riuos:
Crescite in Euxinum, crescite in Oceanum:
Oceanum, qualem stupuit Noæa carina;
Hæc similem par est sæcla videre ratem.
Nam scelus omne viget, vitiisque vrgemur ijsdem:
Orbis & in senio non senuere mala.

Este procul vatum, mendacia somnia, luctus:
Non facit ad nostram ludicra scena lyram.
Non mœstum Danais mihi quinquagesima carmen,
Vnica quam damnat culpa, fuisse piam.
Mitto Thyestæas infamia fercula mensas,
Cùm Phœbus refugo sorbuit axe iubar.
Non mihi sit curæ Niobes lacrymabile saxum,
Aut flens Ismarium Daulias ales Ityn.
Este procul nugæ: lacrymis, heu! sufficit orbis:
Sat patet in luctus area lata meos.
Dirâ cæde madent generis primordia nostri:
(Hæc meruit pietas præmia, magne Deus.)
Hostis erat nullus: gemini, par nobile, fratres,
Et totus mater cum patre mundus erat:
Et tamen innocuus fraterno & virgine ferro
Corruit; hinc retinent Martia tela sitim.
Quid memorem Busiri tuis Nilotide ripâ,
Heu! iura hospitij contemerata Sacris?
Quid memorem Pharij crudelia sceptra Canopi,
Dum genus Isacidum sub Pharaone gemit?
Ast aliud pungit propiori corda dolore
(Mens fugit admonitu, mutaque lingua stupet)
Cùm Gabaëna cohors furiata libidinis æstro
Ausi sacrilegas conscelerare manus,
Leuitæ sociam thalami Bethlemida ab ipso
Coniugis amplexu per vaga tecta trahunt,
Donec fracta stupris, passis in limine palmis,
Hospitis exanimis corruit ante fores.
O cælum! ô tellus! ô conscia criminis astra!
O qui sidereâ spargis ab axe faces!
O vbi! Sed satis est: lacrymas lamenta vocarent,
Ingruerent fluctus, obruerentque ratem.

Sed

Sed fluite ô lacrymæ, lacrymæ exundate, procellas
Tollite, fluctiuagam præcipitate ratem.
Vita mihi mors est, placidus mors naufraga portus:
Illa parit fluctus, hæc statione locat.
Felices oculi, lacrymis queis lumen ademptum,
Ne toties videant, quæ repetita fleant.
Sed magè felices, somnus quos ferreus vrget:
Vnica queis tantis nox medicina malis.
Et magè felices, mater quibus vrna sepulcri:
Quos nox cognouit vnica, nulla dies.

PROSA EXEGESIS.

CVM multa sunt in hac valle lacrymarum, quæ vitam hanc acerbam reddunt & ingratam, tum nihil est, quod ampliorem mœroris ac fastidij segetem ac materiam præbeat, nihil quod vberiores lacrymarum scaturigines eliciat, quàm cùm pauperes, pupilli, viduæ, aut alij morum innocentiâ commendabiles, omni præsidio solatioque destituti, aut per calumniam subruuntur, aut potentiorum machinationibus euertuntur. Quis est enim ex omnibus tanto animi robore septus, vt communis naturæ sensum repudiare, & se hominem esse possit infitiari? Itaque & lacrymæ lacrymas eliciunt, & miseriarum indignitas, commiserationis adfectum prouocat. Atqui nullo ex fonte vberiores fluunt lacrymæ, quàm ex innocentium, maximè pauperum, oppressione. Consulite, si placet, monimenta vetustatis, inuenietis apud Sapientem nefarium impiorum conciliabulum, & innocentiam tamquam maleuolentiæ scopum perditorum telis expositam. *Opprimamus*, inquiunt, *pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veteram reuereamur canos multi temporis.* Sap. 2, 10.

Innocentiũ maximè pauperũ oppressio deploranda.

Vers. 12. Vers. 20. *ris. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. Morte turpissimâ condemnemus eum.* & plura in eamdem sententiam.

Israëlitæ in Ægypto oppressi.

Consulite exordia gentis Israëliticæ, inuenietis hunc funiculum diuinæ hereditatis Ægyptiacâ tyrannide pęnè disruptum, & spem posteritatis in ipsis propemodum incunabulis exstinctam. Nefarium certè mandatum non defuit: nisi maior fides & humanitas in obstetricibus fuisset. Deinde, quàm crudeliter operibus luti & laterum, negatis etiam palearum subsidiis, exhausti sunt? quàm etiam nullo suo merito flagellis grauissimè cæsi? Frustrà gemitibus aures tyranni pulsabant, frustrà lacrymarum riuos ante tribunal fundebant. Nimirum in saxeo tyranni pectore omnis humanitatis sensus obriguerat.

Exodi 1. Cap. 5.

Iudic. 19. Gabaonitarum barbaries.

Quid Gabaonitarum plus quàm belluinam immanitatem commemorem, cùm peregrini Leuitæ vxorem ab itinere viribus fractam, in plateâ destitutam, & vix precariò hospitij tecto receptam, totâ nocte tot stupris vexarunt, vt ante fores tandem exanimis corruerit? Atqui tam immanis flagitij nullum à Iudice supplicium impetrari potuit.

3. Reg. 21. Naboth ab Achabo oppressus.

Quid miserum Naboth Iezabelis perfidiâ & Achabi cupiditate per summum scelus hereditate paternâ simul & vitâ spoliatum referam? Atqui frequentissimam hanc tragœdiam non vnius Prouinciæ spectant theatra, sed amphitheatrum orbis vniuersi. Naboth enim historia, ait Ambrosius, tempore vetus est, vsu quotidiana. Quis enim diuitum non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agello suo pauperem, & auiti iuris eliminare finibus? Cuius non inflammat diuitis animum vi-

Ambrosius de Naboth, cap. 1.

cini

cini possessio? Non igitur vnus Achab natus est, sed, quod peius est, quotidie Achab nascitur, & numquam huic sæculo moritur. Nec vnus Naboth pauper occisus est: quotidie Naboth sternitur, quotidie pauper opprimitur. Hoc metu percitum humanum genus cedit iam terris suis, migrat cum paruulis pauper onustus pignore suo: sequitur vxor illacrymans, tamquam ad bustum prosequatur maritum. Minus tamen deplorat illa, quæ flet suorum funera: quia etsi amisit coniugis præsidium, sepulchrum habet: etsi filios non tenet, tamen exules non dolet, nec ingemit grauiora funeribus teneræ prolis ieiunia. Hactenus melleus ille Scriptor.

Calumnia etiam magnos petit.

Neque pauperum tantùm vitæ, famæ aut fortunis morsum impingit dentata calumnia, sed viris etiam eximiis perniciem machinatur, & (quod Superbus olim mandabat Tarquinius) summa papauerum capita demetit. Quantus olim luctus Romanam vrbem peruasit, cùm Iulius Flauius Crispus Constantini Augusti filius, iuuenis in spem Imperij educatus, ex Alemannico bello victor, ac tertiùm Consul, atroci Faustæ nouercæ calumniâ circumuentus, foris partâ pace, domi bellum offendit? Cùm enim generosissimus ille Princeps honestè cadere, quàm turpiter facere maluisset, Faustam nouercam Phædræ, patrem Theseo, simillimos est expertus, ipse Hippolyto constantior. Rursus, quanta pauperum ac viduarum Constantinopoli fuit complo-ratio, cùm D. Chrysostomus Eudoxiæ Augustæ calumniâ, quòd eam, tamquam alteram Iesabelem, ob ademptum Callitropæ viduæ agrum, reprehendisset, Conciliabuli nescio cuius sententiâ, in exilium atque adeò in varias calamitates ac mortem ipsam compulsus est? Quantus mœror, & quanta olim vastitas Ecclesiam

Florus li. 1.

Vide Stephonij Crispum.

Vide Vitam Chrysost. apud Metaph.

Alexandrinam adflixit, cùm vir ille incomparabilis, & tot palmarum pugil Athanasius, postquam toties de mendacio & calumniâ triumphasset, per omnes terrarum oras Arianorum violentiâ circumactus, in exilio solatium captauit, & ad necem per omnia contubernia quæsitus, vitam in sepulchro parentis inuenit?

Calumnia maximè in aulâ grassatur.

Infinitæ sunt istiusmodi malorum scaturigines, è quibus vberrimæ per orbem exundant lacrymę. Ac potissimùm in aulis Principum hæc morum lues & communis vitæ pestis propagatur: dum alij æmulorũ ruinâ gradum sibi sternunt ad magna, alij fictis criminationibus vlcisci dolorem suum aliquem volunt, alij nescio quâ malignitate naturæ, non minùs alienâ calamitate, quàm suo scelere atque improbitate pascuntur.

Vita mœrentibus & calumniam passis acerba.

Hæc sunt quæ vitam nobis acerbam reddunt ac luctuosam: sed iis potissimùm, in quos tempestas illa potentium & calumniatorum detonat: aut iis etiam, in quorum sinum miseri illi lacrymas & gemitus effundunt. Nam, vt ait malorum non inexpertus Propheta Iob, *quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt? qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum: gaudentque vehementer cùm inuenerint sepulchrum.* Iob 3,20. Miserum profectò felicitatis genus, quod extremum potiùs malorum omnium dici debuit, nisi hac tantâ acerbitate vitâ aliquid inuenisset acerbius. Quod quidem tanto interuallo superat illud quod dici solet malorum omnium extremum, vt hoc illius comparatione beatitas quædam dici posse videatur. Sanè ita cecinit Tragicus:

Seneca Herc. Oetæo.

Par ille est superis, cui pariter dies
Et fortuna fuit: mortis habet vices,
Lentè cùm trahitur vita gementibus.

Quid

Quid enim nobis miserius (ait Ambrosius, qui hunc locum Ecclesiastæ ad vniuersæ vitæ causam transfert) quid inquam nobis miserius, qui tamquam spoliati & nudi proiicimur in hanc vitam, corpore fragili, corde lubrico, imbecillo animo, anxij ad sollicitudinem, desidiosi ad labores, proni ad voluptates? Non nasci igitur longè optimum, secundùm hanc Salomonis sententiam: *Et laudaui magis mortuos quàm viuentes; & felicriorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub Sole fiunt.* Huic sententiæ conformia etiam tradit M. Tullius Tusculanâ primâ, vbi fabellam de Sileno recitat: qui cùm à Midâ captus esset, hoc ei muneris pro suâ missione dedisse scribitur, quòd cum docuit, non nasci hominem longè optimum esse; proximum autem, quamprimùm mori.

Ambrosius lib. de F. de resurrect.

Vita præsentis miseranda.

Cicer. Tuscul. 1.

Hæc & similia dum pensiculatiùs examino, simulque funesta illa vota Prophetæ Iob attentè rumino, *Pereat dies in quâ natus sum, & nox in quâ dictum est: Conceptus est homo. Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? Quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.* Hæc, inquam, dum tacitus expendo, occurrit animo difficultas illa Theologica, Verène melius sit, & secundùm rectam rationem optabilius, aut præmaturâ morte defungi, aut in posterum omnino non esse, aut numquam omnino fuisse, quàm aut æternis inferorum suppliciis cruciari, aut hîc ad tempus in extremâ quadam acerbitate versari?

Iob 3, 3. Vers. 11.

An liceat mortẽ optare in graui dolore.

Magnâ vtrimque contentione doctorum virorum hæc quæstio ventilatur: & in eo quidem plerique ferè consentiunt, optabilius esse omnino non esse, quàm Dei inimicum esse apud inferos, aut lethali piaculo se ob-

Vide Pinedam hîc, & Salas in 1. 2. q. 87. tract. 13. disp. 15. sect. 7. ad 6.

obstringere. hoc enim saltem euincit grauissima illa Matth. 26, 24. Christi de Iudâ proditore sententia: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

Ceterùm, sepositis cum Deo inimicitiis, restat hæc quæstio, Sítne melius aut optabilius omnino non esse, quàm aut æternis tormentis, aut grauissimis ad tempus cruciatibus ac miseriis adfligi. Hîc plerique Doctores partem negatiuam amplectuntur, eâ ratione ducti, quòd tametsi miseriâ & cruciatu carere tamquam magnum aliquod bonum apprehenditur, coniunctum tamen cum annihilatione essentiæ, sit magnum malum: contrà verò ipsum esse seu viuere, quamuis cum cruciatu coniunctum sit, hoc ipso tamen quod est, verum, reale ac substantiale bonum aiunt inferre, proindeque id absolutè meliùs esse, & secundum rectam rationem potiùs eligendum.

Sed nimirum ea, quæ electionem ac vota concernunt, potiùs moribus hominum, quàm Metaphysicis acuminibus conformanda sunt. Aliud est enim bonum, quod enti æquiualet, idemque est quod res quælibet; aliud verò quod naturæ nostræ conueniens est atque acceptabile: alioqui si Metaphysicè res ad viuum resecare volumus, præstabilius esse dicemus, hominem cruciatu affici (quoniam id res quædam est) quàm cruciatu carere, quod nihil est. Itaque longè aliter nobis hîc philosophandum est. Et quemadmodum Christus in horto Oliueti instantium tormentorum horrore concussus, ita orationem temperauit, vt priorem eius partem inferiori naturæ parti siue appetitui sensitiuo concederet, posteriorem verò ac potiorem rationi; ita hîc existimare debemus, si partem sensitiuam consulimus, melius atque optabilius iudicandum omnino

non

non esse, quàm aut æternis tormentis excruciari, aut intolerabilibus miseriis longo tempore adfligi. Si enim viuere apud optimos Auctores idem est quod lætum atque alacrem esse; quæ tandem erit illa vita, perpetuo cruciatu aut mœrore contabescere?

Quare hoc etiam adfirmo, cùm recta ratio docere videatur, tantum esse posse cruciatum, tamque diuturnum, vt vitæ fructui præponderet; etiam superiorem animæ partem iudicare (quod etiam Victor Antiochenus ac D. Hieronymus disertè adfirmant) interdum satius esse omnino non esse, quàm in tormentis esse: ac proinde id etiam secundùm rectam rationem optari posse, nisi fortè ratio aliqua altioris ordinis interueniat. Cùm enim ex miseriis & cruciatibus hominum, siue in pœnam peccatorum inflictis, siue ad virtutis exercitium comparatis, Deus gloriam suam eliciat (qui aut ad maiestatem eius, aut iustitiam, aut aliam perfectionem declarandam pertinent) hominis est rectè instituti, potiorem diuinæ gloriæ, quàm suæ commoditatis habere rationem. Itaque cùm aut Ecclesiastes meliorem esse conditionem iudicat eorum, qui numquam nati sunt, quàm qui in tantâ hîc acerbitate versantur; aut cùm alij viri sancti huic iudicio consentanea sibi vouent; ita semper animo comparati sunt, vt si nossent Deo aliter visum esse, aut hoc ad eius gloriam pertinere, mallent etiam cum suo cruciatu ac miseriâ diuinæ gloriæ subseruire. At si nulla necessitas cogit Deum per huius aut illius cruciatum maiestatem suam aut gloriam declarare; quid vetat, quò minùs hi tales absolutè & secundùm rectam rationem vouere possint non esse potiùs quàm sic esse? Sed pleniorem horum tractationem Scholasticis relinquen-

Victor Antiochen. in Marcum. Hieronym. hîc.

tes, ad ærumnas vitæ præsentis cum Ecclesiaste reuertamur, pluresque rationes congeramus, quæ vitam hanc acerbam reddunt & ingratam.

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERS. 4. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est.

5. Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens:

6. Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & adflictione animi.

METRICA PARAPHRASIS.

LACRYMIS *bonorum saucius, luctu satur*
Mali leuamen corde dum vago sequor,
Erectioris indolis studia mihi
Pepulere nubes. Ecce contemplor viros,
Quorum saluti patriæ sudor fluit:
Seu quos tribunal litibus raucum suis,
Seu quos cruenti Martis exercet labor.
Iuuat intueri publicæ natos rei,
Seu qui tot artes eruunt industriæ,
Prægnantis vtero, siue qui sophiæ hortulis
Politioris ingeni flores legunt;

Seu

Seu quos ab imâ fæce discernit polo
Cognata virtus. Heu! quòd hic etiam dolor
Mentis serenum nubilat. Solidum nihil
Humana studia, quo suos pascant, habent.
Nulli scaturit gaudij ad purum latex:
Namque ecce liuor dente tabifico petit
Virtute quidquid altum, & ingenio eminens,
Post se relinquit noctis ignauæ chaos,
Iterque cælo tendit; & luci inuidens,
Si quâ arte posit, nube subtexit diem.
Quemnam illa pestis liquit intactum? suam
Vix orbe nato, & orbe vix natis luem
Transfudit. Anne fallor? An primus cruor
Fusus Caini dextera vltrices Dei
Exterminando crimini implorat faces?
Quid tu Rachele genite, delicium patris,
Miserande iuuenis? cuius exuuiis pater
Lacrymas cruori miscuit. Verè effera
Te viperino dente percussit fera.
Quin ipse Nemees magnus Alcides timor
Licet Erymanthi monstra prostrârit solo,
Immaniorem sensit inuidiæ feram.
Quid tamen in arma surgit, ac telo impari
Liuor duellat? Gloria inuidiâ altior
Virtutis, orbis ima despiciens, locat
Sedem inter astra, quà rotas Phœbi trahit
Radiatus Æthon. Saliat in neruum licet
Proles pharetræ, ac tela subducant diem;
Sagitta Phœbi nulla violabit iubar,
Sagitta feriet nulla virtutis iubar.
Ringatur vsque, & vsque marcentes voret
Liuor medullas, seque discruciet suis

Curis

Curis peruſtus; nil aget tamen miſer.
Non hæc ad arces ducit indigetum via,
Cruciari honeſto, gloriæ nubem obdere,
Mœrere lætis. Quiſquis aſtriferam domum
Virtutis ambit, arduos calles terat,
Quâ tot ſuperbos gloria Heroës rapit.
Sed fruſtrà adhortor, verbaque in ventum fero:
Ignaua mentes facta degeneres probant.
Stultus plicatis manibus, ac cælum intuens,
Similis hianti, tabidas carnes vorat,
Et oſſa rodens, languido ſolatio
Suſtentat animum: ſatius anguſto lare
Farris pugillo placita ſectantem frui,
Quàm mille curis, mille luctantem malis,
Vtraque palmâ arctare congeſtas opes.
Quæ digna inerti præmia inuidiæ precer?
Inter aliena degat ætatem bona:
Nil triſte videat, videat infauſtum nihil.

PROSA EXEGESIS.

Inuidia vitium diabolicum.

ALTERVM hîc malorum caput aſſignat Eccleſiaſtes, quæ vitam hanc acerbam reddunt & luctuoſam, inuidiam ſcilicet, quâ nulla peſtis eſt antiquior, & nulla præſentior. Ab hac enim calamitatum omnium ac miſeriarum ſcaturigo: ab hac ruina totius humani generis; ab hac denique mors ipſa traxit exordium. Sap. 2, 23. *Deus* enim *creauit hominem inexterminabilem*, ait alibi Sapiens noſter, *inuidiâ autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Itaque qui diabolicum hoc vitium nuncuparit, ad incunabula quidem ſua monſtrum hoc deduxerit, ſed tamen leuioris monetæ, quàm pro rei grauitate, nomen procuderit. Siquidem vt primis generis noſtri

ſtri progenitoribus cacodæmon inuiderit, dæmonem certè dæmoni inuidiſſe non reperimus: hominem autem in alterum ſe hominem inuidentiæ dentem acuere, id verò quo nomine appellem neſcio. Atqui non homines tantùm, ſed germanos inter ſe commiſit hæc furia. Nónne, vt ſolus regno potiretur, fraterno ſanguine naſcentis Vrbis mœnia fœdauit Romulus? Et ſi quid Poëtis credimus, nónne ſolium vnicum anguſtum fuiſſe Thebanis fratribus Etheocli & Polynici, teſtantur eorumdem in funere diſcordes rogi? Et quid dico ſolium vnicum? orbis profectò totius latitudinem primis in orbe fratribus anguſtam fecit inuidia. Quid autem tantas in Caino inuidiæ faces accendit? Nimirum eximia fratris virtus diuino teſtimonio comprobata. Ita ferè fit, vt virtutis lucem oderint improbi, quemadmodum & Solem lumina ægra formidant, & auerſantur diem ſplendidum nocturna animalia, quæ ad primum eius ortum ſtupent, ac timore lucis abduntur in rimas. Sed illud indigniſſimum eſt, quòd inuidi lucem, quam non capiunt, carpunt; & virtutem, ad quam ne adſpirant quidem, vicinorum vitiorum nominibus dehoneſtant. Temerarium eum vocant, qui fortis eſt; degenerem, qui modeſtus; ſuperbum, qui magnanimus; crudelem, qui iuſtus; verſipellem, qui prudens eſt: idemque de ceteris iudicium. Quid enim eſt à liuidis hiſce dentibus in orbe tutum?

Florus li. 1. cap. 1. Statius lib. 12. Theb.

Geneſ. 4, 8.

Seneca lib. de Beatâ vitâ c. 21.

Profectò nullum eſt propugnaculum, quo ſe quis ab hoc hoſte tueatur, nullus receſſus vbi deliteſcat, nulla montium cacumina quæ conſcendat, nullæ ſiluarum latebræ quibus ſe tegat. Cùm autem omne genus hominum inuidiæ expoſitum eſt, tum ij potiſſimùm, qui aut in Republicâ virtute ac dignitate præſtant, aut ingenij

Nihil ab inuidiâ tutum.

genij gloriâ ceteris antecellunt, aut assiduo labore atque industriâ eximium quiddam sunt consecuti. Nam, vt ait Poëta,

Ouidius de Remed. amoris.

Summa petit liuor, perflant altissima venti.

Inuidia ignauorum est.

Verùm enim verò quid hoc monstri esse dicam, quod cùm in optimum quemque ac præstantissimum dentem acuat inuidia, & id quod in omni genere laudis eminet, insectetur; in eorum tamen cordibus plerumque figit domicilium, qui nullius genij sunt aut ingenij, nullis humanis diuinisque dotibus conspicui, nullius denique laboris aut industriæ; sed stupidi atque ignaui, fuci, fungi, caudices? Ita profectò se res habet: Inuidia sequitur inertiam, inquit Velleius; & Liuius paulò enucleatiùs, qui etiam causam assignat. Nulla, ait, ingenia tam prona sunt ad inuidiam, quàm eorum, qui genus ac fortunam suam animis non æquant: quia hi tales virtutem & bonum alienum oderunt, hoc ad splendorem suum pertinere arbitrantes, si aliorum laudibus nebulas offuderint, & in parte felicitatis suæ ponentes, si quid aliis aduersi contigerit. Quemadmodum Medici illi, qui auaritiæ student, hoc vnicum habent in votis, vt quamplurimi per vrbem morbi grassentur; de quibus illud non incongruè dici solet, Mala res medicus est; cui numquam benè est, nisi dum quamplurimis est malè. Sic inertes illi fungi tum se felices arbitrantur, si aliorum felicitatem subuertere potuerint; & tum se magnos, si aliorum magnitudini obtrectarint. Ita se maleuolentiâ & obtrectatione pascit alienis incrementis inimica semper inuidia. Alit enim liuorem infelix inertia (vt ait Seneca) & omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt prouehere: & ex hac deinde auersatione alienorum proces-

Velleius lib. 2. c. 42. Liuius libro 35.

Seneca lib. de Tranquillit. animi, c. 2.

ceſſuum, & ſuorum deſperatione, obiraſcens fortunæ animus, & de ſæculo querens, & in angulos ſe retrahens, & pœnæ incubans ſuæ.

Eodem planè ſenſu de inuido ſermonem pertexens Eccleſiaſtes, ſubiungit: *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* Sed vt aliquâ probabili ratione ſe tueatur, ſententias loquitur, dicens: *Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore & adflictione animi.*

Plura aut maiora viribus non tentanda.

Salutare vtique præceptum, vitæque communi inprimis opportunum: cui geminum illud Democriti ad animi tranquillitatem ducens commendat Seneca: Si neque priuatim, neque publicè multa aut maiora viribus noſtris egerimus. Numquam enim, inquit, in multa diſcurrenti negotia dies tranſit, vt non aut ex homine, aut ex re offenſa naſcatur: quemadmodum per frequentia vrbis loca properanti in multos incurſitandum eſt; ita in hoc vitæ actu diſſipato & vago multa impedimenta, multæ incidunt querelæ; neque ſemper ex deſtinato propoſita ſuccedunt. Nulli fortuna tam dedita eſt, vt multa tentanti vbique reſpondeat. Sequitur ergo, vt is, cui contrà quàm propoſuerat aliqua ceſſerunt, impatiens hominum rerumque ſit. Itaque vt quietus poſſit eſſe animus, non eſt iactandus, nec multarum, vt dixi, rerum actu fatigandus, nec magnarum ſupraque vires appetitarum. Facile eſt leuia aptare ceruicibus, & in hanc aut illam partem transferre ſine lapſu: at quæ alienis in nos manibus impoſita ægrè ſuſtinemus, victi in proximos effundimus; & dum ſtamus ſub ſarcinâ, impares oneri vacillamus.

Seneca l. 3. de Irâ, c. 6.

Ignaui ſapientiam deſidiæ prætexunt.

Hæc & ſimilia, quæ ſanè vera ſunt, inertiæ ſuæ ſtultus & inuidus prætexit. Sed ego cum Pacuuio odi homines

Tacit.l.15. Annalium. mines ignauâ operâ, philosophâ sententiâ; & qui doctrinâ ore tenus exerciti, animum bonis artibus non imbuerunt. Itaque eiusmodi fuci ac fungi virtutis & sapientiæ nomen ambientes, sed re totâ destituti, desidiosum potiùs otium, quàm veram animi tranquillitatem sequuntur: quorum sapientia vel dementia potiùs quanta sit, tunc maximè apparet, cùm animaduertimus, quâ mercede sapiant; hac scilicet, quòd nec Deo placeant, cuius beneficiis abutuntur; nec hominibus, quorum aut virtutibus obtrectant, aut lætis successibus inuident; nec sibi denique, dum propter alienam virtutem ac felicitatem ipsi mœrore cõtabescunt.

Inuidi Deo exosi. Deo, inquam, inprimis execrationi sunt, quia dum gratiam eius ac fauorem per inertiam ac teporem nauseabundi prætereunt, Deo vicissim nauseam mouent ac vomitum, prout ipse in Apocalypsi protestatur: Apoc.3,15. *Vtinam frigidus esses aut calidus! Sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Nec Cassianus Collatione 4. c.19. immeritò, ait Cassianus, hunc locum explanans, eos Dominus, quos iam in visceribus receperat charitatis, noxiè tepefactos cum quadam conuulsione pectoris sui euomendos esse pronuntiat; qui cùm salutarem ei quodammodò potuissent præbere substantiam, auelli ab eius visceribus maluerunt, tantò deteriores effecti illis qui numquam ori Dominico illati sunt cibis, quantò id quod nauseâ compellente reiicimus, odibiliùs detestamur.

Inuidi etiã hominibus exosi. Quanto etiam in odio generis humani versentur inuidi, facilis est coniectura; cùm optimi cuiusque vitam perpetuis obtrectationibus inamœnam reddant, &, vt ait Ecclesiastes, vanitati obnoxiam. Sed illud in hac vanitate solatio est, quòd edentuli sunt morsus inuidiæ

uidiæ & cicatrix leuissima: deinde, quòd virtus instar cedri alicuius altissimis defixa radicibus, perflari maleuolentiæ ventis potest, euelli non potest. Rupes est eadem in procelloso mari destituta: quam per tot retrò ætates vndique spumosi fluctus verberant, nec tamen consumunt. Silex est, cuius duritiam nulli magis intelligunt, quàm qui vires eius lacessendo senserunt.

Itaque, quod extremum erat, sibi ipsi etiam grauis & noxius est inuidus, dum virtutem velut silicem suo damno mordet, dum in aliorum præclaris facinoribus *superfluâ* seipsum *curâ* discruciat, denique dum alienæ virtutis & industriæ impatientiâ proprias, vt ait Ecclesiastes, *carnes deuorat*. Nisi fortè mitiùs cum Isocrate pronuntiare malimus, hoc solum inuidiam habere boni, quòd sibi ipsi plurimum adfert mali, dignumque sumit de seipsâ supplicium. Infelix tortor sui ipsius! quàm miseris modis eam torquebunt mala propria, quam sic bona puniunt aliena. Præclarè hoc expendit D. Cyprianus. Qualis, inquit, hæc animi tinea est, aut quæ cogitationum tabes, inuidere alteri virtutem suam aut felicitatem, in malum proprium aliena bona conuertere, aliorum gloriam suam facere pœnam, & velut quosdam pectori suo admouere carnifices, qui se intestinis cruciatibus lacerent, & quibus longè miserabilior fiat ille ipse qui inuidet, quàm is qui rabidas inuidi persecutiones patitur? Quisquis ille est quem zelo persequeris, vitare te poterit; tu te fugere & vitare non potes. Aduersarius tuus tecum est: ineluctabili catenarum nexu, zelo dominante, captiuus es. His & pluribus vir ille sanctus ostendit, quantum acerbitatis in hanc vitam ex inuidiæ fonte deriuetur.

Inuidus sibi ipsi grauis.

Isocrates in Euagorâ.

Cyprianus Serm. de Inuidiâ.

uetur. Nunc ad tertium vanitatis & acerbitatis caput cum Eccleſiaſte deſcendamus, & quam inamœnam hanc vitam reddat auaritia, demonſtremus.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 7. Conſiderans reperi & aliam vanitatem ſub Sole:

8. vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas eſt, & adflictio peſſima.

METRICA PARAPHRASIS.

PROTERVE Scazon, ſi quid aut cachinnorum,
Aut triſtiorum ergaſtulis querelarum,
Saliſque promus-condus abdis arguti,
Dicacitatis diuitem penum exhauri.
Cenſore Momo digna vanitas ſeſe
Loquacitatis nundinis repræſentat.
En ille ſponſus triſtium lacernarum,
Qui compitorum ſaxa leucophæatus,
Et Bæticatus Mercurl terit limen,
Qui Sole puro nubilos gerit vultus,
Naſoque terram, & fronte ſignat obſtipâ:
Qui ſolâ anhelam frigidâ ſitim fallit,
Cruſtaſque rodens, alliumque cæpaſque
Lanuginoſis panis allinit fruſtis:

Huius

Huius flagellat arca centies mille,
Et inuidendas strangulat Midæ gazas:
Et fulgurante Sole mille nummorum
Licet alteram aciem fronte ploret extinctam,
Tamen vsque & vsque & vsque coclitem pascit
Visum fruendo, nec satis tamen pascit,
Sed maior arca pupulâ ardet expleri.
Hic ardor ægrum mille concoquit curis,
Fuliginoso deuouetque pistrino,
Labor laborem trudit, & dies noctem;
Sed nec serenum Phœbus, aut soror Phœbi
Somno reclinem celsâ ab arce despectat.
Quid tam tenaci corda macerat curâ?
An fortè quinquaginta Danaidum sponsis
In spem nepotum pronubam parat dotem?
Non grex parenti liberûm has coquit curas,
Cùm nulla mutis ludat ædibus proles,
Quæ stemma generis sanguinemque propaget:
Non socia thalami, non greges puellares,
Non frater heres inhiat aut soror nummis,
Nec vlla stirpis fibra restat in terris.
Non pater alendus superat, aut anus mater,
Non lege amoris nouit alterum sese:
Sed solus vnus vnicus sibi restat.
Tamen æstuanti mole mille curarum
Curas tot inter nulla suggerit cura,
Cuinam labores necto concatenatos?
Quorsum perenne voluo Sisyphi saxum?
Cur inter vndas Tantalus sitim ludo,
Famemque partis asperam bonis fraudo?
An esse in orbe vanitas potest maior,
Maiusque mentis diriusque tormentum?

PROSA

PROSA EXEGESIS.

Auaritia labor vitam reddit acerbam.

TERTIAM hanc rationem hoc Capite reddit Ecclesiastes, cur non vanam tantùm, sed etiam acerbam esse pronuntiet hanc seu vitam mortalem, seu mortem vitalem, quòd communis illa generis humani pestis auaritia plerosque perpetuo laboris pistrino sic exercet, vt nec vicissitudo noctium quietem, nec ætas ingraueſcens missionem possit impetrare. Quis tyrannus subditos, quis dominus empta de lapide mancipia tot laboribus & cruciatibus exhaurit? Quæ tam imperiosa domina tamque *λυχνόβιον exhaustas opere diurno ancillas nocturnis exercet pensis? Præclarè hoc notauit Isidorus Pelusiota. Quos auaritia ceperit, inquit, tyranno quouis acerbiùs torquet, & insultans excruciat: nec tantillum quidem ad respirandum quietis permittit, sed acerbiorem infligit pœnam, quàm ij luant, qui ad metalla damnati sunt. Nam his quidem confecto opere, somno & quiete frui licet: illis autem, somni portu velut aggestâ terrâ obstructo, noctu quoque vario æstu fluctuantibus sæua illa & inhumana edicta proponit.

Auaritia quouis tyranno imperiosior.

*ad lucernam viuens

Isidor. Pelusiota li. 2. Epist. 233.

Auaritia seruitute intolerabilior.

Addo, hac parte tolerabiliorem esse seruitutem, quòd quamuis labor & corporis adflictatio maximè seruis incumbat, curarum tamen potissima pars, & internorum cruciatuum penes dominos resideat: at auaritia non laboribus magis sua mancipia quàm curis & sollicitudinibus exercet. O quantum lacrymarum, inquit Seneca, quantum laborum exigit! quàm misera desideratis, quàm misera partis est! Adiice quotidianas sollicitudines, quæ pro modo habendi quemque discruciant. Adde, quòd maiore tormento pecunia possidetur

Seneca Epist. 115.

quàm

quàm quæritur. Magis etiam curas eius ac sollicitudines exprimit Basilius. Quantò magis, inquit, augescunt diuitiæ, tantò plus adferunt curarum. Iudex expectatur? veretur auarus ne in ius trahatur, & orphanus lacrymas suas in foro palàm faciat. Itaque nocte consultat, quo pacto in iudicio mendaciis pauperem destitutum opprimat. Hæc animum eius cura continuo morsu absumit. Canis latrat? auarus furem esse suspicatur. Mus fortè perstrepit? auari cor salit. Quemlibet, vel puerum, suspectum habet. Filios iam proiectos velut insidiatores intuetur, quasi parentis vitam votis suis obstare non ferant. Denique instar Plautini cuiusdam Euclionis perpetuis agitatur intemperiis, & omnes auræ sibilos reformidat. Nec intelligit miser speciosa se pati supplicia, auroque alligatum per quosuis labores ac tormenta raptari. Basilius Hom. 21. Plautus Aulul.

Sed quemadmodum equi, dum molam circumagunt, capistro cæcantur, fructusque omnis ignari, nihil præter laborem in labore cognoscunt: sic auari tamquam mente capti, dum assiduis laboribus atteruntur, hoc vnum sciunt, sibi laborem ex labore seri, quo fructu laborent penitus ignari. At inquies, Norunt se coaceruare diuitias. Esto sanè; neque enim diuitias vt fructum laboris intuentur, sed vt noui laboris & amplioris vsuræ seminarium, dum nulla voti mensura est: & quantuscumque thesaurus initium censetur maioris, dum *Auarus fructu laboris sui caret.*

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumque fames.——— Horat. li. 3. Odâ 16.

Nam, vt rectè Seneca, eò maiora cupimus, quò maiora venerunt: multoque concitatior est auaritia in magnarum opum congestu collocata, vt flammæ infinito Seneca l. 2. de Beneficiis, c. 27. *Auaritia est insatiabilis.*

acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit. Nec enim, vt ait Pacatus in Panegyrico, copiam satietas sequitur, sed crescit indies habendi fames, & parandi rabiem, quæ parta sunt, irritant: vt ægrorum sitim potus accendit, & ignis arentibus non obruitur, sed augetur.

Pacatus in Panegyrico dicto Theodosio.

Auaritia in senibus maior.

At quis tandem erit corradendi finis? non alius quàm qui vitæ. Atque vtinam, quò propiùs ad vitæ metam acceditur, eò remissior esset coaceruandi cura! nunc autem portento simile est, vehementiùs illam in senibus exardescere. Quod non immeritò admiratus Cicero, Auaritia senilis, inquit, quid sibi velit non intelligo. Potest enim quidquam esse absurdius, quàm quò minus restat viæ, eò plus viatici quærere? At aliis fortasse consulit auarus ille senex. Quibus tandem? Nam, vt ait Ecclesiastes, non rarò *vnus est, & secundum non habet; non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat.* At sibi saltem, suoque genio, dum viuit, indulget. Nihil minùs. nam, vt idem subiungit Ecclesiastes, *ne quidem recogitat, dicens, Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?*

Ciceto de Senectute.

Qui aut se aut Deum laboris sui scribit heredem, sapit.

O quàm præclarè sibi diues consuleret, si saltem animam suam nudam, ac inopem, ac inter profanas sollicitudines, ceteraque vitia destitutam, heredem laboris sui scriberet! quàm quæstuosa esset negotiatio, si terrâ cælum mercaretur! aut quantam à Deo gratiam iniret, si, quos natura negauit, pietas liberos adoptaret, & in iis Deum nuncuparet heredem! Sed, proh dolor! procul hæc sunt à studiis & cogitationibus auari: qui velut hostis naturæ communis, nec sibi minùs quàm aliis infestus, sat magnum se laboris sui fructum percepisse existimat, si opibus suis incubans, nec ipse partis

frua-

fruatur, nec aliis faciat fruendi copiam; non aliter quàm in præsepi canis, nec ipse fœno vescitur, nec equum famelicum admittit; ita miser ille, Deo hominibusque inuisus, magnas inter opes inops, macie curisque contabescit, donec aut intestatus opimam prædam harpyijs relinquat, aut heredem non tam iudicio quàm vitiorum similitudine deligat, cui mali ominis hereditatem velut pestem familiæ transscribat. Hominis enim auari diuitiæ, aiebat Socrates, quemadmodum Sol post occasum, neminem viuentium exhilarant. An non insignis hæc *vanitas est, & adflictio pessima*? Si tamen fatalis est homini labor, & ad illum primi parentis merito damnamur: si, vt ait Pacatus, diuina quoque perpetuo motu gaudent, & iugi agitatione se vegetat æternitas: si quidquid laborem vocamus, natura nostra est, vt indefessa vertigo cælum rotat, vt maria æstibus inquieta sunt, & stare Sol nescit; hoc certè nobis prouidendum est, vt ne labor noster sit infructuosus, & quæ labore parta sunt, non vitiorum incentiua, sed beneficentiæ materiam, & socialis vitæ subsidia ministrent. Hoc innuit Ecclesiastes, dum subiungit:

Stobæus Serm. 18.

Pacatus vbi suprà.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 9. Melius est ergo duos esse simul, quàm vnum: habent enim emolumentum societatis suæ:

10. si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli; quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.

11. Et si dormierint duo, fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet?

12. Et si quispiam prævaluerit contra vnum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficilè rumpitur.

METRICA PARAPHRASIS.

Si fata curis Japeti genus
Pressum fatigant mille doloribus,
Lassíque damnatum laboris,
Herculeam superare Lernam,
Saxúmve cogunt voluere Sisyphi;
Ne sortis vnum conterat asperæ
Necessitas, nec pinguis vni
Irriguo fluat ore sudor:
Sed esto consors, qui sociâ fide
Respondet, alter: qui pariter iugo
Succollet, ac fructus laboris
Participet sociale munus.
O vita felix, quæ sociat duos,
Mentesque iungit non dubiâ fide!
Queis priua nil quidquam cupido
Sepositi iubet esse quæstus.
Non certet illis diuitiis Midas,
Non fundus amplis luxurians satis,
Non arbores fructu superbæ,
Quas & aquæ recreant, & auræ.
Consors amoris nil cumulat sibi,
Et gaudet heres esse superstiti,
Nec dispares gazas recondit
Fœdus amicitiæ sodali.

Si

Si rebus anceps in trepidis opem
Fortuna poscat, subsidio est amor.
Si fors nouercali ruinam
Impulerit malè fida dextrâ;
Est quæ ruentem dextera fulciat,
Rebusque pandat depositis sinum,
Blandoque soletur gementem
Alloquio, sociisque curis.
Non sic profuso vena redit mero,
Nec lampas haustâ Pallade promicat,
Vt blanda torpentes amici
Suada animos recreans serenat.
Non sic iugalis connubij torus
Calore strati corpora confouet,
Vt mentibus flammam iugatis
Ignis amicitiæ ministrat.
At si quis orbus coniuge secubat,
Miser vacuus in thalamis riget.
Sic quisquis optato recusat
Fœdere consociare mentes,
Hic mille vitam destituit bonis.
Si mœror atris nubibus incubet,
Heu! cuius in sinu doloris
Parturiet lacrymosus imbres?
Si fors ab alto præcipitem gradu
Iniurioso proruerit pede;
Quisnam à ruinâ vindicabit
Fœdera amicitiæ perosum?
Rectè ille rebus consulit asperis,
Qui fida amoris præsidia occupat.
Quis mucro sic fractum Gradiuo
Aut clypei tueatur vmbo?

Cinctum periclis puluere Martio
Propugnat alter. Scimus vt inclytus
Amore, Pelidæ quadrigis
Automedon tulerit ſalutem.
Quin & ſub ictu ſe Pylades vadem
Maiore Atridâ pro genito ſtitit:
Nec fractus Ægidæ periclis
Pyrithous Phlegethonta vidit.
Hos omnis ætas Mnemoſynes ſacrat
Aris; frequentes his caueæ ſtrepunt
Plauſu theatrali. Quid ergo
Si triplici coîere funę
Mentes amicæ, fidáque robora?
Non certet illis centimanus Gyges,
Non orbe terrarum ſubacto
Amphitryoniades triumphans.

PROSA EXEGESIS.

VANISSIMOS hominum labores cum vitæ ſolitudine continuatos paulò antè damnauit Eccleſiaſtes: nunc huic vanitati remedium ſuggerens, ſocialis vitæ commoda cum ſolitudinis incommodis in contentionem adducit: non quòd virum bonum ac ſapientem ad benè beateque viuendum ab humanæ ſocietatis adminiculis velit pendere; aut etiam, quòd cælibatui vitam coniugalem anteponendam exiſtimet, ſi rationibus æternis rem penſitemus (neque enim hîc vlla de ſummâ beatitatis quæſtio eſt:) ſed hoc vnum diſputat, multò plus commodi ad fluxam hanc fragilemque vitam à ſocietate atque amicitiâ, quàm à ſolitudine promanare.

Socialis vitæ commoda.

Quare vt vmbras omnes ac nebulas à veritate diſcutia-

cutiamus, principio ſtatuendum eſt, ſapientem ſecundùm Stoicos ſeipſo contentum, ſuique iuris eſſe, non alieni arbitrij. Sed ſi Chriſtianè philoſophandum eſt, dicemus potiùs ſapientem ad benè beateque viuendum ſeipſo contentum eſſe ac Deo, imò Deo potiùs quàm ſeipſo. Ceterùm in hoc Stoicis aſſentiemur, ſapientem ita ſeipſo contentum eſſe, non vt velit ſine amico eſſe, ſed vt poſſit. Itaque etiam ſecundùm Stoicos magnum vitæ fructum in amicitiâ eſſe fatetur, & amicum habere deſiderat & contubernalem; quo tamen amiſſo, non ſe mœrori tradit, ſed mauult non deeſſe. Quinimò, ait Seneca, vide quàm ſit ſeipſo contentus, cùm etiam aliquando ſui parte ſit contentus. Si manum illi aut morbus aut hoſtis inciderit, aut ſi quis oculum caſus excuſſerit, reliquiæ illi ſuæ ſatisfacient: & erit imminuto corpore & amputato tam lætus, quàm integro fuit. Optaret tamen proculdubiò membris ſuis omnibus, & quidem ſanis conſtare. Perperàm igitur hæc illi interpretantur, qui ſapientem vndique ſubmouent, & intra cutem ſuam cogunt. Vnum fortaſſis iſtiuſmodi monſtrum aliquando natura tulit Timonem illum Miſanthropum, qui odio ſocietatis humanæ, cùm mulierem ex arbore pendentem vidiſſet, quæ ſibi laqueo guttur fregerat; Vtinam, inquit, omnes arbores tales fructus ferant! Quomodo conuictus hominum ſuauis illi fuiſſet, qui ne conſpectum quidem hominum ſine ſtomacho ferre poterat? Sed nos potiùs naturâ duce cum Tullio dicamus: Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vitâ tollunt. hac fouemur, hac paſcimur, hac vegetamur. Cui enim poteſt eſſe vita vitalis, qui non in amici mutuâ beneuolentiâ conquieſcat? Contrà verò quantum bonum eſt, vbi ſunt

Sapiens ſeipſo contentus, ac Deo. Vide Lipſ. in Manuduction. 3. Diſſert. 10.

Amicum tamen non repudiat.

Seneca Epiſt. 9.

Cic. lib. de Amicitiâ.

Seneca de Tranquill. animi, c. 7.

Amicitiæ fructus multiplex.

sunt præparata pectora, in quæ tutò secretum omne descendat; quorum conscientiam minùs quàm tuam timeas; quorum sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium expediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet? Qui enim amicum iuuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. Quo fit etiam, vt & absentes adsint, & egentes abundent, & imbecilles valeant, &, quod difficilius dictu est, mortui viuant. Quid plura?

Cic. lib. de Amicitiâ.

Dies me deficiat, si vitæ opportunitates, quas continet amicitia, percensere voluero. Hæc est enim suauissimum vitæ condimentum, in prosperis ornamentum, in aduersis præsidium, in mœrore solatium, in ægritudine medicina, in paupertate thesaurus, in periculis propugnaculum, in lubrico fulcimentum, in ruinâ sustentaculum.

Rara est vera amicitia.

Sed vt ceteris in rebus, quæ eximia sunt, eadem & rara, sic in amicitiâ. Vix omnibus sæculis, ait Cicero, tria aut quatuor numerantur amicorum paria. Plutarchus Theseum & Pyrithoum nominat, Achillem & Patroclum, Orestem & Pyladem, Damonem & Pythiam, Epaminondam & Pelopidem. Quibus si totidem ferè paria ex Romanâ historiâ iunxerimus, C. Gracchum cum Pomponio & Lætorio, C. Lælium cum Scipione, T. Volumnium cum M. Lucullo, & si qui præterea nomen illud merentur: si paulò etiam plures è disciplinâ Christianâ melioribus auspiciis coëuntes, & solidiori virtutum vinculo constrictos; nónne meritò illud Ecclesiastici vsurpabimus: *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum*

Cicer. ibid.

Eccli. 6, 24.

tum vitæ & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, inuenient illum.

Quæ cùm talia sint ac tanta, nónne optimo iure vitam socialem his verbis extulit Ecclesiastes: *Melius est duos esse simul quàm vnum, habent enim emolumentum societatis suæ.* Quod tandem? Aut in aduersis præsidium; *si vnus ceciderit, ab altero fulcietur:* aut quidquid opportunitatis habet vita coniugalis; *si dormierint duo, fouebuntur mutuò:* aut denique clypeum aduersus hostiles insultus tutissimum: *si quispiam præualuerit aduersus vnum, duo resistent ei, funiculus triplex difficilè rumpitur.* *Varia vitæ socialis commoda.*

Rectè olim M. Tullius, cùm Antonius præsidij causâ armatorum coronâ septus incederet, respondit: Nullum est istuc, mihi crede, præsidium; charitate & beneuolentiâ ciuium suorum septum oportet esse, non armis. Et Xenophon, Non aureum, inquit, sceptrum est, quod regnum Principibus conseruat, sed amici fideles Regibus verissima tutissimaque sunt sceptra. Denique neque exercitus, neque thesauri præsidia sunt regnorum, sed Principum affectus, & amicorum fides. Quot auro prodita armisque subuersa Imperia restaurauit amor, & in posteros transmisit? Nec vllum vmquam munimentum amore certius. Nam inter milites custodias nihil satis tutum est: & ab ipsis armis inter arma periculum est. Ab amore verò nullus est timor: & certius media inter arma inerme pectus amore cinctum stabit, quàm inter inermes manus armata ferro dexera sæuire docta, timerique consueta. Cicero Philip. 2. *Nulla præsidia firmiora, quàm amicitia.* Xenophon de Instit. Cyri, lib. 8. Car. Scriban. Polit. lib. 1. c. 3.

Sed hîc mihi in amicitiæ laudes exspatianti nescio quis orationis cursum sufflaminat, Quorsum, inquiens, hæc amicitiæ commoda tot verbis exaggerata? an fortè propter hæc ipsa expetendam censes amicitiam? vt

quilibet tot tantisque fructibus inuitatus ad amandum animum adiiciat? Et quid ipse tandem Ecclesiastes? an hunc scopum sibi præfigere videtur? Minimè verò: neque enim tam contempta est illi amicitiæ honestas, vt tamquam vilem aliquam mercem pro externis commodis, aut fortunæ muneribus venalem exponat. Nouit beneuolentiæ genus quoddam esse amicitiam, non cupiditatis. Hinc est, quòd cùm frustraneos solitariæ vitæ labores in coaceruandis diuitiis vanitatis ac miseriæ coarguisset, nunc ad socialem vitam hortatur, in quâ beneficentiæ ac liberalitatis campum aperit, & amplissimam de proximo benè merendi materiam diuitibus ostendit.

Amicitia colenda non tam vt beneficium accipias, quàm vt des.

Et verò qui contrà sentit, & rem omnium præclarissimam propriis commodis metitur, maiestatem suam amicitiæ detrahit, eamque in classem vilis alicuius negotiationis abiicit. Amicitiam, inquit Cicero, si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quædam vtilitatum suarum. prata, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo, quòd fructus ex iis capiantur.

Amicitia non est vtilitate metienda. Cic. lib. 1. de Naturâ deor. c. vlt.

Sed neque diu stabit illa qualiscumque societas ad lucrum & propria commoda comparata. Cùm enim amore proprio & cupiditate sequestrâ coaluerit, quoties alicunde cupiditatum fomenta vtrique non suffectura obiecta fuerint, qui priùs alteri studere videbatur, obiectâ prædâ potitus, suas sibi res alterum habere iubebit. An non aliquando catellos vidistis, inquit Epictetus, inuicem adblandientes, & inter se iucundissimè colludentes? Nihil illis esse dicas amantius. Sed nosse cupis qualis iste sit amor? Carnem illis obiice,

Amicitia, quæ lucrum spectat, non est diuturna.

Epictetus apud Arrianum l. 2. c. 22.

cogno-

cognoſces. Pone agellum inter te & filium: fallor niſi te filius quamprimùm ſepultum volet. Si periclitandum fuerit de vitâ, eaſdem voces edes, quas Admeti pater nihil filio concedens;

Lux eſt tibi iucunda? patri non putas?
Lucem videre vis? parentem non putas?

Et hæc filio dicuntur, cuius ſalutem, cùm paruulus eſſet, morte ſuâ parens paciſci velle videbatur. Nónne etiam eiuſdem vteri fœtus fuerunt Etheocles & Polynices? nónne iiſdem vberibus, mensâ, lecto frequenter vſi? nónne frequenter in mutua ruerunt oſcula? portenta Philoſophorum, quæ de amicitiâ diſſerunt, riſiſſet, qui par illud fratrum vidiſſet. Tamen vbi regnum velut carnis fruſtum in medium proiectum eſt, quid non alter in alterius necem eſt machinatus? Denique nónne gemellos peperit Rhea Syluia? Nónne in ipſo materni vteri hoſpitio fraternus amor inter Romulum Rhemumque conciliatus eſt? Et tamen vbi regnandi cupiditas animos occupauit, quàm nullâ ex causâ nouæ vrbis mœnia fraterno ſanguine fœdata ſunt? Ne quære cauſam: ſibi ipſi, non alteri quilibet iſtorum amicus erat, ac proinde nec amicus. Flor. lib. 1. cap. 1.

Quid ergo? dicet aliquis. nullúſne ex amicitiâ fructus ſperari poteſt? imò vel maximus: & eximios ſanè nobis hîc proponit Eccleſiaſtes. Sed nimirum, quemadmodum illud Hecatonis præſentiſſimum eſt philtrum ſine medicamento, ſine herbâ, ſine vllius veneficæ carmine, Si vis amari, ama; ſic in amicitiæ fructu, ſi ab amico beneuolentiam expectas, tu eumdem priùs beneuolentiâ, & quibuſcumque poteris officiis cole. Si commodum ex amicitiâ ſperas, tu amici commodis prior ſtude. Et quoniam ab auari ac pecunioſi vanis laboriSeneca Epiſt. 11. *Beneficentia beneficentiam prouocet.*

boribus ad amicitiæ commoda deflexit Eccleſiaſtes, hoc etiam ad extremum ſuggero; Si quæris quâ ratione partas opes ad honeſtum fœnus amicitiæ tranſſcribas, opportunum inprimis Chriſti conſilium amplectere,
Luc. 16, 9. & pauperibus Deo charis facultates impertire. *Fac*, inquam, *tibi amicos de mammonâ iniquitatis, vt cùm defeceris, illi te recipiant in æterna tabernacula.* Et quis ſcit an huc etiam reſpexerit Eccleſiaſtes verſu ſequenti? Certè nemo amicitiâ noſtrâ & opum communione dignior, quàm pauper & ſapiens, non minùs à Chriſto quàm ab Eccleſiaſte commendatus: nemo à quo maiora amicitiæ præſidia ſint ſperanda. Sed plerique hominum contrà faciunt, & Magnatum amicitias prehenſant, ignari quàm fragili arundine fulciantur, & quàm toti à fortunâ pendeant.

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 13. Melior eſt puer pauper & ſapiens, rege ſene & ſtulto, qui neſcit præuidere in poſterum.

14. Quòd de carcere cateniſque interdum quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno, inopiâ conſumatur.

METRICA PARAPHRASIS.

SVPERBA *quiſquis culmina ſuſpicis*
Fallacis aulæ, fultáque tetricis
Regum paludamenta curis
Sidonio medicata fuco;

Sortis

Sortis memento, quæ vice lubricâ
Ludum impotentem ludere pertinax,
Quas fouit, euersis tiaris,
Perfidiæ statuit trophæum.
Non sic vadosis Syrtibus Africæ
Alternat æstus fluctiuagos Thetis,
Non sic ab Euxini tumultu
Vnda fretis furit æstuosis;
Vt sors potentes inuida subruit,
Regumque casus præcipites rotat:
Ridetque crudelis nouerca
Quos miseris peperit dolores.
Ardente Troiâ Laomedontius
Truncum cadauer vulturibus iacet:
Nec flamma dat bustum cadenti,
Nec patriæ tumulum ruina.
Quin ipsa tristis connubij comes
Tot sueta natis diuidere oscula,
Postrema sortium, superbo
Merx Ithaco cariosa cessit.
Quid ille turpi qui Chanaam iugo
Pressit Toparchas? Heu! digitis minor Iudic. 1.
Quadræque mendicus caninæ
Traxit Adonibesec ruinam.
Ite, ite, rebus fidite prosperis,
Frontisque vinclo applaudite Regiæ
O cæca mortales futuri
Pectora! Quid diadema gemmis
Auroque splendens dat stolido seni?
Quem vidit Eos culmine Regio,
Hunc prosperis indormientem
Præcipitem dabit Hesperugo.

Triſulca vexant tela Ceraunia,
Et magna magnis cladibus obiacent.
Sic vertice intonſo comantes
Æolidæ quatiunt cupreſſos.
Ætate florens ſit potior mihi
De plebe pubes, quam ſapientia
Deſpecta fortunæ abdicantem
Indigetum ſociabit aſtris
Dum priua virtus pauperiem erigit,
Quandoque faſces dat populi fauor
De ſtirpe turmali creatis,
Carceris ac tenebras tiaræ
Splendore vertit. Scimus vt inclytæ
Proles Rachelis ſe diademate
Poſt carceris ſitum & catenas
Induerit Pharaone dextro.
Alter notatam qui gemino tulit
Legem Tonantis marmore, cui Dei
Ab ore fulminante binas
Frons peperit radioſa flammas,
Quem vagientem ſcirpea cymbula
Vexit per algam ad limina Regiæ,
Poſt ſceptra calcata & coronas
Iſacidis amat eſſe Princeps.
Sic regna virtus præmia apiſcitur.
Nouerca quæ ſi fors renuit, ſibi
Amplum ipſa regnum eſt, nec furore
Deprimitur petulantis vrnæ,
Nec ventilatas plauſibus erigit
Plumas, ſed infert ſideribus caput,
Terrasque deſpectat peroſa
Ludibrium popularis auræ.

PROSA

PROSA EXEGESIS.

QVOD olim Themistocles, à quodam consultus, præstaretne viro bono & pauperi, an minùs probato diuiti filiam collocari, respondit, Ego virum malo qui pecuniâ egeat, quàm pecuniam quæ viro; idem mihi in amicitiâ vsu venire vitaque sociali videtur. Scio vulgus hominum plerumque diuitum familiaritates ambire, prehensare potentiorum dexteram, ad Regum denique Principumque gratiam adspirare. Sed quid ibi non vanum? quid non fragile atque inconstans? quid non sollicitum plenumque periculi? Nam si fides in amicitiâ potissimùm attenditur, quæ potest in regno fortunæ fides aut constantia sperari? Et si fructus ac gustus amicitiæ in affectuum suauitate mutuaque beneuolentiâ spectatur, quæ potest à Regio fastu suauitas, quæ potest à fastidioso supercilio beneuolentia proficisci?

Cic. lib. 2. Officior.

Principum amicitia fragilis.

Adde, pronam à despicientiâ viam esse ad repudium, ac subinde etiam ad extremum exitium. Quid Parmenioni profuit Alexandri familiaritas, ac tanta quidem vt alter diceretur Alexander? Quid Seiano Tiberij fauor, & vsque ad aras & Sacerdotes consecratio? Quid Senecæ opes Regibus inuidendæ, & amœnissima Neronis beneficio comparata latifundia? Quid Ablauio Constantini gratia? Quid Eutropio impotens Arcadio conniuente dominatus? Omitto ceteros Regum Principumque familiares, clarissima quondam terris nomina, sed, mutatâ repentè Principum voluntate, lamentabili exitu funestata.

Amicitia Principum periculosa.

Et vt nulla tempestas ingruat, quis potest esse fructus amicitiæ, si nihil in amico præter fortunam admireris,

Optandus amicus sapiens.

reris, non ingenium, non rerum vsum, non virtutem, non sapientiam? Malo cum Themistocle virum qui pecuniâ indigeat, quàm pecuniam quę viro: malo cum Ecclesiaste nostro pauperem sapientiâ clarum, quàm Regem stultitiâ nobilem: malo puerum virtute commendabilem, quàm senem fatuum ac delirum. Neque enim virtus annis alligata est, aut sapientia canis inuoluta.

Sapientia non est ætati alligata.

Canescant alij mento, nos mente, ait quidam; *capillo,*
Nos animo; facie, nos pectore: tempora certè
Virtutem non prima negant, non vltima donant.

Sed neque virtutem aut sapientiam præstat fortuna nascendi. Nimis ex vero dictum est: *Heroum filij noxæ.* & sub ipso diademate

Persius Sat. 1.

Auriculas asini Mida Rex habet, inquit Satyricus.

Sapientia etiam pauperibus contingit.

Contrà verò bona mens ad humiles casas non inuita descendit; neque sordidum pallium Philosophia fastidit. Patritius non fuit Socrates. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus. Denique admirandus ille senex Epictetus Epaphrodito cuidam Neronis familiari seruiuit, tantæ tamen apud omnes fuit existimationis, vt lucerna eius fictilis tribus drachmarum millibus veniisse dicatur.

Lucianus Dialogo Ad ineruditum, &c.

Philosophi Christiani sponte pauperes.

Nunc verò, si Christianæ Philosophiæ Lycæa perlustrare libuerit, Deus bone, quantam sapientiæ cum paupertate consensionem reperiemus? Nec eos tantùm suspiciemus, quibus per inopiæ portam ad veræ sapientiæ adyta patuit accessus, Franciscum, Paulinum, Origenem, ipsosque cœtus Apostolici Principes, quondam piscatorem ac σκωνοποιὸν Petrum atque Paulum; sed illos etiam venerabimur, qui vt infinitam Dei Sapientiam, nudum Christum nudi sequerentur, coronas Regnorum ac diademata sub pedibus conculca-

Platus li. 2. c. 26.

runt,

runt, Lotharium, Rachisium, Pipinum, Bambam, Sigebertum, Trebellium, Carolomannum, aliosque sexcentos. Ita semper fuit amica paupertati sapientia. Et dubitabit aliquis eiusmodi pauperes ac sapientes amicos Regibus præferre, cùm Reges ipsi regna sua paupertati ac sapientiæ posthabuerint?

Hi sunt igitur quasi viuum quoddam Dei exemplar in terris, ad quorum non consuetudinem tantùm, sed etiam memoriam se quisque componat, quorum auctoritate secretum suum quisque sanctius faciat: horum verba totidem sunt ad virtutem stimuli, horum conuictus est instar pomi cuiusdam aromatici, quod suauissimum sui odorem quaquauersus exhalat: horum denique assidua consuetudo instar mellis alicuius est aut nectaris, cuius suauitate ac gustu omnis amaritudo præsentis vitæ condiatur. *Horum sanctuosa consuetudo.*

Sed quoniam veram amicitiam non tam commodis amantium diximus, quàm eorum quos diligimus meritis, esse metiendam, hoc etiam nobis innuit Ecclesiastes, digniorem esse, maioriseque meriti, pauperem ac sapientem, quàm Regem senem ac fatuum. Si enim in sene illo ac fatuo nihil præter diadema Regiamque maiestatem suspicimus, certè virtus ac sapientia, præterquam quòd firmissimum est humanæ societatis atque amicitiæ præsidium, etiam amplissimum sibi ipsi regnum est, & arx nullis fortunæ tormentis expugnabilis. Sæuiat illa malorum exercitu stipata: damna, dolores, ignominias intentet: addat orbitatem, propinquorum funera, familiæ dissidia; stabit inuicta sapienti constantia, & per humanos casus diuino incedet animo. Nec magis aduersæ fortunæ tempestatibus ac procellis commouebitur, quàm aëris intemperie, hyemis *Sapientia firmissimũ est præsidium.*

rigore, nimbis ac grandine, nocturnis tenebris, ceteriſque eiuſmodi, quibus nemo, niſi demens, iraſcitur. Sed neque ridentis inſidiis in fraudem inducetur, aut proſpero rerum blandiente ſucceſſu inani lætitiâ ſe efferet. Contemnit enim perfuſorias illas voluptates, quibus vulgus hominum frontem explicat, honores, diuitias, comeſſationes, libidines, & quodcumque eſt aliud inuectitium oblectamentum, pro nihilo ducit; quia felicitatem ſuam in alienâ poteſtate non ponit. Intus ſolidum habet gaudium, quod ſecura mens parit æternis rationibus conſentiens, & aduerſus omnes fortuitos caſus erecta. Pone ſapientem in opulentiſſimo palatio; non idcircò inſolentiùs ſeſe efferet: transfer eumdem in pontem ſublicium, non idcircò ſe deſpiciet, quòd inter mendicabula conſidebit. Pone in inſtrumentis ſplendentibus, ac delicato apparatu, non idcircò ſe feliciorem exiſtimabit, quòd in purpurâ ſomnum ducat; nec idcircò miſerum, ſi in manipulo fœni laſſam ceruicem reclinabit. Fac illum triumphali curru inter ciuium plauſus inuectum; tunc ex loro ac tintinnabulo ſe hominem eſſe recordabitur: fac, rotam vertente fortunâ, eumdem in alieni triumphi ferculum rapi, non humilior ſub alieno curru trahetur, quàm in ſuo ſteterat. Denique totum fortunæ regnum Deo fretus deſpiciet, & in veris, ſolidis æterniſque bonis ſpem ſuæ beatitatis collocabit. O virum verè magnum, & in quacumque ætate canitiem mentis immenſam!

Sapiens ſemper ſui ſimilis.

Fatum totum ex fortunâ pendet.

Quis autem non videat, cum hoc tali tantoque fatuum illum ſenem in contentionem dignitatis aut felicitatis venire non poſſe? Quid enim habet quo ſe venditet, præter illud vano

Seneca Troad.

Fulgore tinctum nomen, & falſo comam

Vinclo

Vinclo nitentem? Casus hæc rapiet breuis:
Nec mille forsan ratibus, aut annis decem.
Non omnibus fortuna tam lenta imminet.

Hoc igitur primum statuatur, totam eius siue dignitatem siue felicitatem ex fortunâ pendere. Ex quo consequens est, eam quam vocant dignitatem omnino nullam esse. Nisi fortè generosiorem illum equum existimamus, quem pictis auratisque phaleris dominus exornarit, mox iis direptis nudum relicturus: aut nisi felices arbitramur illos, quibus in scenâ cothurnatis ac purpuratis sceptrum ac diadema fabulæ assignant. Vis scire quàm falsum hæc trahant syrma felicitatis? Cùm præsente populo elati incesserint & cothurnati, reductâ cortinâ excalceantur, & ad staturam suam redeunt; imò & ad pistrinum, ceteraque fortunæ suæ congrua.

Regna sunt instar fabulæ.

At inquies, Istorum in scenâ personata felicitas est, his autem nulla fabula luditur. Qui sic ratiocinatur, ignorat profectò, vitam nostram nihil esse nisi fabulam, nec minores in regno quàm in theatro spectari fortunæ vicissitudines, eò *quòd de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius in regno natus inopiâ consumatur.* Vultis huiusce rei clarissima documenta? Quis Danielem ignorat è squallore carceris ad aulæ splendorem eductum? Quis tres eius socios Babylonicæ fornaci addictos, sed æquiore flammarum quàm hominum sententiâ absolutos, vinculisque exustis in pristinam libertatem nouamque gloriam assertos? Sed ille recentior fortunæ ludus (nisi malimus esse diuinæ iustitiæ) quod Michaël Traulus læsæ maiestatis reus, & à Leone Armeno flammis ignitæ fornacis in crastinum adiudicatus, ac interim

E squallore ad Principatū euecti.

Baronius anno Christi 820.

ferreis compedibus in carcere conſtrictus, antequam hora ſupplicij adeſſet, Imperatore multis vulneribus confoſſo, in ſolium euectus, & etiam tum ferreis compedibus impeditus, Imperator ſalutatus eſt. Quæ poteſt excogitari tragœdia magis inopinata, & tamen Eccleſiaſtæ non improuiſa?

Ammianus Marcellin. Hiſt. li. 14. *E regno ad inopiam deiecti.*

Vultis etiam Reges ad inopiam redactos? Nónne Dionyſius Syracuſanus, ille quondam Gentium terror, Regno tandem expulſus, vt inopiæ conſuleret, Corinthi ludum litterarium aperuit? Nónne legitimus Perſei Regis filius, vt inopem vitam vtcumque toleraret, artem ferrariam exercuit? Omitto Tarquinium Superbum, non Regnó tantùm, ſed opibus etiam exutum, rebus iam deſperatis, Cumis egeſtate ac mœrore conſumptum. Omitto Carolum Craſſum, eò paupertatis redactum, vt obolo indiguerit. I nunc, & fide Regnis tam lubrico in ſtatu poſitis. I nunc, & in Principum gratiâ fortunarum tuarum ſummam conſtitue. Sed vide ne arundini innixus, cum iis ruinæ incumbas, quos tibi præſidio fore ſperaueras. Nónne tutius, honeſtius, ac fructuoſius eſt eorum conſuetudine atque amicitiâ frui, quos virtus & ſapientia ſupra vulgus hominum euexit? Sed, proh dolor! illud ad inſignem vitæ huius vanitatem ſpectat, quòd, virtute poſthabitâ, ſplendorem externum ſectamur, & orientem Solem, quod dicitur, adorantes, eorum potiſſimùm fauorem atque amicitiam ambimus, qui recenti fortunæ Fauonio in germen erumpere ac florere cœperunt.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 15. Vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub Sole cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.

16. Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum: & qui posteà futuri sunt, non lætabuntur in eo. sed & hoc, vanitas & afflictio spiritus.

METRICA PARAPHRASIS.

O REGNA *vanum nomen! ô potentibus*
Infida sceptrorum fides!
Vt nulla fluuas arietet Regum fores
Inimica vis Rhamnusiæ,
Suo fatiscit ponderi incumbens domus,
Et magna momento ruunt.
Quid, quòd perennes fœta Regali sinu
Bellona curas educat?
Quin & satelles obsidet solium furor,
Stipantque bifrontes doli.
Ciuesque circum Principem fusi licet
Festis coronent plausibus;
Nullum leuamen spondet ægro pectori
Ventosior vento fauor:
Et tanta populi turba cùm cingat latus,
Vix una tot populis fides;
Nam regna multi, pauculi Reges colunt,
Quos fulgor aulæ conuocat:

Sed velut apricos bruma Bisthonias aues
Trans Nerea in campos fugat,
Sic vbi senilis vertici incano niues
Aspersit inuisas hyems,
Lenocinantis turba fortunæ auolat,
Nouæque velificat spei.
Vidi vomentes Regiæ nuper fores
Antcambulonum examina:
Quot Hybla flores educat, frondes Eryx,
Quot calcat Autumnus botros.
Non Capra tantis arua nimbis verberat,
Aut inserenæ Pleiades.
Et ecce prodit imminens solio patris
Fastuque Roboam turgidus.
Hunc fusa circum turba in obsequium euehit
Benè ominatis plausibus.
Sic nempe fallax aula destituit senem,
Abrepta quò venti vocant.
Vbi spes honoris ambitu prurit nouo,
Mox perfidam fallit fidem.
At tu per auras quem fauor populi vehit,
Et præcoci plausu beat,
Ne fide lætis: néve fascinet stupor
Te gloriæ gustu ebrium.
Maior clientum purpuræ applausit meæ
A nutibus pendens phalanx.
Nec turba Regum triuit infrequentior
Antiquiorum limina.
Sed blandientis turba fortunæ hæc fuit,
Aut floridæ ætatis comes.
Tu cui ferentis aura plebis obsequens
Zephyrique puppim prouehunt,

Ne tua duello præda Boreali ratis
Aut fluctibus cedat, caue.
Erit, vt theatra fyrma conculcent tuum,
Nomenque sibilo exspuant,
Teque intumescens Imperi è medio sinu
Vnda popularis euomat;
Plaususque planctu, luctibus mutet iocos,
Exosa mores asperos.
O triste sceptri tædium! ô fallax honor!
O vanitatum vanitas!

PROSA EXEGESIS.

Infida regnorum fides.

QVID hoc tantum mali in vitam Magnatum inuehit? aut ex quo fonte hanc tantam vanitatem promanare existimamus? An hanc esse fatalem quamdam Regnorum calamitatem? An verò quòd Regum Principumque amicitias non virtus, sed fortuna conciliat; neque affectus aut beneuolentiæ sinceritas, sed turpis quæstus, officiorumque nundinatio? Certè qui aliud in amicitiâ pretium spectat, præter ipsam amicitiam, nullis non commodis venalem habebit hanc mercem: & qui nullo delectu turbas potiùs quàm amicos sibi comparat, minimâ rerum aut fortunæ commutatione magnam circa se solitudinem deprehendet. Quotidiana est ista Regum Principumque calamitas, quibus non tantùm aduersæ fortunæ tempestas hanc solitudinem facit, sed maioris etiam munificentiæ ac liberalitatis aliunde ostensa spes infidam hanc turbam auertit, & noui fauoris aura veteris obsequij accedente fastidio, cunctorũ ad se vela conuertit.

Nec opus est ad hanc veritatem stabiliendam exempla procul arcescere. Expertus est magno suo mœrore

hæc

hæc amicorum fastidia, subditorumque perfidiam noster Ecclesiastes: qui exhausto iam liberalitatis fonte, rebusque in deterius prolapsis, ac tributariis hinc inde Regibus vectigalibusque Prouinciis iugum excutientibus, iis ipsis ludibrio & contemptui esse cœpit, quibus antè stupori fuerat ac venerationi. Roboamus, interim in purpurâ enutritus ac deliciis, partim muneribus partim voluptatum consortio totam post se fortunæ pompam trahens, omnium in se oculos animosque conuertebat. Hunc regni heredem pro se quisque faustis plausibus votisque prosequi, hunc sceptris natum acclamare, & nimis serò Regni gubernaculis admoueri, effœtum illum ac tetricum senem iam capulum spectare. Et quamuis hæc amicorum defectio, studiorumque conuersio diuinæ vindictæ peccatis eius debitæ non immeritò potest adscribi; nihil tamen hîc insolens est aut inusitatum. Nihil enim tam tenerum tamque fragile, quàm fauor erga nos, sensusque ciuium, qui non tantùm, cùm aliqua fortunæ in alteram partem inclinatio facta est, eò confluunt quò venti ferentes atque æstus impellunt, sed etiam in diuturnâ felicitate consuetoque Principum fauore non rarò nauseant. Quare tametsi acerba Salomoni fuit hæc popularis auræ leuitas, non tamen fuit improuisa. Non minora aliunde hauserat popularis inconstantiæ documenta: non minora ipse viderat in acerbissimo luctu parentis sui Dauidis. Cùm enim Absalom Hebrone nefaria in parentem arma sumpsisset, quis non cum teterrimo illo parricidâ in exitum mansuetissimi Principis sui coniurauerat? Testis est mihi sacra Pagina, ad primum buccinæ clangorem certatim omnes ad hæc parricidalia signa conuolasse. *Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom.*

2. Reg. 15. 13.

lom. Quin ipse etiam secretorum omnium conscius & consiliorum particeps Achitophel, nónne deserto Principe suo, nouæ spei velificauit? Quæ perfidia quàm grauiter Regium illud pectus adflixerit, in Psalmis ipse non dissimulauit, cùm dixit: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique; & si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus?* Sed hæc est infelix Regnorum conditio, Psal. 54. 13.

Cùm tot populis stipatus eas,
In tot populis vix vna fides. Seneca Herc. O

Quid Baanæ & Rechabo Berothitis causæ fuit, cur Isbosethum Regem innocentissimum contrucidarent, eiusque caput, magni muneris instar, Dauidi offerrent? Aliud certè nihil, quàm quòd hac perfidiâ noui Regis gratiam demereri studebant. Sed quid exempla congero? Nouit ipse noster Ecclesiastes, quanto plausu in Regem euectus fuerit Adonias, & quantò maiore concursu ipse coronatus fuerit in Gihon, cunctis orientem Solem intuentibus, senisque iam effœti obsequia deferentibus; vt nihil miratus animorum à se ad Roboamum defectionem, subiungat: *Infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum*, vel vt habent LXX. Interpretes, *ante eos.* innuens, tantumdem, aut etiam amplius, contigisse Regibus prioribus. Sed quemadmodum illis ætate defloreſcente hæc populi studia desiderata sunt, ita filium suum Roboamum non ita multò pòst propter fastum asperosque mores subditis exosum fore, nimis ex vero vaticinatus est. 1. Reg. 4.

Longum iam fuerit hanc auræ popularis inconstantiam per infinita alia vetustatis monimenta deducere, quæ tragicis potiùs cothurnis ac theatris, quàm huic *Popularis fidei inconstantia.*

modeſtæ ſcriptioni deſeruiunt: itaque ſileo Cambyſem, ſuccreſcente Cyro fruſtrà ſuorum fidem implorantem: taceo Samaritas, inſurgente in dominum
4. Reg. 10. ſuum Iehu, non tantùm à familiâ Achabi defeciſſe, ſed etiam ſeptuaginta Regij ſanguinis capita in gratiam inuaſoris obtruncaſſe. Prætermitto cetera, quæ manifeſtè nobis illud Pompeij declarant, Plures eſſe qui
Plutarch. in Vitâ Pompeij. orientem Solem adorent quàm qui occidentem. Sunt enim plerique, qui amicitias & obſequia ad quæſtum referunt, inſtar heliotropij, quod ad Solis influxum accuratiſſimè ſeſe accommodans, acriores orientis Solis radios quàm occidentis eſſe perſentiſcit, lucemque multò gratiorem.

Noua Imperia placent. In hunc ferè modum ſe habent noua Imperia; quorum & maior eſt beneficentia, & gratior nouitatis amœnitas. Non ignorauit hoc Poëta, cùm dixit:

Lucanus lib. 8. ——— *Mitiſſima ſors eſt*
Regnorum ſub Rege nouo ———

Quid, quòd noua Imperia inchoantes virtutis opinionem colligere ſolent; ſed rebus vtcumque ſtabilitis, morum facilitas in ſuperbiam, lex degenerat in libidinem.

Sapienter hoc notauit Polybius, quærens quid cauſæ olim fuerit, cur Hiſpaniæ tam citò à Carthaginenſibus fuerint amiſſæ. Quia, inquit, aliter cenſebant
Polybius lib. 10. quæri Imperia debere, aliter ſeruari; nec perſuaſum habebant, eos optimè retinere dominia, qui in iiſdem inſtitutis perſeuerant, quibus ea initio ſunt adepti. Enimuerò illud clarum teſtatumque exemplis eſt, homines felicitatem aſſequi benignitate in alios, & bonâ de ſe opinione; eoſdemque cùm adepti ſunt quæ voluerant, ad iniurias & impotentiam in Imperiis delabi.

Sed

Sed & illud inde consequens est, vt vnà cum imperantium mutatione, ipsi se subditi, & affectus mutent. *Ad regnum euecti mores mutant.* Quis ignorat, quantis nobilium Scriptorum laudibus celebratum fuerit primum Neronis quadriennium? & tamen in quàm tetrum atque immane monstrum hoc absoluti Principis exemplar degenerasse miramur? Quid Galbam commemorem? qui, teste Tacito, omnium iudicio dignissimus Imperio fuisset habitus, nisi imperasset. Tacit. Histor. lib. 1. Sed quamuis hæc ita se habeant, grauior tamen est culpa subditorum, & eorum amicorum, qui Regna & opes, non Reges colunt: qui honoribus in superbiam elati, & consuetudine Principum in contemptum versâ, cùm se mereri omnia præsumunt, si quidpiam non extorserint, atrociores fiunt ipsis hostibus. *Subditi instar ventorum mutantur.* Aurel. Victor in Neruâ. Denique, vt nihil aliud interueniat, ipsa popularis auræ leuitas & inconstantia satis tragœdiarum excitat, vt meritò non infimam hanc vitæ nostræ vanitatem agnoscat Ecclesiastes. Sed hæc dicta sufficiant de iis qui Regum ac Principum limen terunt: nunc horum occasione ad aulam supremi Regum Regis cum Ecclesiaste gradum flectamus; nec illotis in eam pedibus, id est affectibus, irruamus, sed insigni veneratione atque obseruantiâ *pedem custodientes*, sincero discendi ac diuinis legibus obtemperandi studio, infinitæ illi Maiestati appropinquemus.

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua vt audias. Mul-

tò enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

METRICA PARAPHRASIS.

TORQVENTEM rutilo sidera cardine
Stellanti è solio sub pedibus Deum
Despectare iacentes
Terras numine credimus.
Qui septemplicibus lampadas orbibus
Dispensat seriem ducere temporum:
Cuius flamma satelles
Tendit nubibus horridis
Erumpens, furiis vindicis obsequi:
Cuius nauifragos imperio, leuis
Frangit margine arenæ
Fluctus indomitum mare:
Quem Magnatum apices, Regnáque tristia
Templorumque tholo, ac thuricremis focis,
Supremumque fatentur
Multâ cæde bidentium;
Huius si patulam porticibus domum,
Aut arcana teris limina gressibus
Iusto examine lancis
Motus pendito gressuum,
Auremque, imperio sedulus obsequi,
Acclinem placitis arrige Numinis.
Illi Regna volendi
Mentisque arbitrium sacra.
Neu cordis rigidi vis adamantina,
Ceruicisque tumor dia proteruiter
Factis iussa refutet.
Quicumque obsequitur Deo,

Sic

Sic iuris Dominus liberior sui est.
At quisquis sibi ius arbitrij arrogat,
Normæ derogat Æqui,
Perditque imperium sui.
Spiranti melius victimâ obediens
Impensi superis obsequij litat,
Quàm si mille hecatombas
In vulnus fatui darent.
Quid fucum superis turba recalcitrans
Omentique fibræque vnguine sublinis?
Aut quid fœda piacla
Tingis sanguine victimæ?
Non si sacrificis flamma voret focis
Ter centena boum pinguia viscera;
Non si mille hecatombis
In riuos abeat cruor,
Exores superos illacrymabiles:
Non fibris pecudum carniuoram famem,
Non stagnante cruoris
Riuo purpuream sitim
Maiestas satiat nullius indiga.
Si non supplicio culpa retunditur,
Si barbam Altitonanti
Vellis sacrilegâ manu,
Si fas atque nefas sub pede proteris;
Vrgebit resident victima dexteram,
Despectæque hecatombes
Euertet stomachum halitus,
Vindictæque facem è sacrilegis focis
Vltrò corripiet longa Dei manus.
Quæris grata litando
Quæ sit victima Numini?

Mens Diuùm reuerens, atque habilis iugo
Ceruix ſi fuerit: ſi ſuperùm vacent
Aptæ legibus aures;
Nulla hac blandior hoſtia.

PROSA EXEGESIS.

QVAMVIS omnes omnino virtutes ſupremi illius Numinis obſequio ſint mancipatæ, nulla tamen eſt, quæ plus adferat illi ſplendoris, & quæ ſuam Deo maieſtatem perfectiùs aſſerat, quàm obedientia. Dignitatem huius virtutis luculentè declarant magnifica ſanctorum Patrum elogia, quibus eam exornant. Obedientia enim, teſte D. Auguſtino, mater quodammodò eſt omnium cuſtoſque virtutum: D. Gregorio ſola virtus eſt, quæ virtutes ceteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit: Climaco denique obedientia eſt animæ propriæ perfecta abnegatio, ſpontanea mors, ſecurum periculum, tuta nauigatio, iter dormiendo confectum, ſepulchrum voluntatis, excitatio humilitatis.

Obedientiæ dignitas.

Auguſtin. lib. 14. de Ciuit. Gregorius lib 35. Moral. c. 12. Climacus Gradu 4.

Quòd autem eadem virtus ſuam Deo maieſtatem potiſſimùm vindicet, inde perſpicuum eſt, quòd tota à nutu diuinæ voluntatis pendeat, omniſque laus eius in expeditâ diuinorum mandatorum executione conſiſtat. Hanc promptam expeditamque mandatorum executionem Magnus Areopagita beatarum mentium typo nobis adumbrari ſignificat, dum nudæ, atque ab omni impedimento liberæ, à pedum velocitate, atque alarum pernicitate commendantur. Vnde & apud Prophetam dicuntur *facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius.* quibus verbis innuitur, eos quodammodò obſequiis imperia præuenire. Et quid aliud commendat illa Samuelis promptitudo, cùm noctur-

Obedientia Deo honorem debitũ tribuit.

Areopagita lib. de Cęleſti hierarch. c. 15.

Pſal. 102, 20.

nocturnâ illâ compellatione, somno discusso, respondit: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus*. Non audiet, inquit, sed audit; quasi vocem vix conceptam, nedum enuntiatam, obtemperandi celeritate præciperet. 1. Reg. 3, 10.

Obedientia sacrificio potior.

Sed superuacanea sunt humanæ commendationis elogia, quando Deus ipse testimonio suo omni exceptione maiori ceteris eam rebus ducit anteponendam. An est quidquam in religione cultuque diuino tam sanctum, quàm sacrificium, ac præsertim holocaustum, quo Deo supremum in res creatas dominium asseritur? Atqui exiguo in pretio apud Deum esse holocaustum præ obedientiæ pretio, disertè affirmat Samuel, dum Sauli his verbis inobedientiam exprobrat: *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini?* Nec immeritò sanè. Quid enim aliud fuere legis antiquæ sacrificia, quàm hieroglyphica quædam symbola veri internique cultus diuini significatiua, qui per obedientiam reipsâ præstatur? Deinde qui victimas immolat, aut aliud quoduis sacrificium offert, supremum in Deo agnoscit eius rei dominium, quam eius honori impendit, aut sacrificando mutat ac destruit. Itaque qui sacrificium immolat, Deum fortunarum suarum supremum esse Dominum profitetur: at qui diuinæ legi obtemperat, Deo voluntatis & arbitrij sui dominium transscribit. Et quid aliud nobis innuit Magnus Gregorius, dum ait: Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur? Denique vt multiplicia olim fuerint sacrificia, infinito tamen spiritualium victimarum numero, & olim illa superauit, & etiamnum superat obedientia. *Qui* enim *conseruat legem*, ait Sapiens, *multiplicat obla-* 1. Reg. 15, 22.

Gregorius lib. 35. Moral. c. 12.

Eccli. 35, 1.

oblationem. Sacrificium ſalutare eſt, attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate.

Hoc eſt igitur nobiliſſimum illud, nec tantùm quotidianum, ſed omnium pænè horarum ſacrificium, quo veriùs paſcitur ac delectatur Deus, quàm cruentis illis antiquæ legis hecatombis. Quid enim? ait apud Pro-
Pſalm. 49, 13. phetam: *Numquid manducabo carnes taurorum? aut ſanguinem hircorum potabo?* Potior illi diuinis eius imperiis obnoxiæ mentis victima. Parum dixi: gratius eſt illi quotidianum non animi tantùm ac voluntatis, ſed totius hominis membrorumque omnium holocauſtum: dum ij, qui ſe totos diuinis obſequiis deuouerunt, ex eius imperiis nutuque dependent.

Quod quanti apud Deum ſit meriti, non inuitus illuſtri parentis ac filij obedientiæ certamine declarabo. *Tentauit* olim *Deus Abraham*, ait Moyſes, duriſſima
Gen. 22, 1. *Abrahæ obedientia.* illi mandata proponens. *Tolle*, inquit, *filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis; atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi.* Verbáne ſint hæc, an tonitrua, neſcio. Hoc ſcio, totidem mucrones ac totidem fuiſſe tela, quot verba. *Tolle*, non oues aut boues in ſacrificium, ſed *filium*, & quidem *vnigenitum*, vt nihil ad ſolatium, nihil ad poſteritatem tibi ſit reliquum. Illum, inquam, *quem diligis*, ne quid deſit ad exulcerandum pectus. Illum *Iſaac*, riſum tuum, gaudium & corculum tuum: *& offer illum* non ferro alieno, ſed paternâ manu trucidatum atque immolatum. Denique *in holocauſtum*, vt in cinerem redactus, ne corporis quidem reliquias in ſolatium parentibus relinquat. Ad hæc verba fortiſſimus quiſque animo conſternatus concidiſſet. Non ſic Abraham: qui ne tantillum quidem moræ, dum illuceſceret interponen-

ponendum ratus, sed vt cum Bernardo loquar, in mortem filij piâ crudelitate festinans, intempestâ nocte à latere coniugis nullo verbo interpellatæ surgit, soluſque dolorem concoquens, toto triduo cum famulis se dat in viam. Quibus interim curis & cogitationibus paternum eius pectus laniatum fuisse credimus? aut quantam in eo affectus & obedientiæ luctam exstitisse? Quoties toto illo triduo filium obliquo oculo respexit, & erumpentes è corde singultus vix oppressit? quoties oculos fletu grauidos lætiore vultu castigauit? quoties demum toto illo triduo naturam obedientiæ subiugauit? Tandem cùm in conspectum loci à Deo designati venissent, iussis ad radicem montis subsistere famulis, Isaaci humeris ligna holocausti imposuit: ipse manibus ignem gladiumque gestauit. Cumque soli sic absque arbitris proficiscerentur, *dixit Isaac patri suo: Pater mi! At ille respondit: Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis & ligna; vbi est victima holocausti?* O dolor! Quis mucro verbis hisce penetrabilior? Et tamen inconcussa mansit Abrahami constantia. *Deus*, inquit, *prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Nec mora, vt ad locum sacrificio designatum venêre, exstructo altari, ligniſque compositis, arripuit filium suum Isaac, eumque funibus constrictum, cùm iam facilè viginti quinque esset annorum, aut, vt alij supputant, triginta septem, nihil reluctantem (cùm facilè posset) imposuit super struem lignorum, arreptumque gladium in ictum librauit, vt filium immolaret.

Bernardus de Gradib. obedientię.

Ambiguus hîc hæret Chrysostomus, quid priùs aut potiùs admiretur, fortémne Patriarchæ spiritum, an tam constantem filij obedientiam, qui neque reluctatus sit, nec factum improbarit, cùm tamẽ eâ esset ætate,

Chrysost. Hom. 48. in Genes. *Isaaci obedientia.*

vt in tam crudeli facto iudicio ſuo vti, & illis viribus, vt è paternis manibus facilè poſſet eluctari. Et tamen triſtiſſimum erat, ætatem in flore ſuccidi, planeque inexpectatũ, ad necem à patre poſtulari. Vicit nihilominùs hæc omnia diuinis imperiis obtemperandi promptitudo, & tanto parente non degener indoles. Vultis iam noſſe quantò præſtabilius fuerit hoc obedientiæ ſacrificium infinitis holocauſtis aut hecatombis? Accipite huius tragœdiæ cataſtrophen. Cùm iam paternus mucro filij ceruicibus immineret, diuina vox ictum ſuſpendit: *Abraham, Abraham, non extendas manum tuam ſuper puerum. Nunc cognoui quòd times Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Et rurſus: *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris.* En præmium incruenti obedientiæ ſacrificij.

Quid ſimile cruentis illis antiquæ legis victimis? Quid habuit eximium profuſus ille ſanguis? quid carnium nidor? Certè hæc & ſimilia, totamque legalium cærimoniarum obſeruantiam infirma & egena elementa vocat Apoſtolus. Quæ ſi quid valebant, aut eò ſpectabant, vt homines beneficiorum memores Deum colerent, aut vt iuxta propoſitam ſacrificandi hieroglyphicam formam ſeipſos excolerent. Si verò nec illud quidem intentum ſuum in iis aſſequitur Deus, ſed improbi ſolo apparatu externo contenti, potiſſimam legis partem, quæ iuſtitiam vitæque ſanctimoniam complectitur, negligant, & in omnium ſcelerum colluuione cœnoque volutati, omnia ſibi ſalua eſſe arbitrentur, ſi carnium nidor in cælum ex arâ vaporauerit; parúmne

Galat. 6.

Improborũ ſacrificia Deo ingrata.

cauſæ

causæ videtur Ecclesiastæ fuisse disertè pronuntiandi, *Multò melior est obedientia quàm stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali?* Tantum enim abest, vt hoc externo apparatu Numen sibi reddant propitium, vt etiam iusto furore accendatur, tamquam si à vilissimis homuncionibus ludibrio habeatur. Sic enim olim magnifica illa ac sumptuosa impiorum obsequia à Deo accipiebantur, tamquam si quis famelico non cibos, sed expressas eleganter quidem, vacuas tamen ac futiles ciborum imagines per ludibrium apposuisset, quemadmodum olim Pythæ vxor affabrè factis ex auro cibis, viri sui famem exercuit; aut Caligula expressis ad viuum ex auro, argillâ, lignoque fructibus incautos conuiuas ludificatus est. Virtute enim pascitur ac delectatur Deus, non externis cærimoniis ad pompam fastumque comparatis. Quæ quò frequentiùs apponuntur, eò magis illa fastidit, & ad iram prouocatur. Quod vt manifestius euadat, concludam hoc Caput grauissimâ Dei sententiâ apud Isaiam: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ* (morum similitudine nimirum & vitiorum contagione) *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atriis meis? Ne offeratis vltrà sacrificium frustrà. Incensum abominatio est mihi. Iniqui sunt cœtus vestri. Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

Plutarchus lib. de Virtutib. mulier. c. vlt. Sueton. in Caligulâ.

Isaiæ 1, 10.

SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT QVINTVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 1. Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram: idcircò sint pauci sermones tui.

2. Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia.

METRICA PARAPHRASIS.

QVò præcipiti lingua effrenis
Impete tendis? Certè satius
Tacuisse fuit, quàm veloci
Mentis aborsu temerare Deum:
Et verborum fumo æternum
Fuscare iubar. Nimiùm vasto
Cæli distant templa recessu.
Quid lumbricus vix emergens
E fæce luti, spirisque ima
Sola perreptans, tumido affectat

Sidera

Sidera collo? ſanctaque penetrat
Audax vermis Diuorum adyta?
Citiùs Tiphys bolide exploret
Tethyos vndas; nocturna priùs
Strix immoto lumine figat
Solare iubar; citiùs labri
Margine aheni Nerea claudas:
Quàm mortali iubar æternum
Oculo penetres; lumenque Dei,
Numenque Dei, nullo cæli
Limite clauſum, tantula mentis
Pupula capiat. Cùm puluereâ
Nube ſepultam tenebroſa operit
Caligo diem, fruſtrà æthereos
Quærimus ignes. Dum ſubmoto
Margine terræ moriente die
Spectamus agros, quà Finitor
Diuidit orbem; quò magè tenues
Sequimur patulis vmbras oculis,
Hoc magè refugas perdimus arces,
Nam ſtellantes nox picta ſinus
Furuo obnubit diſſita peplo.
Ne magè ſperes acie mentis
Penetrare Deum, quem caligo
Nimiæ lucis latebris abdit.
Hunc ſeu Phœbum dixeris orbis,
Phœbi titulum reſpuit auctor:
Siue exornes ſchemate Regum,
Vilia Regum ſyrmata calcat.
Aptius illi nihil aptaris,
Quàm poſſe Deo nihil aptari.
Cùm vix tibi ſit guttula mentis,

Quid verborum flumina ructas?
Tot, si nescis, lubrica verbis
Te lingua probat mentis inanem,
Nec stultitiæ est certior index.
Cùm multiplices, genus insomne,
Anxia curæ pectora rodunt,
Stolida excudit somnia Morpheus.
Sic vbi linguæ verba redundant,
Illic menti curta supellex.

PROSA EXEGESIS.

De Deo loqui difficile.

DE Deo neque omnino silere concessum est, nec loqui promptum. Nam & infinitam illam Maiestatem silentio premere, impietatis est; & multa de illâ effutire, temeritatis: nec hominis est, supremi Numinis ignorantiam prætexere; nec prudentis, absolutam eius scientiam profiteri. Conatum tamen aliquem in medium adferre, operæ pretium videtur, quia, teste Augustino, de Deo optimè existimare, pietatis est exordium. Principio igitur hoc statuendum est, quod ait Tacitus, vnum esse regnatorem omnium Deum. Nulla enim inter homines gens est, inquit Tullius, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cùm cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Sed quàm hæc certa sunt ac perspicua, tam incertum atque obscurum est quid sit Deus. Vt præclarè dictum sit à Tertulliano; Deum vis magnitudinis & notum hominibus obiecit, & ignotum. Quid enim tam notum, quàm

Augustinus lib. 1. de Libero arbit.

Tacitus 5. Hist. Cic. lib. 1. de Legib.

Idem de Aruspicum respons.

Deum esse perspicuum est.

Quid sit Deus, obscurum. Tertullian. Apologet. c. 17.

esse

esse summum aliquod Numen? quid tam ignotum, quàm quid sit illud Numen?

Prudenter olim Simonides, cùm ex eo quæsiuisset Hiero tyrannus, quid esset Deus, diem ad deliberandum postulauit; ac postridie rogatus, biduum petiit. Cumque sæpiùs numerum duplicaret, & Hiero miratus causam quæreret, respondit: Quia quantò diutiùs considero, tantò mihi res videtur obscurior. Ita profectò se res habet, vt inuestigantibus labor crescat, & quantò quis acriùs mentis aciem intenderit, tantò longiùs se à metâ cognitionis abesse deprehendat. Adeò vt hæc perscrutatio diuinitatis non absimilis esse videatur illi Stagno Siculo, de quo Polycritus apud Aristotelem, quod cùm vix ambitu suo scutum excedat, si quis illud lauandi gratiâ ingrediatur, in latum extenditur; & si quis iteratò ingressus fuerit, ampliùs idemtidem dilatatur. Talis est enim Dei natura, quæ, vt ait Nazianzenus, tantum recedit, quantum capitur: & inuentæ veritatis lucrum duplicati laboris dispendio compensat, dum lucis æternæ stricturæ quædam hinc inde emicantes ad pleniorem eiusdem lucis inquisitionem inuitant, & immensam generosis mentibus discendi cupiditatem accendunt.

Cic. lib. 1. de Naturâ deor.

Quo Deus magis cognoscitur, magis latere videtur.

Vid. Caussin. Hist. parab. li. 1. Symbol. 52.

Nazianz. Orat. 1.

Quanta olim huius lucis inuestigandæ cupiditas incessit D. Augustinum, postquam veritatis diem quasi per rimam dispicere cœperat? Et quanto animi sui sensu ad hauriendam Dei cognitionem res omnes creatas peruagatus est? Percussisti, inquit, Domine cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cælum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt vt te amem; nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Altiùs autem tu misereberis, cui misertus fue-

Augustini labor in quærendo Deo.

Augustinus li. 10. Confession. c. 6.

fueris; & misericordiam præstabis, cui miſereberis. Alioquin & cælum & terra ſurdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cùm te amo? Non ſpeciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis ecce iſtis amicum oculis, non dulces cantilenarum melodias, non florum, & vnguentorum, & aromatum ſuaueolentiam; non manna & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm Deum meum amo: ſed tamen hæc talia amo in interiori meo homine; vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus; vbi ſonat, quod non rapit tempus; vbi olet, quod non ſpargit flatus; vbi ſapit, quod non minuit edacitas; vbi hæret, quod non diuellit ſatietas. Hoc eſt quod amo cùm Deum meum amo. Et quid eſt hoc? Interrogaui terram, & dixit, Non ſum. & quæcumque in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogaui mare & abyſſos, & reptilia animarum viuarum, & reſponderunt, Non ſumus Deus tuus, quære ſupra nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuerſus aër cum incolis ſuis: Fallitur Anaximenes, non ſum Deus. Interrogaui Solem, Lunam, & ſtellas; Neque ſumus nos Deus quem quæris, inquiunt. Et dixi omnibus his quæ circumſtant fores carnis meæ: Dixiſtis mihi de Deo meo, quòd vos non eſtis, dicite mihi de illo aliquid. Et exclamauerunt voce magnâ: Ipſe fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea; & reſponſio eorum, ſpecies eorum. Hæc Auguſtinus.

Dei aliqualis cognitio remouendo aliena accipitur.

Sed quàm rudis illa ſpecies ad repræſentandum infinitum illud Numen? Certè vix aliud nobis præſtat, quàm quòd opportunè prohibet, ne ad ea colenda ſacrilegâ ſuperſtitione adducamur, quæ non ſunt dij; ac interim aliena remouendo, confuſam Dei proponit ima-

imaginem. Quemadmodum enim, ait Areopagita, si- Dionysius Areopag. de Mysticâ Theol. c. 2
mulacrum hominis ex ligno aut lapide, cædendo, dedolando, excauando & amputando perficitur; ita Dei quædam similitudo, remouendo ab eo quidquid creatum est, efformatur; sed hoc discrimine, quòd ex ligni illâ aut lapidis dedolatione subinde genuina resultat hominis effigies, ex hac autem negatione rerum creatarum nulla Dei propria similitudo, sed valdè rudis, imperfecta, prorsusque aliena adumbratur. Hoc tamen habent eximium res creatæ, quòd animos nostros excitant, & ad diuinas perfectiones vtcumque contemplandas manu ducunt. Viderunt hoc etiam Græcæ religionis Philosophi, inter quos Plutarchus non ignobilis, Vt nunc se dat occasio, inquit, Deum quasi in pulcherrimo somniorum somno imaginantes excitemus animos nostros, hortemurque, vt altiùs sese efferant; & Dei substantiam naturalibus substantiis sublimiorem contemplemur. Addo, Et cùm diu contemplati fuerimus, fateamur nos (quasi Solis radiis nimiâ suâ luce caliginem offundentibus) magis magisque cæcutire: & glorioſum nobis existimemus, viles terræ vermiculos ab infinitâ Maiestate vinci, humanamque infirmitatem tam altis conatibus debere succumbere.

Deus ex rebus creatis cognoscitur.

Plutarch in El. apud Delphos.

Ne tamen omnino nihil in medium attulisse dicamur, videamus quid nonnulli, quorum mens sanior fuit, naturâ duce sint consecuti. E Latinis potissimùm arridet M. Tullius, qui sic habet in Tusculanis: Deus ipse, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi non potest, nisi mens soluta quædam, & libera, & segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno. E Græcis nemo potiore iure placere debet quàm diuinus ille Plato,

Philosophorum de Deo sententiæ.

Cicer. Tusc. 1.

hauſtâ à Moyſe, vt putatur, Theologiâ ceteris auguſtior. Eius inſignem de Deo ſententiam his verbis quidam expreſſit: Deus eſt totius rerum naturæ cauſa, & ratio, & origo initialis, ſummus animi genitor, æternus animantium ſoſpitator, aſſiduus mundi ſui opifex. Sed enim ſine operâ opifex, ſine curâ ſoſpitator, ſine propagatione (id eſt naturæ ſuæ multiplicatione) genitor, neque loco, neque tempore, neque vice vllâ comprehenſus, eoque paucis cogitabilis, nemini effabilis.

Apuleius Apolog. primâ.

Rectè mones, Plato, & elogio tuo rationis & orationis fluxum ſiſtis. Cuius enim prudentiæ fuerit incomprehenſibilem velle cogitatione complecti, aut ineffabilem verbis explicare? Non immeritò ſanè ſtultiſſimæ temeritatis id eſſe pronuntiat Eccleſiaſtes. Primùm enim, quis ignorat inſtar Solis eſſe diuinum illud Numen, cui nullus par eſſe poſſit adſpectus? Vnde verè dictum eſt à Philone, Principalem illam eſſentiam ſi quis voluerit intueri, nimio radiorum fulgore, priuſquam illam viderit, excæcandum. Deinde venti nomine Deum commodè deſignari, oſtendit Areopagita, propter vim motricem, celeremque & inſuperabilem diſceſſum, & nobilium principiorum atque finium incognitas atque inuiſibiles latebras. Denique perfectiones eius incomprehenſibiles eſſe, ſatis apertè inſinuat Propheta Iob, *Forſitan*, inquiens, *veſtigia Dei comprehendes, & vſque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? Longior terrâ menſura eius, & latior mari.*

Deus eſt incomprehenſibilis.

Philo de Profugis.

Dionyſius Areopag. Cæleſt. hierarch. c. 2.

Iob 11,7.

Amplius dico, ne vnius quidem perfectionis diuinæ vim poſſe comprehendi, cùm nihil ſit in hoc vniuerſo, quod cum illâ in contentionem venire poſſit. Quinimmò ſi omnis rerum creatarum perfectio magis magiſque

giſque in infinitum aucta fuerit, & ex alterâ parte minima Dei perfectio (vt ſic loquar) cum illâ conferatur, numquam tamen poterit creata perfectio illo ſuo augmento ad minimam Dei perfectionem attingere. Quod nemini mirum videri debet, cùm in Mathematicis etiam proportionibus non abſimile quiddam reperiatur. Detur enim angulus aliquis rectilineus, qui infinitis partibus reddatur minor, acutior & contractior; & alius detur angulus contingentiæ circuli conuexi ſuper lineam rectam, qui in infinitum augeatur ac dilatetur; tamen hic angulus contingentiæ in infinitum auctus ac dilatatus, ſemper erit minor angulo rectilineo in infinitum contracto. Sed quid verbis opus eſt, cùm res, de quâ agimus, ſit prorſus ineffabilis? Quare ne multa effutiendo, vt ait Eccleſiaſtes, ſtultitiam prodam, cetera obſcuris Fidei decretis ac Theologorum placitis committo, illius D. Cypriani memor: De Deo etiam vera dicere periculoſum eſt. Cyprian. in Symbolo.

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERS. 3. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. ſed quodcumque voueris, redde:

4. multoque meliùs eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.

METRICA PARAPHRASIS.

Si votis superos fortè poposceris,
Tendens innocuas sideribus manus,
Quidquid seu ratio iubet,
Seu lex imperiosior;
Exclusâ remorâ, polliciti memor,
Dictis adde fidem. Vir cupiet viro
Fixum lege adamantinâ,
Quod mens prouida sanxerit:
Tu ne deterùs solue fidem Deo.
Fallaces superùm destituit fauor,
Illis sed facilis venit,
Queis votis sua stat fides.
Mendaces nebulas, & pluuias minas,
Quæ nullo recreant imbre noualia,
Dum turgent vacuo sinu
Odit vulgus agrestium.
Sic qui vota crepans, sacrificis nihil,
Præter verba, focis perfidus immolat,
Hunc vox irrita Numinis
Læsi constituet reum:
Non quòd vota Deum munera diuitent,
Aut cædes recreet multa bidentium:
Non ille esuriens fibris
Sacræ pascitur hostiæ,
Aut vndante sitim sanguine diluit.
Sed cur arbitrio mobilis ingeni
Testæ de Samiis luti
Debet ludibrium Deus?
Non hic centuplici commodat hostiæ
Pronas auriculas, aut opibus Midæ:

Plu

Plus vel mica salis potest,
Et puræ scelerum manus.
Si non in pretio est pinguior hostia,
Sed iurata fides præstita Numini;
Aut voti satagas reus,
Aut prorsus voueas nihil.

PROSA EXEGESIS.

ANTIQVISSIMA votorum est religio, ad quam non vnius aut alterius gentis ritibus instituti sumus, sed ab ipsâ naturâ imbuti. Hanc Dei populo diuina oracula, gentibus excultis ratio, necessitas barbaris, ipsis denique pueris natura præscripsit. Iam olim à paternâ domo profugus Iacob, cùm Luzam appulisset, votum vouit Domino, si sospitatorem eum itineris sui habuisset, omnium bonorum se decimas oblaturum. Et altiori spiritu incitatus Iephte, se Deo facturum vouit in holocaustum, quicumque primus ab Ammonitis reduci ac victori ex ædibus suis obuius esset futurus. Quid Græcæ superstitionis antiquitatem veræ semper religionis æmulam commemorem? Nónne

Votorum antiquitas.

Genes. 28, 20.

Iudic. 11, 31.

Vota Ioui Minos taurorum sanguine centum
Soluit? —— Nónne

Ouidius 8. Metam.

Dædalus (ex voto) *fugiens Minoia regna,*
Præpetibus pennis ausus se credere cælo,
Redditus his primùm terris tibi Phœbe sacrauit
Remigium alarum, posuitque immania templa?

Virgilius 6. Aeneid.

Ita & aries Phryxeus Marti dicatus est apud Colchos, & regia Midæ sella Apollini Delphico, & nauis eidem à Theseo annuè ex voto persoluta. Neque Romani cuiquam hac votorum religione, quam à primo suo parente hauserant, cesserunt. Nam & Romulus sisten-

Liuius li. 1.

Idem li. 5. dæ ſuorum fugæ ædem Ioui Statori vouit; & Camillus Dictator Veientis prædæ decimas; & bello contra Antiochum Conſul, præeunte P. Licinio Pontifice maximo, ludos magnos Ioui donaque ad puluinaria vouit: Idē lib. 36. Idē lib. 22. denique non infrequenter ver ſacrum populus vouit, vt quòd ver attuliſſet ex ſuillo, ouillo, caprino grege, Ioui fieret. Quid quòd ne ruſticis quidem ac pueris incomperta fuit hæc religio? de quibus inter ceteros ſic Tibullus:

Tibullus lib. 2. *Pendebitque vagi paſtoris in arbore votum,*
Garrula ſilueſtri fiſtula ſacra Deo.

Cic. lib. 1. de Diuinat. Et Attius Nauius, cùm propter paupertatem ſues puer paſceret, vnâ ex his amiſsâ vouit, ſi eam recuperaſſet, vuam ſe Deo daturum, quæ maxima eſſet in vineâ.

His paucis ex antiquitate hiſtoricâ delibatis cùm ſæculorum omnium gentiumque conſenſus accedat, erítne qui iſtiuſmodi cultum vero Deo exhibitum vanitatis & *ἐθελοθρησκείας damnare præſumat? Nemo certè, præter faſtidioſos noſtri temporis Ariſtarchos, hæreticos inquam, quibus nihil ſapit quod ſanctum ac religioſum eſt. Sed exploditur eorum temeritas non tantùm rationum euidentiâ, verùm etiam ipſius Dei grauiſſimo ſuffragio, cùm nullam fidei ac religionis partem tot miraculis illuſtratam teneamus, quàm quæ votis continetur: vt non immeritò poſſimus hac in parte illud D. Auguſtini vſurpare, Culmen auctoritatis obtinuiſſe Eccleſiam Catholicam, hæreticis miraculorum maieſtate damnatis. Quæ dum vident, qui in Eccleſiæ gremio ac beato illo cœtu viuunt, iure in auitâ fide firmantur, & diſputationum omnes nebulas factorum Sole diſpellunt: neque verentur, cùm voti ſe religione obſtringunt, ne ſuperſti-

*voluntarij cultus & ſuperſtitionis

Fruſtrà hæretici votorum religionem damnant.

Auguſtinus de Vtilitate credendi, c. 17.

tionis

tionis laqueis implicentur, sed clamant potiùs cum pio Scriptore: Domine, si error est, à te decepti sumus. nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ nõ nisi per te fieri possunt. Richardus à S. Victore lib. 1. de Trinitate, c. 2.

Votorum religio confirmatur.

Quamquam, vt dixi, nec euidentia rationis ad confirmandos animos in hoc diuino cultu desideratur. Quis enim ambigit quin gratissimus Deo sit ille cultus, cùm is qui votum nuncupat, hoc ipso rerum humanarum cognitionem ac prouidentiam Deo adscribat? Deinde, parúmne Deo honorificum, quòd hunc vnicum esse fatentur mortales, qui rebus adflictis possit opitulari? Præterea qui votum nuncupat, hoc ipso diuini principatus eminentiam, suamque subiectionem & obsequium profitetur. Adde, quòd vouens, si seipsum Deo per votum transscribit, non hinc inde rosam aliquam, aut pomum ex arbore decerptum, in sinum illius infinitæ Maiestatis coniicit, sed ipsum cum rosis rosetum, ipsam cum fructibus arborem, ipsum inquam cum affectibus cor, ipsas cum operibus manus Deo consecrat. Denique cùm, teste Aristotele, ad virtutis perfectionem hoc etiam requiratur, vt firmiter ac immobiliter operetur; qui se voto obstringit, hoc agit, vt Dei reuerentia, cuius maiestatem cõpellauit, in sancto proposito ac virtute confirmetur.

Vide Lessium de Iustitiâ & Iure lib. 2. c. 4. dub. 5.

Anselmus lib. Similitud.

Arist. lib. 2. Ethic. c. 4.

Felix necessitas quæ ex voto oritur.

At, inquiunt, quid opus est illâ ferreâ necessitate? quid opus votorum vinculis & compedibus, cùm virtutum merita libertas operandi commendet? Non intelligunt, qui ista disputant, quid inter necessitatem aliunde iniectam intersit, & inter spontanea vincula, quæ sibi quisque pio erga Deum affectu induit, ne in posterum liceat, quod nollet licuisse; aut integrum sit non debere quod cum lucro persoluitur. Rectè igitur monet

Augustinus Epist. 45. monet Augustinus Armentarium: Non te vouisse pœniteat; imò gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta factis imple: ipse adiuuabit, qui vota nostra expetit. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Sanè nihil obest vitibus, nec fecunditatem minuit, quòd vlmis aut aliis firmioribus stipitibus alligantur: ita nihil est conducibilius, quàm vt fragilis homuncio leuitatis suæ conscius, futilem ac incertam voluntatem suam defigat in Deo, votique sponsione stabiliat. Diximus nuperrimè, Isaacum, paternâ manu immolandum, ligatum fuisse; nec dubium, quin summâ suâ voluntate: nullæ enim alioqui patris iam grandæui vires id potuissent in filium ætate ac robore florentem. Igitur cùm sic animo comparatus esset, vt res ipsa testatur, quid necesse fuit adhiberi vincula? nimirum vt illa tam recta tamque prompta voluntas iisdem quasi nexibus, quibus manus ipsæ constringeretur: ne vllo deinde casu aut perturbatione sibi excideret. Eadem planè ratio votorum est, quæ etsi vincula quædam sunt, non sunt tamen remissioris sed propensioris affectus symbola; neque tergiuersationem indicant, sed promptitudinem, vtpote quæ tantâ voluntate suscepta sunt, vt numquam integrum sit futurum non velle.

Vide Platum de Statu religioso lib. 1. c. 30.

Gen. 22, 9.

Ex his cuiuis facile est coniecturâ assequi, quanti apud Deum sit meriti votorum nuncupatio. Sed illud non minùs euidens est, quàm inexpiabile sit facinus, Deo fidem datam fallere, eumque re votâ frustrari. Cùm enim votum omne maturo consilio, ac propensâ voluntate, nullâ vi aut necessitate præcepti interueniente, nuncupetur; quid aliud est votum aut negligere aut eludere, quàm infinitam illam Maiestatem ludibrio

Votum nõ solucre, graue piaculũ est.

brio habere? Certè *melius est non vouere*, inquit Ecclesiastes, *quàm post votum promissa non reddere*. Vt enim voti reis apud Ethnicos impunis interdum fuerit perfidia, qui, vt ait Satyricus, stolidam Ioui barbam vellebant, aut dimidium beneficij se reddituros pacti, fructuum putamina & nucum Ioui proiiciebant; vero tamen Deo non impunè illuditur. Persius Sat. 2.

Quinimò licet Maiestas illa aliorum scelerum pœnas futuro sæculo reseruare soleat, hoc tamen perfidiæ scelus præsentibus frequenter suppliciis vindicari cernimus: vt ferè votorum illi contemptores, & in Deum perfidi, vel semper miserrimam vitam ducant, vel citò miserrimam mortem obeant. Nazaræorum voto constrictus olim fuit Samson; postquam tamen in sinum Dalilæ caput reclinans, violandi voti occasionem præbuit, oculis orbatus, & pistrino addictus, quàm indignam tanto Principe vitam duxit? Quid Achan commemorem, qui siclos aliquot argenti, & auream regulam ex anathemate Deo deuoto furatus est? Quantum, propter vnius furtum, totis pænè castris turbarum est, fusis ab hoste tribus millibus fortissimorum Israël, & Deo seuerè denuntiante. *Non poterit Israël stare ante hostes suos, quia pollutus est anathemate.* & quod longè terribilius est, *Non ero*, inquit, *vltrà vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* *Voti violatores à Deo puniti.* Iudic. 16, 19. Iosue 7, 12.

Sed hæc antiqua sunt: dies me deficiet, si recentiora percensere voluero supplicia eorum, qui cùm seipsos voto solemni diuino obsequio consecrassent, desertis signis, retrò ad carnis illecebras mundiq́ue oblectamenta respexerunt. Noui ego qui egestate ac miseriis confecti, inter mendicabula perierunt: noui qui seipsos fœdè discerpserunt: noui qui hostilibus armis circum-

cumuenti, nullum pœnitentiæ ſpatium inuenerunt: noui qui carnificis manu per ſummam ignominiam obtruncati ſunt.

Sed illa nimis tragicâ relinquamus: hoc tantùm D. Bernardi monitum ſubnectamus, non Religionis deſertori, ſed votorum, vt ſic dicam, moderatori, & laxioris vitæ ſectatori tranſmiſſum: O inſenſate puer! quis te faſcinauit non ſoluere vota tua, quæ diſtinxerunt labia tua? Et quid tibi fruſtrà quiſpiam blanditur de abſolutione Apoſtolicâ, cuius conſcientiam diuina ligatam tenet ſententia? *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.*

Bernardus Epiſt. 1.

Luc 9, 62.

Nec minùs ille obnoxius eſt vindictæ diuinæ, qui voti reus, & moram ex morâ nectens, aut ſe aut ſua Deo conſecrare negligit. Non ita languidè ac remiſsè cum Deo tractandum eſt. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo*, ait Moyſes, *non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus. & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Inter homines contractus bonæ fidei, ſi nihil de tempore ſtipulatum eſt, primâ opportunitate debentur: cur Dei cauſa nobis erit deterior? præſertim cùm in nos totius moræ diſpendium redundet? Cùm enim Deo fœneret, qui ſe ſuaque per votum conſecrat; quò diutiùs ſortem differt, eò maiora patitur vſurarum diſpendia. Itaque redde teipſum Deo, ait Auguſtinus, quia reddendo non perdis, ſed accipis, & auges. Benignus enim exactor eſt, non egenus; & qui non creſcat ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat redditores. Deinde ſi Deum tibi voto demereri ſtudes, celeritate præſtitæ fidei ſincerum affectum teſtare. Nam, vt ait Ambroſius, prima voti gratia eſt celeritas ſolutionis; vti contrà, teſte Auſonio, —— *ingratum gratia tarda facit.*

Vota quàm primum ſoluenda.

Deuter 23, 21.

Auguſtinus Epiſt 45.

Ambroſius lib. 1. de Cain, c. 2.

Auſonius Epigr. 82.

Itaque

Itaque *si quid vouisti Deo, ne moreris reddere*, ait Ecclesiastes: ne si forsitan susque deque habens quâ fide voueas, aut quando vota persoluas, eorum impietati subscribere videaris, qui Deo res humanas negant esse cordi; quorum dementiam proximâ Sectione castigat.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 5. Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam : neque dicas coram Angelo: Non est prouidentia: ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

METRICA PARAPHRASIS.

VSQVE adeóne aliquis fatuæ deliria mentis,
Quæque euanida nox insomnia cudit, adorat,
Vt mundi immortale iubar, Numenque tremendum
Securum tam pulchri operis, quod pulchrior ipse
Æternâ ductum plastes ab imagine finxit,
Ignauo super astra putet torpere veterno?
Anne parum solidè quà terras circuit æther
Publica naturæ vox hæc tam vana refellit
Somnia? Nónne vides vt Cynthia legibus vndas
Temperet? ac terris circumflua Neptunine
Indomitos bibulâ fluctus compescat arenâ?
Nónne vides nusquam euarians vt partitor Helles
Æquales operi ac somno disterminet horas?
Iamque rigens Aquilone Caper, iam torridus æstu
Cancer, vt alternâ Phœbum statione salutent?

Adſpicis vt certis vaga ſidera legibus errent?
Adſpicis vt Zephyrus poſt horrida tempora brumæ
Torpentem Cybelen fecundo rore maritet,
Aulæisque nouis decoret pubentia prata?
Quis tam multiplici diſcrimine ludit in herbis?
Quis Cypriæ tingit Pæſtana roſaria Diuæ
Sanguine? Narciſſoſque argento & lilia ditat?
Auro ornat calthas? violas ferrugine pingit?
Quæ tantum Phrygio variantur ſtragula textu
Regales ſtructura toros florentis Idumes?
Quis pelago ventos, ſitientibus humida campis
Nubila diſpenſat? Quiſnam Cerealia egenis
Munera partitur terris, laticemque Lyæum?
Quis materni vteri, matre ignorante, receſſu
Naturæ indulgentis opes, artusque ſtupendos
Semine ab informi, centenaque ſymmetriarum
Millia, & immenſi claudit compendia mundi?
Sed quid ego hæc? roſeis quà purpurat ignibus Eos,
Quà lauit Heſperio Titan ſub gurgite currus,
Quot rerum ſpecies, totidem miracula dextram
Præſentis teſtata Dei Numenque loquuntur.
Et quiſquam has voces tam ſurdâ præterit aure,
Vt cerebri commenta ſui, malè ſanaque noctis
Somnia, naturæ anteferat vocique polorum?
Ergo fidem ſi mœcha proco iurata fefellit,
Si ſceleratus Atreus coquit exta nefanda Thyeſtæ,
Natorum Medea ferox ſi ſanguine ſpargit
Æſonidem, vacuumque regens per inane dracones
Aëriis vehitur bigis & nube curuli;
Nullane deſpectas curabunt Numina terras?
Quò ruimus malè ſana cohors, & cæca futuri?
Rimamur ſecreta poli, penitusque repoſtum

Suppli-

Supplicium ſceleri noſtrâ decernimus vrnâ.
Heu nimiùm fragili petimus confinia cæli
Remigio alarum, curſuſque inſiſtimus olim
Dædalidæ. Temerè æternam contingere flammam,
Nulli impune fuit. Conſumitur igne pyrauſta,
Dum circumuolitans nocturna incendia tangit.
Nulli fas hominum æternæ comprendere mentis
Immortale decus: meliùs neſcire fatemur,
Quàm verbis æquare Deum; Numenque colendum
Laudibus, vberius ſtupefacta ſilentia laudant.
Quiſquis es ergo, caue ne deteriora ſecuto
Tantus corde furor tantum ſcelus excidat ore,
Vt demens cælo præſumas teſte profari:
Scilicet hic ſuperis labor eſt, ea cura quietos
Sollicitat. *Ne tantum animo, ne prome furorem,*
Neu caput ipſe tuum trifido damnaueris igne:
Quippe Deus tumido irarum ſuccenſus ab æſtu,
Teque tuoſque lares, Nemeſi inſultante, ruinæ
Inuoluens, operum euertet molimina, & ipſis
Ludibrium Boreæ dabit irrita ferre procellis:
Obicibus velut excuſſis furit igneus amnis,
Candentis voluens liquefacta incendia ferri,
Artificumque ruit poſitas longò ordine formas.
Sic quondam Pharao rector Mareotidos oræ,
Dum negat Iſacidum lacrymas curæ eſſe Tonanti,
Contemnitque Deum, ſenſit ſua regna ruinæ
Incubuiſſe, retroque gradum fruſtrata tuliſſe
Conſilia: ac tandem furiarum percitus æſtro
Victus Erythræis iras tumulauit in vndis.
Auſus & indignis quondam aſtra laceſſere verbis
Sacrilegus Capaneus (cui dextera Numen, & enſis
Lex erat) infeſto dum territat agmine Thebas,

Atque Amphionia ſtructas teſtudine turres
Inuolat inſultans, toto Ioue fulmen adactum
Hauſit, & in cineres diffluxit inane bidental.
Sic vbi culpantur diuturna ſilentia cæli,
Abſoluit vindicta Deum, cauſamque perorat.

PROSA EXEGESIS.

Cic. lib. 1. de Naturâ deor. *Athei iam olim damnati.*

CVM Protagoras Abderites, celeberrimus olim ſui temporis Sophiſta, librum ſuum ſic eſſet exorſus, De diis neque vt ſint, neque vt non ſint habeo dicere; Athenienſium iuſſu vrbe atque agro eſt exterminatus, librique eius in concione combuſti. Ex quo factum eſt, vt tardiores multi efficerentur ad atheiſmum profitendum, cùm nec dubitatio quidem pœnam effugere potuiſſet. Qui rigor Athenienſium ſi vbique valuiſſet, non tot ſupereſſent ſacrilegi dogmatis illius reliquiæ. Nunc verò cùm ſub ſpecioſo Politicorum nomine exitiabilis illa generis humani peſtis longè lateque propagata ſit, multique non ambigant tantùm, ſed intereſſe rebus humanis cæleſte Numen, eiuſque prouidentiam diffiteantur, faciam rem non difficilẽ, cauſam Dei agam.

Mundus ex atomorum concurſu non exiſtit.

Ac inprimis ſtultiſſimum illud Epicuri delirium explodam, qui non ab omnipotente Dei manu, ſed fortuito atomorum concurſu, pulcherrimum hoc vniuerſum, rerumque tantam varietatem extitiſſe ſomniauit. Qui ſi in brutorum animantium concurſum, ſtultaque conciliabula, qualia in Apologis ſuis finxit Æſopus, cauſam tantæ varietatis ac pulchritudinis contuliſſet, tolerabiliùs certè inſaniret: ab atomis verò (vt nihil grauius dicam) vitæ & varietatis expertibus, quæ mens, quæ ratio, quod conſilium, quæ partium ſymmetria, quæ naturarum diuerſitas, quæ agendorum norma,

quæ

quæ artium varietas potuit proficiſci? Itaque ſuperuacuum eſt in præſentiâ oſtendere non ſine aliquo auctore & cuſtode tantum opus ſtare: nec hunc ſiderum certum diſcurſum fortuiti impetus eſſe, & quæ caſus incitat, ſæpè turbari, & citò arietare: hanc inoffenſam velocitatem procedere æternæ legis imperio: non eſſe materiæ errantis hunc ordinem: neque quæ temerè coierunt, tantâ arte pendere, vt terrarum grauiſſimum pondus ſedeat immotum, & circa ſe properantis cæli fugam ſpectet: vt infuſa vallibus maria molliant terras, nec vllum incrementum fluminum ſentiant: vt ex minimis ſeminibus naſcantur ingentia. Seneca de Prouidentiâ, c. 1.

Superuacuum eſt, inquam, hæc multis rationibus ſtabilire. Si enim, ait Epictetus, ciuitas aut domus ne momento quidem ſubſiſtere ſine gubernatore poteſt, quomodo hic tantâ amplitudine præditus mundus temerè ac fortuitò, nulloque ordine poterit adminiſtrari? Quis verò tam vecors eſt, ait Cicero, qui cùm ſuſpexerit in cælum, deos eſſe non ſentiat, & eâ quæ tantâ mente fiunt, vt vix quiſquam arte vllâ ordinem rerum atque viciſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet? Naturæ enim, naturæ vox iſta eſt, & quocumque oculos animumque conuertas, mortalia, immortalia, ſublimia ac terrena, animata & inanima clamant clarè & loquuntur, quiddam ſuper nos eſſe, quod hoc vniuerſum dirigat & conſeruet. Id autem eſt Deus: cuius ſummæ perfectiſſimæque naturæ nihil magis conuenit, quàm vt curam tutelamque operis ſui gerere & velit & poſſit. Nec diſtringit eum aut diſtinet magnitudo hæc rerum, aut varietas. Spargit enim æterna illa lux quoquouerſum radios ſuos, vnoque iactu ſinus omnes & abyſſos penetrat. Quid miramur? Sol ille, quantam mun- *Mundus prouidentiâ gubernatur.* Epictetus Arian. li. 2. Diſſertat. c. 14. Cicero de Aruſpicum reſponſ. Lipſ. lib. 1. de Conſtant. c. 13. *Deo mundi curam gerere non eſt difficile.*

mundi partem simul lustrat & illustrat? Quin & mens nostra quantam rerum congeriem vnâ cogitatione complectitur? &, ô fatui! non censemus plura inspici & concipi ab eo posse, qui hunc ipsum Solem, & hanc ipsam mentem creauit? Itaque sic Deus intendit singulis, ait D.Gregorius, ac si vacet à cunctis: & sic omnibus simul intendit, ac si vacet à singulis. At obgannit Plinius, & dum nimiùm sibi sapit, stuporem simul ac impietatem suam prodit. Irridendum vero est, inquit, agere curam rerum humanarum istud, quidquid est summum. Anne tam tristi tamque multiplici ministerio non pollui credamus? Ineptè! Quis vmquam animam in corpore pollui existimauit, dum omnes eius partes penetrat? aut Solem, dum hoc vniuersum illustrat? De multitudine verò quid formidas? an vt infinita illa vis intelligendi atque agendi tot rebus par esse possit? Finge animo, tot esse mentes, tot capita, tot ingenia, quot in mari guttæ, quot in littore arenæ, quot in aëre atomi, quot in arboribus frondes, quot in orbe demum res ac reculæ: satísne cautum videbitur, ne quid rerum aut negotiorum infinitæ illi menti elabatur? Caue itaque *ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam* (præbendo eius petulantiæ peccandi illecebram, spem impunitatis) *neque dicas coram Angelo* (qui pro diuinâ Maiestate certans, ac velut zelotypus, actiones tuas obseruat) *Non est prouidentia.* Clamabit enim aduersum te cælum tot stellis inoculatum, & astrorum certâ lege directi errores: clamabit terra multiplici variegata germine; clamabit Oceanus, & in eo certis horarum spatiis reciproci fluctus. Orbis denique terrarum vniuersus impium hoc dictum continuo clamore confutabit, id est ipsâ rerum euidentiâ.

Gregorius lib.22.Moral.c.19.

Plin.lib.2. cap.7.

Res omnes creatæ Dei prouidentiæ sequuntur.

Ma-

Maneat igitur, rebus hisce, quas cernimus, interesse ac præesse moderatorem omnium Deum. Sed & illud indubitatum est, hominum potissimam ipsi curam esse. Quamuis enim nonnumquam rebus mortalium indormire videatur, interest tamen animis nostris, & cogitationibus mediis interuenit. Mihi pro vero constat, ait Salustius, omnium mortalium vitam diuino Numine inuisi, neque bonum neque malum facinus cuiusquam pro nihilo haberi, sed ex naturâ diuersa præmia bonos malosque sequi.

Deus hominum potissimam curam gerit.

Salustius ad Cæs.

At rursus hîc malorum impatiens humana mens diuinæ prouidentiæ legibus obstrepit, & quæ non capit, criminatur. Si Deo res nostræ sunt cordi, cur tot malis bonos adfligit? cur etiam tot scelera ac flagitia patitur? Respondeo primùm cum Saluiano, Quam ob causam Deus in hoc mundo mala fieri permittat, nolo à me requiras. homo sum, non intelligo: secreta Dei inuestigare non valeo, & ideò etiam tentare formido; quia & hoc ipsum genus sacrilegæ temeritatis est, plus scire velle quàm permittaris. Quis enim diuina consilia scrutabitur? quis tanget cælestes illos ignes, & non liquescet? Deinde, cùm ne sceleratissimi quidem ipso scelere, quà scelus est, pascantur, sed aut in rapinis lucrum spectent, aut honorem in vindictâ, aut in libidine voluptatem, aut vmbram saltem cuiuscumque boni in ceteris flagitiis; an Deum, qui fons & origo bonitatis est, peccata permittere, aut mala bonis infligere, quia mala sunt, & malorum causæ, censebimus? Quid si etiam, ait Arnobius, quæ nobis aduersa videntur, ipsi mundo non sunt mala, nostrisque commodis omnia metientes criminamur euenta naturæ? Pluit mundus, aut non pluit? sibimet pluit aut non pluit: &, quod

Cur Deus mala in hoc mundo permittat.

Saluianus cõtra Gentes.

Arnobius lib. 1. ad Gentes.

fortè nescias, aut vliginem nimiam siccitatis ardore decoquit, aut longissimi temporis ariditatem pluuiarum effusione temperat. Pestilentias, morbos, aliasque suggerit malorum exitiabiles formas? vnde tibi est scire, an non quod exuberat, sic tollat, vt per sua dispendia modum rebus luxuriantibus figat?

Diuinæ prouidentiæ exempla.

Si autem ne hæc quidem, quæ ad euertendam prouidentiam disputantur, insigni carent documento prouidentiæ, quàm efficaciter animos nostros illa percellent, quæ in hac cæcâ rerum humanarum caligine diuinæ prouidentiæ specimen luce meridianâ clariùs ostendunt? Non immorabor coaceruandis vndique exemplis, quæ plurima suggerit omnium sæculorum memoria: vnicam perstringam populi Israëlitici politiam. Terruit in primis Deus eius auum Abrahamum, ostenso Sodomitarum excidio, cùm sulphureo nimbo cælitus effuso, ita Pentapolitanos obruit, vt ex illo terrestri paradiso nihil præter ingentem alueum excipiendo mari mortuo, septuaginta duobus milliaribus in longum protenso, superfuerit: insigni sanè documento, quid flagitiosis hominibus horrendo illo extremi iudicij die sit expectandum. Idem ille populus, cùm Iosephi imperio, seu mauis fauore, in Ægyptum introductus, & portentoso Pharaonis exitio per Moysen eductus fuit, nónne meritò potuit exclamare: Deus! ecce Deus! Deinde eductis ex Ægypto facilè vicies centenis millibus capitum, quàm illustris prouidentiæ fuit, tantam in vastâ eremo multitudinem, delapso ex aëre mannâ, sustentare? Cuius autem seueritatis fuit, cùm, exploratâ regione promissâ, tantum Dei munus contempsissent, supra sexcenta tria millia hominum & quingentos (totidem enim viri vigesimum ætatis annum

num superabant) vnicâ sententiâ, excepto Iosue, & Caleb, morte damnari? Quid nunc attinet cetera commemorare? tot millium vestes calceosque quadraginta annis non esse attritos, aquam ex aridâ silice excussam, legem in medio caliginis fulminumque traditam, caliginosæ igneæque nubis ducatum, tabernaculum assiduè nebulâ circumdatum, coturnicum aucupium, & quæ inde effossa sunt sepulchra concupiscentiæ, horrendum Core ceterorumque seditiosorum supplicium, aliaque sexcenta, quæ præsentissimum Dei Numen testantur?

Etiam bruta sentiunt Dei prouidentiam.

Sed stultus sum, qui ad adstruendam hominibus Dei prouidentiam rationes congero, quam & bruta animantia, immanesque beluæ, & ipsæ quoque res inanimes singulari quodam sensu cultuque veneratæ sunt. Nónne in generali mundi cataclysmo omne animantium genus diuino imperio ad arcam Noëmi confluxit, & per arcæ cellulas se distribui permisit, vt à communi interitu posset vindicari? Nónne asina Balaami obsistentem sibi in viâ Dei nuntium venerata est? Et quoties in illâ sanguinolentâ Romani amphitheatri areâ tygrides, vrsi, leones, Christianorum martyrum innocentiam quâ potuerunt veneratione testati sunt? Quid dicam coruos in alendo Magno Eliâ, Magnoque anachoretâ Paulo, diuinæ prouidentiæ ministros exstitisse? Quid leones eidem Paulo sepulchrum fodisse, & in lacu Danielis sanctitatem fuisse veneratos? quid eximios honores à brutis animantibus sacrosanctæ Eucharistiæ exhibitos? Nónne ouiculam D. Francisci toto consecrationis tempore in genua procumbere solitam accepimus? Nónne equam, orante Antonio Patauino, eamdem neglecto pabulo flexis genibus adorasse?

Bonauent. in Vitâ.

Bozius Tomo 2. li. 14.

Eidem cereum etiam facellum & aram ab apibus elaborata, auctor est Petrus Cluniacensis. Denique Episcopos Donatistas ob profanatam indigneque habitam Eucharistiam à propriis canibus esse deuoratos, auctorem habeo grauissimum Optatum Mileuitanum. Ex quibus perspicuum est, bruta animantia partim præsens Dei Numen eiusdem nutu agnouisse, partim etiam diuino quodam impulsu eius prouidentiæ obsequium præbuisse.

Pet. Cluniac. lib. 1. Mirac. c. 1.

Optatus Mileuitan. li. 2. contra Donatist.

Res inanimes Dei prouidentiæ obsequuntur.

Et ne cui hæc incredibilia videantur, accipite quæ plus habent admirationis, quo pacto scilicet res vitæ sensusque expertes diuinæ prouidentiæ sint obsecutæ. Nónne stella Christo nato legatione ad Magos ac itineris directione perfuncta est? Nónne eodem denato lugubres Sol induit tenebras, rupesque diffissæ quodam quasi sympathiæ sensu auctorem naturæ sunt prosecutæ? Percurramus elementa singula. Nónne terra vasto hiatu diducta est, vt diuinæ Maiestatis iniuriam in Core ceterisque seditiosis vlciscereturr? Nónne liquidum illud aquæ elementum, naturæ suæ oblitum, instar solidi marmoris ambulanti Deo principique Apostolorum Petro terga substrauit? Nónne aër ventorum fluctus Christi imperantis nutu compescuit? Nónne ignis efficaciæ suæ oblitus est in fornace Babylonicâ?

Si ergo & bruta animantia, & res animæ vitæque expertes, præsentis vim Numinis, diuinæque prouidentiæ decreta persentiscunt; cuius oris aut frontis illud monstrum hominis esse censebimus, quod reclamante rerum naturâ dicere audeat, *Non est prouidentia?* Quibus non diris atque intemperiis castiganda illa mens, quæ tantum amentiæ conceperit? Quibus non cruciatibus illa lingua excarnificanda, quæ tantam blas-

Deus grauiter punit negantes prouidentiam.

blasphemiam euomuerit? Tantum abest vt vllum huius vitæ supplicium par esse possit, vt ne suppliciorum quidem suffectura sit æternitas. Subinde tamen aliquod vindictæ diuinæ specimen in blasphemos illos læsæ maiestatis reos in hac vitâ diuinitus edi videmus: & ita fermè, vt eorum opera diuina iustitia subuertat, & conatus irritos reddat: vt qui satis sibi in seipsis præsidij repositum esse existimantes, diuinam prouidentiam è mundo sustulerunt, vanas ipsi ac fallaces prouidentias suas esse deprehendant. *Ne dicas coram Angelo*, ait Ecclesiastes, *Non est prouidentia. Ne fortè iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Quid enim aliud Pharaoni fuit exitio, totamque eius tyrannicam gubernationem subuertit, quàm quòd præsens Dei Numen suis adesse non credidit? *Quis est Dominus*, inquit, *vt audiam illum? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Exod. 5, 2. Quantas res animo designarat impius Nicanor Demetrij Regis archistrategus? qui cùm violato Sabbato arma sumi iussisset, addito etiam hoc superbo contemptu: *Estne potens quispiam in cælo, qui imperauit agi diem sabbatorum? Et ego*, addit, *potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia Regis impleri.* 2. Machab. 15, 3. sed mox superbus ille, exercitu à paucis profligato, ac triginta quinque millibus armatorum amissis, grauissimas pœnas luit, linguaque eius blasphema auibus particulatim obiecta est, manusque quam contra templum extenderat, è templi regione suspensa. Quantum etiam imperium Regi Assyriorum moliebatur Holofernes, & quantis successibus elatus, extrema Dei populo minabatur? tota tamen illa machinatio in fumum abiit, cùm Dei prouidentiam pro salute atque incolumitate populi sui excubare pernegauit. Infinitus Iudith 2.

sim si reliqua diuinæ vindictæ in blasphemos illos documenta percensuero: quare dimissis istiusmodi hominum portentis, ad fontem potiùs ac scaturiginem tanti mali inuestigandam cum Ecclesiaste pergamus.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 6. Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, [a] & sermones innumeri: tu verò Deum time.

[a] *Alij, & in verbis multis:*

METRICA PARAPHRASIS.

O! QVAE *somnia fingimus!*
Quos fetus cerebri Numina dicimus,
Dum mens sensibus obsequens
Et numquam saturâ victa cupidine,
Culpis assimilat deos?
Quos vis sæua iuuat, vulneraque & neces,
Iræque, & scelerum faces,
Et stagnis natitans sanguineis furor.
Mauortem ad superos vehunt,
Bellonæque litant thuricremis focis.
Queis tædis Paphius iecur
Inconcessa vorat flamma libidinis,
Bruti fulminis arbitrum
Post imbrem Danaës, sumptaque cornua,
Post & furta Caystria,
Subsessosque thoros Amphitryonios,
Diuorum indigetant patrem,
Stellantisque domus imperio euehunt.

Quo-

Quorum faucibus insidet
Auri dira sitis, fetaque fraudibus;
Quos commercia detinent,
His Maiâ genitus Numen amabile.
Sic queis post Nemesis flagra
Contemptamque facem Tisiphones, scelus
Arcem pectoris occupat,
Inter peruigiles lampadas ætheris,
Cælique excubias, Deum
Aut somnos residem carpere somniant,
Aut fulgentibus atriis
Æternos thyasos ducere siderum,
Securum quibus orbitis
Euersam Phaëthon præcipitet diem:
Quid sors peccet adultera,
Coniurata fidem fallere prosperis:
Quot fluctus agitent pios,
Dum contrà zephyris velificat suis
Successu impietas tumens.
Heu, quàm vana animis stultitia insidet,
Insanum Iapeti genus!
Dum secreta sinu Numinis abdita
Exploras acie ingeni.
Sed nec dissimili est subdita calculo
Inconsulta loquacitas,
Quæ Numen stolidâ pingit imagine
Quidnis euomere impotens.
Ah! ne te similis corripiat furor,
Cælo quisquis amicior,
Circumcide animum sollicito metu, &
Linguam stringe volubilem,
Cùm menti Altitonans obiicitur, cui

Sub-

Submittunt famulas manus
Stellantesque chori, raucaque fulmina:
Qui terram imperio premit,
Nutuque vndisonum Nerea temperat,
Mundique abdita permeans
Obtutus radio transadigit fibras.
Hic si nubigenâ face
Linguæ præcipitis dicta piauerit,
Numquam præproperæ necis
Deuotum laqueis expedies caput.

PROSA EXEGESIS.

CONCLVDENS hoc versu Ecclesiastes communicationem & quasi commercium hominum cum Deo, vanitatis eos, id est dementiæ condemnat, qui inconsultâ temeritate, secùs atque oportet, de Deo sentiunt ac loquuntur: & portentosas illas stultasque de Deo deque eius prouidentiâ opiniones somniis comparat: de quibus ad pleniorem huius loci tractationem pauca dicenda sunt.

Cic. lib. 2. de Diuinat. *Somniorum considerati-o.*

Variæ sunt apud antiquos de iis sententiæ. Protagoras omnia somnia vera esse putabat, quia hominem finem esse dicebat & mensuram rerum omnium, ac proinde vnumquodque tale esse quale homini videretur, non sobrio tantùm, sed etiam vinolento. Digna certè hoc stulto sententia, vt qui paulò antè tam frigidè de Deo pronuntiabat, Essétne, an non esset, sibi non liquere; nunc de somniis etiam vinolentorum constare sibi asserat vera esse omnia. Contrà Xenophanes Colophonius & Epicurus omnibus somniis fidem detrahebant: quia si vera essent somnia, veras haberent causas effectrices, naturam & Deum: atqui, inquiebant, natura

Bulingerus li. 5. de Diuinat. c. 1.

est

est amica ordinis & constantiæ, quæ nulla sunt in somniis: Deus autem potiùs futura aperiret vigilantibus & sapientibus, quàm sopitis & sterte[illegible]tibus.

Somnia nec omnia vera nec omnia falsa.

Sed media tenenda via est, vt nec omnia quæ per somnium repræsentantur, falsa esse contendamus, nec omnia tamquam vera & certa adstruamus. Nam, vt ait Isidorus Pelusiota, quæ in quiete nobis obuersantur, reliquiæ sunt eorum quæ per diem agitamus, & partus inutiles ignauæ consuetudinis. Et Tertullianus, Anima, inquit, iacente corpore, ac blandâ vi soporis immobili, tamen interim somniat, nec quiescit, nec ignaue scit omnino, nec naturam animæ immortalis sopori seruam addicit. Probat se mobilem semper, terrâ mariqúe peregrinatur, negotiatur, agitat, laborat. Itaque cùm non omnino sopiatur anima, multa vera, & rebus in vigiliâ gestis consentanea concipit; & cùm sensuum organis maiori ex parte destituatur, plura procul dubio falsa, nec inter se cohærentia, instar Horatianæ illius chimæræ comminiscitur,

Isidor. Pelusiota li. 1. Epist. 9.

Tertullian. de Animâ c. 43.

——— *vt nec pes nec caput vni*
Reddatur formæ.

Horat. in Arte Poëticâ.

Ethnicorũ & Politicorum de Deo opiniones meræ somnia.

Ita se res habet in illâ portentosâ de Deo, deque diuinâ prouidentiâ, opinionum colluuione, quam partim Ethnici, partim Athei Politicique in orbem inuexerunt. In quâ tametsi aliquid subinde veritatis emicat, pleraque tamen absurda sunt & absona, à naturæ principiis aliena, & à communi sæculorum omnium consensu abhorrentia, ac proinde meritò ab Ecclesiaste vanitatis damnata. *Vani enim sunt omnes homines*, inquit Sapiens, *in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut*

Sap. 13, 1.

ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimium aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum deos putauerunt. Aut ſi Græcorum nominibus vtendum eſt, in igne Vulcanum conſecrarunt, eumque (quòd ignis hic in terram lapſus puritatem ſuam amiſerit, & imbecillior ſit, materiæque fomento indigeat) claudum finxerunt. In aëre Iouem venerati ſunt: pro ſtellarum gyro ſigna Zodiaci coluerunt, variâ effigie delineata (ſiue Pythagoras harum figurarum auctor fuerit, ſiue Oenopides Chius, ſiue Anaximander) in aquâ nimiâ aut Neptuno aut Amphitritæ diuinos honores habuerunt: in Sole Phœbum, in Lunâ Dianam templis ariſque ac victimis coluerunt. Sed minor fortaſſis horum eſt reprehenſio, ait Sapiens, qui magnum quiddam atque eximium de Deo concipientes, quidquid in orbe aut ſplendore magnificum, aut magnitudine excellens, aut efficientiâ ſingulare deprehendebant, hoc inprimis Deo dignum atque adeò Deum ipſum eſſe arbitrabantur. Sed longè minùs culpâ vacat eorum dementia, qui & bouem Iſidem, & ſerpentem Æſculapium, & canem Anubim, & capram Amalthæam, & vrſam Caliſto diuinitate conſecrarunt.

Vide Lorinum in Sapient.

Sap. 13,6.

At, inquiunt quidam, hæc Mythologiæ, ſiue fabuloſæ Poëtarum Theologiæ adſcribenda ſunt. Quid ergo? an à Rerumpublicarum moderatoribus maior introducta eſt Religionis maieſtas? Quid ab his nugis næniiſque diſtat Theologia ciuilis? Plúſne maieſtatis habet dea ruris Ruſina, & præſes montium Iugatinus, & collium Collatina, & vallium Vallonia? Deinde, quorſum in ſolis ſegetibus tot numina? Quorſum ſegeti germinanti Proſerpina, geniculis nodiſque culmorum Nodotus, inuolucris folliculorum dea Volutina, iiſdem-

Auguſtinus lib. 4. de Ciuit. c. 8.

demque vt spica exeat pateſcentibus Patelena, florentibus Flora, lacteſcentibus Lacturcia, matureſcentibus Matuta, denique cùm runcantur, id eſt à terrâ auferuntur, Runcina præficitur?

Sed hæc ruſticæ ſimplicitati condonentur: maiórne inter ciues deorum dearumque delectus? apud quos & Stercutius, & Cloacina, & Volupia, & Cunina, & Eduſa, & Potina, & quorum præclara munia pudor vetat eloqui, dea Virginenſis, & Subigus, & Prema, & Priapus? Eant nunc, ait D. Auguſtinus, & ciuilem Theologiam à Theologiâ fabulosâ, vrbes à theatris, templa à ſcenis, ſacra Pontificum à carminibus Poëtarum, velut res honeſtas à turpibus, ſerias à ludicris quâ poſſunt ſubtilitate diſcernant: flagitiorum fortaſſe minus inuenient, nugarum certè tantumdem, imò & nequiſſimæ turpitudinis. Auguſtinus libro 6. de Ciuit. Dei, c. 9.

At inquies, ſunt inter Ethnicos & Politicos nonnulli, qui repudiatis fabulis, ſupremum aliquod Numen agnoſcunt. Eſto ſanè: ſed quàm indignis opinionum ſomniis eius maieſtatem contaminant? in quantâ caligine ceſpitant? in quantâ cæcitate palpitant? Audite Plinium, ſi tamen vllum agnouit Numen. Irridendum eſt, inquit, agere curam rerum humanarum illud quidquid eſt ſummum. Anne tam triſti tamque multiplici miniſterio non pollui credamus? Quid M. Tullius? nónne vt liberum homini vindicaret arbitrium, in Deo rerum contingentium præſcientiam infitiatus eſt? Nónne ſummus ille Philoſophorum apex Ariſtoteles abſurdum eſſe contendit, primam mentem de rebus quibuſdam cogitare: & melius eſſe quædam non videre, quàm videre. Nónne phœnix ille Ethnicæ virtutis ac ſapientiæ Seneca negauit à Deo Plin. lib. 2. c. 7. Cic. lib. 2. de Diuinat. Ariſt. li. 12. Metaphyſ. c. 9.

postuma iustis præmia, improbis supplicia decerni? Quisquis hæc tam delira somnia perpenderit, nónne merito censebit Ecclesiasten pronuntiasse, *Vbi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates?*

Variæ falsorum Deorum & errorũ causæ.

Sed vnde, quæso, tam parum cohærentia, tamque portentosa de Deo somnia. Non aliâ ex causâ, quàm vel ex supinâ quadam ignorantiâ, salutisque neglectu, vel certè ex affectuum perturbatione. Quemadmodum enim in aquâ, quæ fluctibus agitatur, peruersæ distortæque apparent species, & post cibum concitatis in corpore humoribus ac vaporibus turbulenta existunt somnia; sic illæ portentosæ de Deo eiusque prouidentiâ opiniones ex affectuum fermè perturbatione nascuntur.

Affectus inordinatus.

Primùm itaque nonnulli nimio seu dolore seu amore idololatriam in orbem inuectam arbitrantur, dum pater filij, aut filius parentis defuncti effigiem floribus primùm, deinde thure, tum cæsis etiam victimis, ad solatium ac mœroris leuamen veneratus est, siue Belus aut Ninus ille fuit apud Babylonios, siue Sarug aut Thare apud Cappadoces, siue Cecrops aut Prometheus apud Athenienses.

Vide Lorinum in Sapient. c. 14.

Adulatio aut admiratio.

Alteram errorum causam inuexit adulatio, aut in iis quibus maior animi erat candor, inusitatæ alicuius potentiæ, beneficentiæ, aut alterius virtutis admiratio. Sic Pergameni Diuum Augustum, superato Sexto Pompeio, templis arisque consecratis in deorum suorum numerum cooptarunt. Nec minor Hispanorum vanitas fuit erga Tiberium, Anicij erga Neronem.

Lactantius lib. 1. c. 15. Tacitus Annal. 4.

Idem li. 4. & lib. 15.

Beneficiorũ memoria.

De beneficentiâ verò sic M. Tullius: Suscepit hoc vita hominum, consuetudoque communis, vt beneficiis excellentes viros in cælum famâ ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor & Pollux, hinc Æsculapius, hinc

Cic. lib. 2. de Naturâ deor.

hinc Liber etiam diuinitate donati sunt. Non minùs impiè quàm impudenter tractat hoc argumentum Plinius, cùm ait: Deus est mortali, iuuare mortalem: hæc ad æternam gloriam patet via: hac nunc cælesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis æui rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subueniens. Hic mos est vetustissimus referendi benè meritis gratiam, vt tales Numinibus adscribantur. Plin. lib. 2. cap. 7.

Sed multò turpiùs circa æternum illud Numen eiusque prouidentiam hallucinati sunt, quos propria vitia in fraudem erroresque fœdissimos impulerunt. Accipite quantum dementiæ pariat alumna diuitiarum superbia. *Diuitias*, inquit Sapiens, *ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria: ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus?* Nec impietate cedit altera diuitiarum alumna ventris ingluuies, de quâ Propheta Regius, *Prodiit*, inquit, *quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terrâ. Et dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* Quid ita verò? Quia non alium Deum, quàm ventrem agnoscunt, neque aliam prouidentiam quàm culinariam. *Quorum finis interitus*, ait Apostolus, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* Et Tertullianus: Quibus deus venter est, & pulmo templum, aqualiculus altare, Sacerdos coquus. Quorum tota charitas in cacabis feruet, tota fides in culinâ calet, tota spes in ferculis iacet. Sed illa inprimis abominanda sunt, insomnia dicam an intemperiæ, cùm, vt ait D. Hilarius, aduersus publici pudoris necessitatem voluntatis iniquitate luctante, quod pudet dici, non pudet cogitare: & ne publici assensus iudicio stultitiæ arguatur, si verbis animi sui sensa de-

Affectus erga peccata.

Prou. 30, 8.

Psal. 72, 7.

Philipp. 3, 19.

Tertullian. contra Psychicos.

Hilar. in Psal. 52.

Psal. 52. prompserit, *dicit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Quæ verò tantæ impietatis causâ? Non alia certè, secundùm Ibidem. Hilarium, quàm quæ à Prophetâ subiungitur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Vix enim contingit in tantam impietatis abyssum quemquam præcipitem ferri, nisi priùs omnibus promiscuè flagitiis animam prostituerit: neque tanta cæcitas in hominem cadit, imò ne à Deo quidem infligitur vt extremum supplicium, nisi priùs instar abominandi cuiusdam cadaueris in peccatis computruerit. Verissimè Prosper ad capitula 11. Gallorum. enim pronuntiat D. Prosper: Cùm aliquos à Deo aut traditos desideriis suis, aut obduratos legimus, aut excæcatos, magis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorum crimina præcesserunt, quæ eis etiam supplicium verterent in reatum. Sed quæret aliquis, Quod tantæ pesti par esse poterit antidotum? aut quænam animis tam desperatis ac depositis adhiberi poterit medicina? Non multa congeram alexi- *Timor Dei hac somnia dissipat.* pharmaca. Breuissimum hunc aphorismum præscribit Ecclesiastes: *Tu verò Deum time.* Si quis enim infinitam Dei potentiam, eiusque velut specimen quoddam, hoc vniuersum (opus tanto artifice dignissimum) sibi proposuerit, facilè agnoscet, nec fas esse, nec omnino decere miseros homunciones ex argillâ de tantâ Maiestate, aut eius prouidentiâ, quâ hoc vniuersum gubernat, otiosè arbitrari. Deinde si quis expenderit, quàm seuerè, ne dicam crudeliter animaduertant Reges ac Principes in eos, qui læsæ Maiestatis conuicti sunt, nullo negotio iudicabit, quantæ temeritatis sit ac dementiæ, infinitam illam Maiestatem blasphemiis ac maledictis lacessere, prouidentiam criminari, Numen denique ipsum tamquam Solem è mundo tolle-

tollere. Quæ tormenta satis acerba sunt futura ad excarnificandum impudens illud os? Quæ fulmina satis efficacia ad abolendam hanc sacrilegam impietatem? Quæ demum æternitas satis longa ad iniuriam infinito Numini illatam suppliciorum diuturnitate compensandam? Memini ante annos non ita multos fuisse in Galliis celeberrimum Iurisconsultum, sed nullius fidei aut religionis, planeque atheum, apud quem cùm nulla Theologorum axiomata, nulla rationum momenta valuissent, vt supremum aliquod in orbe Numen esse fateretur; tandem hoc timoris remedio, & eximij cuiusdam Theologi ratiocinatione sanatus est, cùm diceret: Næ tu, qui Iure consultissimus haberis, in re summâ, à quâ pendet æternitas, parum prudenter tibi tuisque rationibus consulis, qui in Deum, à cuius supremo tribunali nulla dabitur appellatio, tam iniurius ac blasphemus es. Quin potiùs Deum piè ac submissè veneraris? Si enim nullum in orbe Numen fuerit (vt stultè tibi persuades) certè nihil tibi hæc pietas nocebit: sin autem (quod ratio doctis, euidentia barbaris, imò feris ipsis natura persuadet) Deus aliquis in hoc vniuerso principatum tenet, quis te tantæ Maiestatis reum ineuitabili eius potentiæ æterniſque cruciatibus subducet? Hæc ratio tanto terrore atque horrore miseri illius animum perculit, vt ab hoc Dei timore (seruili quidem, ac naturali potiùs quàm diuino) sanioris fidei vitæque sanctioris cursum sit auspicatus. Nos qui sanctioribus institutis ad omnem pietatem ac religionem sumus conformati, ne hoc quidem timoris alexipharmacum à nobis alienum existimemus. Impossibile est enim profanas illas atque impias opiniones eius animum occupare,

pare, quem diuinorum iudiciorum terror inuaserit. Sed iam tandem grauissimis hisce curis defuncti, ad minores vanitatum species Ecclesiasten sequamur.

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 7. Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouinciâ, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ rex imperat seruienti.

METRICA PARAPHRASIS.

QVID stupes, vulgum quoties superbis
Turba Magnatum pedibus iacentem
Proterit? Cur sic miser ingemiscis
(Ceu fatiscenti Deus orbe habenas
Abdicans alto iaceat sopore
Mersus) insani quoties Gradiui
Proterit miles Themidis bilancem?
Aut vbi Astreæ rutilante velo
Lumen obnubit, manibusque numos
Plutus infercit; meritisque dispar
Iustus iniustâ vice criminosi
Crimen exsoluit? Cohibe querelas:
Neu, precor, mentem subeat labantis
Machinæ sorti moderanda tradi
Fræna. Prorepet Nemesis flagelli

Laneos

Laneos passus grauitate pensans;
Quodque patratum est tabulâ minori,
Ostracon maius scelus expiabit.
Est tribunali grauius tribunal:
Fascibus fasces dominantur; vrnam
Vrna condemnat, tabulæ tabellas.
Quis furor noxis petulantis vrnæ, &
Pauperum luctu temerare leges?
O quibus dextras acuunt secures
Imperi, vel quos superùm Monarcha
Arbitros legit necis atque vitæ,
Stringite adductis furias habenis:
Quidquid à vobis minor expauescit,
Maior hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.
Sed fac humanum fileat tribunal;
Restat immensi moderator orbis,
Cuius excelsum diadema adorat
Quæ renascentem videt ora Phœbum,
Quæque reclinem gremio Amphitrites,
Quæque feruescit Libycis arenis,
Quæque sub plaustro glaciatur Vrsæ.
Hic per insignes gradiens, & imos,
Et minas Regum super, ac popellum
Stirpe turmali genitum, potentem
Dexteram extendens, dominosque fasces,
Si tribunalis vitio gementum
Aure libarit facili querelas;
Væ quibus nigri ac niuei potestas
Calculi, aut sceptri metuenda iura.
Magna Magnates quatiet procella:
Et potens fulmen feriet potentes

Cùm faces æther trifidas coruſcat,
Nubium exæquans laribus comarum
Verticem intonſum cineratur ilex,
At latent vallis gremio myricæ
Quaſſa Maſſyli fremitu leonis
Silua dum nutat, ſitiens cruoris
Tygridum rictus iugulo minatur;
Vnguium ludunt capreæ ſub ictu.
Sic Deus nutu quatiens Olympum,
Et pari pulſans inopum tabernas
Dexterâ, ac torui ſolium tyranni,
Pauperes noxæ eximios fouebit,
Vt ſolent pullos volucres ſub alis.
Maior in magnos ruet ira cæli, &
Fortiùs fortes cruciabit orcus.

PROSA EXEGESIS.

VNICVS hîc reſtat & obſtat ſcrupulus, quò minùs homo ſe totum Deo ſubmittat, & æternis eius prouidentiæ rationibus acquieſcat, quem alibi etiam eximere conati ſumus, manifeſta ſcilicet pauperum oppreſſio, iuriſque ac iuſtitiæ per vim & calumniam Deo diſſimulante ſubuerſio. Quis enim non animo percellatur, penituſque concidat, qui conſcio ac teſte Deo hæc per orbem axiomata inualeſcere, crebroque ſermone vſurpari cõſideret, In ſummâ felicitate id æquius eſſe quod eſt validius. Fortitudinẽ cuiuſque, legem eſſe iuſtitię; quod enim infirmũ eſt, inutile cenſeri. Item illa:

Politicorũ iniquæ axiomata.

Tacit. li. 15.

Sap. 2, 11.

Sen. Herc. furente.

Quod ciuibus tenere te inuitis ſcias,
Strictus tuetur enſis —— Itemque illud:

Ibidem.

——*Proſperum ac felix ſcelus*
Virtus vocatur. ——

Qui

Qui gladio prævalet, is optimè de finibus disputat. Quidquid valdè vtile est, id sit honestum, etiamsi antè non videretur. Denique illud Taciti: Sua retinere, priuatæ domus; de alienis certare, Regiæ laudis est. Plutarch. in Apophth. Cicero 3. Offic. Tacitus lib. 15. Annal.

Facta verò non minùs iniqua, magis etiam atrocia in iudiciis Deo inspectante perpetrantur. *Nónne diuites per potentiam opprimunt vos*, ait Apostolus Iacobus, *& ipsi trahunt vos ad iudicia*, id est, ad occulta latrocinia, in quibus legum pallio prætexta grassatur iniquitas? Neque de fortunis agitur hîc tantùm, sed etiam de vitâ & sanguine. Inhiabat olim Achab hereditati Naboth. Quis modus nefariæ cupiditatis explendæ? Infamis Iesabel iudicium instruit, iudices eligit qui Regiæ cupiditati seruiant, falsos testes subornat. Quid multa? Vir innocentissimus & vitâ simul & auitâ possessione deturbatur. Et huic quidem Regia cupiditas exitio fuit; alios verò calumniatores (genus hominum publico exitio repertum, nec vmquam satis coërcitum) subuerterunt. Sic olim sub Claudio Principe, suspicionum rumusculos vndiq; captante, cùm ex litigatoribus quidam in partē seducto inter salutandum affirmasset, vidisse se per quietem occidi eum à quodam, ac deinde, quasi percussorem agnosceret libellum tradentem, aduersarium suum demonstrasset, confestim is pro deprehenso ad pœnam raptus est. Pari modo oppressum, ait Suetonius Appium Silanum, quem cùm Messalina & Narcissus conspirassent perdere, diuisis partibus, alter ante lucem similis attonito patroni cubiculum irrupit, affirmans somniasse se vim ei ab Appio illatam; altera in admirationem formata, sibi quoque eamdem speciem aliquot iam noctibus obuersari retulit. Nec multò pòst ex composito irrumpere Appius nuntiatus, cui Iacobi 2. *Iniquæ iudicia per calumniã.* 3. Regum 21, 9. Tacitus. Sueton. in Claudio.

pridie, ad id temporis vt adesset, præceptum erat. Itaque miser inauditus, & quasi somnij fidem planè repræsentaret, damnatus accersi statim & mori iussus est. Nec dubitauit postero die Claudius ordinem rei gestæ perferre ad Senatum, ac liberto gratias agere, quòd pro salute suâ etiam dormiens excubaret. En miseros per calumniam oppressos.

Violenta iudicia.

Vultis etiam *violenta iudicia*? (nam hæc vtraque diuinæ prouidentiæ rationibus caliginem offundere, censet Ecclesiastes.) Infame est in hoc genere Cn. Pisonis iudicium: qui cùm duci iussisset militem, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi eum interfecisset, extra vallum ductus ceruicem gladio subiecit: cùm ecce subitò apparuit ille commilito qui occisus videbatur. Tunc Centurio supplicio præpositus gladium condi iubet, damnatumque ad Pisonem magno castrorum gaudio reducit. Conscendit tribunal furens Piso, & vtrumque duci iubet, & eum militem qui non occiderat, & eum qui non perierat. Quid hoc indignius? quia vnius innocentia in lucem prodierat, duo plectebantur innocentes. Nec satis. Piso adiecit & tertium. Nam & ipsum Centurionē qui damnatum reduxerat, duci iussit, & causas inuenit furor. Te, inquit, duci iubeo, quia damnatus es: te, quia causa damnationis commilitoni fuisti: te, quia iussus occidere, Imperatori non paruisti. Ita solers iniquitas tria crimina commenta est, quia nullum inuenerat.

Seneca lib. 1. de Irâ, c. 16.

Recentiora iniquorum iudiciorum exempla.

Quid ego huc antiqua Christianorum supplicia congeram, qui vel inauditi exquisitissimis tormentis excruciati sunt, vel hoc solo crimine damnati, quòd sacrilegi esse noluissent? Quid in Belgio nostro Hesselios Vischiosque commemorem, quorum veneranda canities

Haræus to. 3. Annal. Belg. anno 1578.

&

& promissa barba in loco supplicij detonsa, & per ludibrium affixa pileo, sanguinariam iudicum istorum indolem in propatulo constituit? Quid in Angliâ vicinâ Moros, Fischeros, Campianos? O quæ lumina tum Reipublicæ tum Religionis iniquitas illa iudiciorum exstinxit! Et illi quidem pro iustitiâ ac fide vitam prodegerunt: ceterùm in hanc vsque diem iniquitas illa iudiciorum iustitiam pessumdat, innocentiæ crudelitas insultat. O quàm tristis est hæc, iudiciorum dicam an tragœdiarum, recordatio piis omnibus, qui in Deo res omnes suas ac spem beatitatis collocarunt?

Inferiorum iudicũ sententia à superioribus reformantur.

Non vsque eò tamen pertingit hæc mundi caligo, rerumque perturbatio, vt lucem omnem ac solatium excludat. Tametsi enim omnia sursum deorsum agi videantur, nihilque pensi haberi quæ præmia aut supplicia iudiciis decernantur; tamen *non mireris super hoc negotio*, ait Sapiens, *quia excelso excelsior est alius: & super hos quoque eminentiores sunt alij: & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti.* quasi dicat: Non idcircò Deus huius vniuersi clauum deseruisse existimandus est, quia calumnia supplantat innocentiam, *Ius est in armis, opprimit leges timor*, iudicia potentiorum violentiæ succumbunt, aut eorumdem cupiditatibus suffragantur. Hoc enim adhuc restat solatij, vt siquid ab inferiori iudice peccatum est, in superiori aliquo tribunali aut innocentiæ patrocinium, aut pœna peccantium, aut iuris vindicatio concedatur. Sin autem ne hæc quidem obtineri subinde possunt, non deerit olim suis partibus supremus omnium iudex Deus, qui omnibus ex æquo velut seruis & obnoxiis imperat, & pro cuiusque meritis aut præmia aut supplicia decernit.

Seneca Herc. furente.

Neque verò tam malè agitur cum rebus humanis,

Iniqui iudices grauiter puniti.

vt numquam omnino calumniandi libido, aut iudicio-
rum iniquitas superioris alicuius Principis auctoritate
coërceatur. Quo in genere singulare est illud Camby-
Herodotus lib. 5. c. 25. sis apud Herodotum, qui Sisamni adulterati iudicij reo
pellem detraxit, eamque tribunali instrauit, vt filius,
quem in eodem tribunali patri iudicem subrogauerat,
paterno supplicio monitus, æquitatis esset ac iuris ob-
seruantior. Nec minùs seuerè nefariam iniqui iudicis
Lipsius Exempl. Polit. li. 2. c. 9. cupiditatem proauorum nostrorum memoriâ vltus est
Carolus Audax Burgundiæ Dux, ac Belgicæ nostræ
Princeps. Erat is iudex oppidi cuiusdam in Zelandiâ
Præfectus, ac Principi in paucis charus: qui cùm in amo-
rem feminæ cuiusdam elegantis formæ animique me-
lioris exarsisset, frustraque illam de nefario concubitu
frequenter interpellasset, tandem votorum desperatio-
ne ad facinus se conuertit. Maritum feminæ proditio-
nis insimulat: & quasi capitis reum carcere custodit,
vt hoc metu obnoxiam sibi reddat mulierem. Illa, vt
erat viri amantissima, modò ad carcerem, modò ad
Præfectum discursare, & ad infimas preces se submit-
tere. Præfectus contrà non maritum tantùm, sed & se
in eius esse potestate, si vel semel voti compotem faciat.
Illa hinc mariti impellente desiderio, inde pudore re-
uocante fluctuare, pallere, rubere, animoque magis
quàm corpore constare. Quod vt vidit Præfectus, vim
adhibendam ratus, in lectum impellit, & fructum frui-
tur, futurum mox vtrique peracerbum. Addit etiam
barbarum facinus, maritum falsis criminibus circum-
uentum in carcere plecti iubet, ligneæque cistæ cada-
uer imponi. Venit mulier vt ex pacto maritum reci-
piat: sed tantæ perfidiæ spectaculo perculsa, pænè
exanimis super mariti cadauer prosternitur; tandem-

que

que post lamenta animum atque iram colligens, de sententiâ amicorum ad Principem proficiscitur. Obstupuit ad tantum flagitium Princeps, Præfectoque euocato seriem accusationis exponit. Ille pallere, trepidare, tergiuersari, tandemque conuictus ad Principis genua se coniicere, optans illicitam libidinem matrimonio expiare. Tum Princeps quasi mitior factus quærit ex muliere, placeáne maritum hunc habere. Illa circumspicit amicos, illisque hortantibus tandem dat manum. Tum Princeps: Tu noue marite, hoc iam nunc largire, vt si prior sine liberis obieris, hæc heres omnium bonorum tuorum sit. Libens concedit, testes audiunt, tabellarius confirmat. His peractis, Carolus ad feminam, Dic sodes, animo tuo iam factum satis? Satis, inquit mulier. At nondum meo, ille subiicit. & ablegatâ muliere iubet Præfectum in illum ipsum carcerem duci in quo maritus occubuerat, & pariter cæsum in arcam ligneam siue capulum deponi: tum mulierem ignaram eò mittit, quæ inopinato iterùm casu consternata, duobus maritis eodem ferè tempore, eodem certè supplicio amissis, mox in morbum incidit, & fato obiit; hoc solum alteris nuptiis lucrata, vt liberos ex priore coniugio nouâ hereditate diuites relinqueret. O præclarum iustitiæ vindicem, planeque dignum, qui inferiorum iudicum acta recognosceret, ac iudiciorum integritatem familiaris sui sanguine sanciret!

Deus iniquos iudices tandem castigat.

At, inquies, quid si supremus ipse Princeps conculcatis legibus iudicia subuertat, & per vim, furorem, aut cupiditatem innocentes opprimat? Tunc illud saltem in hac rerum perturbatione restat perfugium, vt Deo supremo Iudici per lacrymas & suspiria causam com-

commendent, quæ non rarò prolixæ orationis & commendationis instar obtinent. *Nónne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxillâ enim ascendunt vsque ad cælum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* qui quantoperè violentiâ illâ & iniquitate iudiciorum offendatur, præsenti sæpè vindictâ etiam apud Ethnicos testatus est. Illud inter cetera non paucis obseruatum est, cùm Xerxes exercitum cogeret, & Pythius quidam quinque filiorum pater, vnius vacationem ab illo peteret, permisit eligere quem vellet: deinde quem elegerat in partes duas distractum ab vtroque viæ latere posuit, & hac victimâ lustrauit exercitum. Sed quantopere crudelitas hæc Deo displicuerit, exitus declarauit. Victus & longè lateque fusus, ac stratam vbique ruinam suam cernens, inter suorum cadauera reuersus est. O dignum tam nefariâ lustratione supplicium! Plura generis eiusdem in medium proferre possem, quibus Deus se rebus humanis inuigilare, ac iudiciorum trutinam ad examinis æquilibrium reducere profitetur: sed quia æternitatem spectanti exiguum est & leue præsentis temporis dispendium; ad postuma ferè supplicia & vltimum comitiorum ac rationum diem, quidquid hîc summi, medij, infimi iudices peccarunt, reseruat. Maneat igitur, Deum viuere, ac rebus humanis interesse, quidquid aut Ethnici aut Politici contra diuinam eius prouidentiam somnient. Nunc ad aliud vanitatis genus, idololatriæ maximè affine, cum Ecclesiaste descendamus.

Eccli. 35, 18.

Seneca l. 3. de Irâ, capite 17.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 9. Auarus non implebitur pecuniâ: [a] & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas.

[a] *Hebræa sic sonant: & qui amat copiam seu multitudinem, est sine fructu.*

10. Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?

METRICA PARAPHRASIS.

Si quidquid auri fulua Pactoli vada
Flauoque manans alueo voluit Tagus,
Dives capaci ventris exhaustum sinu
Venisque condat; non minor tamen sitis
Fauces auari cruciet. Vt bibat bibit
Malè sanus hydrops: nulla distentæ cuti
Sat plena amystis; nec tamen tacitam luem
Datur fateri, aut nosse quo pereat malo:
Sed vt Amphitrite nescia vndanti sinu
Fœnus receptat amnium, hinc Istrum bibens
Rapidumque Gangen, inde septeno impete
Nilum influentem, par tamen semper meat
Sibique similis; sic per ingestas opes
Numquam cupido statuit optatis modum.
Fortuna pleno copiæ cornu influat;
Mensura voti copiæ cornu hauriet,
Rictumque porrò ducet in fœnus nouum.
Quis inde fructus diuites nimiis beat
Egentiores opibus? Infelix amor

Fului metalli quotquot inhiantes capit,
Seruire herili cogit indecores iugo.
Non poßidet, ſed poſſidetur, ſordidum
Quicumque fuluo pectus immerſit luto.
Et eſſe in orbe vanius quidquam poteſt?
I nunc metalla, virginis terræ fibras,
Pretioſa damna congere, & gazas Midæ,
Siculaſque meſſes: adde quas cupidus opes
Prægnante ruris area verrit Lybis,
Aut quas profundo ſubmouet Tethys ſinu:
Operoſiores nempe diuitias vorant
Operæ frequentes. Multa famulorum manus,
Multa abligurit liminis tritor cliens:
Multa peregrini nauta ſulcator freti.
Nec minùs agreſtes vernulæ, & conſors tori,
Et liberorum, victimæ luxus, greges.
Quid ille verò, cuius immenſas opes
Arcæ flagellant, cuius illuſæ trabes
Laquearque certat facibus ardentis poli.
Numquam repleti ventris, & numquam ſatur
Inhiat futuris; vnicam vitæ æſtimans
Beatitatem, fertilis glebæ ſolum,
Gregeſque opimos cernere, & fœtâ horrea
Diſtenta meſſe, & orbe ab occiduo rates,
Aurique fuluâ luce geminatum diem.
O ſi hunc beatum vota Mæonij Ducis
Cumulent! vt auri, quidquid attigerit manus,
Ducat nitorem! Gaudeat tactu aureos
Surgere penates, auream meſſem, aureos
Ridere montes: donec impleto aureæ
Amœnitatis, at requirenti cibos
Rigeant metallo ſtructæ in opprobrium dapes,

Fuluamque vinctus coëat in glaciem latex.
Vt stulta damnans vota palinodus canat:
Salue supellex tuta pauperies mihi,
Alios dolosâ compede illaqueent opes.

PROSA EXEGESIS.

POST Atheorum & Politicorum deliramenta firmis rationibus explosa, proximam his vanitatem subiicit, auaritiæ (quam idolorum cultum vocat Apostolus) variisque eam documentis explicat. Ac inprimis inexplebilem eius voraginem in crimen vocat, cui nullus vmquam hiatus terræ par fuit, quamuis integras nonnumquam vrbes deglutiuerit: siquidem auari cupiditas ne regnis quidem ac prouinciis impletur. Nec Charybdis vmquam tam vorax fuit, crebris licet naufragiis infamis. Quid dico Charybdin? Oceanus profectò cum hoc barathro in contentionem voracitatis venire nullâ ratione potest. Tametsi enim tot amnium fluminumque accessionibus non intumescat, sed nouis semper aquarum lucris inhiet; seruat tamen, ait S. Basilius, præscriptos sibi ab origine terminos: at auarus nullum cupiditati suæ terminum præfigit, imò ne totius quidem orbis limitibus eam circumscribit; siquidem

Auaritia inexplebilis.

Basil. Homiliâ in Auaros.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis. Iuuenal. Sat. 10.

Inexplebilem hunc esse morbum, atque ænigmati similem, ait Isidorus Pelusiota. Nam in febribus quidem ardor aquis medicis temperatur, potu sitis extinguitur: acquirendi desiderium nullo vmquam diuitiarum incremento sistitur. Congeratur in te, inquit Seneca, quidquid multi locupletes possederunt; vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro

Isidor. Pelusiot. li. 3. Epist. 412.

Seneca Epist. 16.

tegat, purpurâ veſtiat, & eò deliciarum opumque perducat, vt terram marmoribus abſcondas; vt non tantùm habere tibi liceat, ſed etiam calcare diuitias: accedant ſtatuæ & picturæ, & quidquid ars vlla luxuriæ laborauit; maiora cupere ab his diſces.

Cur tam inſatiabilis auaritia. Seneca ibid.

Sed vnde hæc morum contagio? vnde hæc tam illimitata cupiditas? Rationem ſubiicit idem Seneca, quia ſcilicet non impulſu naturæ, ſed cæco opinionis errore ducimur. Si ad naturam viues, inquit Epicurus, numquam eris pauper; ſi ad opinionem, numquam diues. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum. Naturalia deſideria finita ſunt; ex falsâ opinione naſcentia vbi deſinant non habent. nullus enim terminus falſo eſt. Viâ eunti, aliquid extremum eſt, error immenſus eſt. Deinde quemadmodum nullus humor ſufficit ad ſatiandum eum cuius bibendi deſiderium non ex humoris defectu, ſed ex æſtu ardentium viſcerum oritur (non enim ſitis illa, ſed morbus eſt) ſic in omni deſiderio, quod non ex inopiâ, ſed ex vitio naſcitur, quidquid illi congeſſeris, non finis cupiditatis eſt, ſed gradus. Poterant M. Craſſo homini priuato bis millies HS. ſiue quinque auri milliones, opes ſatis amplæ videri: ſed ille, vt ſe pauperem probaret, dixit, neminem ſibi diuitem videri, niſi ſuis fructibus exercitum, id eſt ſex legiones, & magna equitum peditumque auxilia ſuſtentare poſſit. Meritò igitur inſatiabilis eius cupiditas, dum paulò pòſt Conſul Parthico inhiat auro, vndecim ſtrage legionum, & ipſius capite multata eſt. Nam caput eius reciſum, ad Regem reportatum, ludibrio fuit: dum aurum liquefactum in rictum oris eius infuſum eſt, vt cuius animus arſerat auri cupiditate, eius etiam mortuum & exſangue corpus auro veſceretur.

Plin. li. 33. c. 10.

Cic. Parad.

Florus li. 3. c. 11.

Quod

Quod huic auaro post mortem contigit, idem Midæ regi, dum viueret, accidisse fabulantur, vt nimirum auro pro dapibus in os ingesto, fame perierit. Cùm enim stultissimi sui voti compos esset effectus, Munus, inquit Fulgentius, in vltionem conuersum est, cœpitque sui voti effectu torqueri. Erat enim necessitas aurea, loculesque penuria. nam & cibus & potus auri materia (vtor eius verbo) marmorabat. Inde Mida, inquit, quasi μηδὲν ἰδὼν, nihil sciens. Auarus enim vsque adeò stultus est, vt ne sibi quidem ipsi prodesse norit. Fulgentius lib. 2. Mythol.

Rectè igitur subiecit Ecclesiastes: *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Quis enim potest esse diuitiarum fructus, si numquam inuenitur, quæ semper quęritur, satietas? Adde quòd is, qui inordinato affectu diuitias complectitur, pro iis semper timet: nemo autem sollicito bono fruitur. Adiicere illis aliquid studet: dumque de incremento cogitat, oblitus est vsûs: rationes accipit, forum conterit, kalendarium versat, fit ex domino procurator. Lucianus auarum perinde facere ait, ac si quis ingenuam liberorum procreandorum causâ ducat, nec ipse contingat florentem ætate decoramque virginem, nec alium sinat adspicere, sed inclusam, orbam, sterilemque in perpetuâ virginitate contineat, idque se nimio amore facere profiteatur, quem etiam exhausto corpore, oculis refugis, vultus pallore testetur. Mythologi auaros draconi illi comparant, qui dies noctesque peruigil aurea Hesperidum mala custodiebat, nullo suo fructu. Talis profectò fuit aulæ suæ custos Plautinus Euclio, cuius prodigiosas sordes ita Comicus exaggerat: *Auaro nullus diuitiarum fructus.* Seneca Epist. 4. Lucian. in Timone. Plautus in Aululariâ.

Pumex non æquè aridus est, atque hic senex:
Quia diuûm atque hominum clamat quotidie fidem,

Suam rem perüſſe, ſéque eradicarier,
De ſuo tigillo fumus ſi quà exit foras.
Quin cùm it dormitum, follem obſtringit ob gulam,
Nequid animæ fortè amittat dormiens.
Aquam Hercle plorat, cùm lauat, profundere,
Famem Hercle vtendam, ſi roges, numquam dabit.

Sed hæc ad plauſum potiùs quàm ex vero dicta ſunto. Illud certè apud Græcos à variis affirmatur, extitiſſe Critonem quemdam adeò ſordidum, vt ſtomacho laborans non pulegio, ſed olfactu denarij morbum leuare ſit conatus, ne fortè Medicis eum aut pharmacopolis dare cogeretur. Hermocratem etiam ferunt ex morbo decumbentem ſubduxiſſe rationes, quantum ſibi in morbum ac Medicos eſſet erogandum, ſi conualeſceret. cumque nimius illi ſumptus videretur,

Nunc mihi mors votum, dixit, & obriguit.

Quid autem illo dementius, cùm idem ille, ne quis alius ſaltem ex opibus ſuis fructum colligeret, ſeipſum teſtamento ſcripſit heredem. Sed omnium maximum auaritiæ prodigium extitiſſe ſcribitur Dinarchus Phidon, qui cùm ſibi laqueo vitam eſſet erepturus, quia ſex chalcos funis conſtare dicebatur, abſtinuit, & aliud vilius mortis genus quæſiuit; tandemque moriturus lacrymatus eſt, non quòd moreretur, ſed quòd minis quinque ſarcophagus emendus eſſet. O nimis ex vero pronuntiatum, *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex illis. Et hoc ergo vanitas.*

Anthologię lib. 2. *Varia auarorum ſordes.* Stobæus Serm. 10. Idem ibid.

Sed ſenſum nonnihil diuerſum reddit Hebræa lectio, quæ ſic habet: *Qui amat multitudinem*, ſeu *copiam, eſt ſine fructu.* vt non tam diuitiæ, quàm earum copia ſeu multitudo fructum omnem excludat: quemadmodum in ſegetibus non rarò videmus vbertatem nimiâ luxu-

Copia diuitiarum fructum excludit.

luxurie ſuffocari, aut quemadmodum olim Tarpeia Capitolij cuſtos, poſtquam auro patriam vendidiſſet, congeſtis in ſinum eius Sabinorum torquibus & armillis, nimio auri pondere exanimata eſt. Ita profectò ſe res habet in immodicis opibus. Quid enim iucundum eſſe poteſt ſub tantâ negotiorum mole fatiſcentibus? aut quis vitæ fructus inter tot curas, vigilias, metus, ſuſpiria, dolores? Plutarch. in Parallelis.

Aliam etiam cauſam aſſignat Eccleſiaſtes, quare diuitiarum copia minùs ad beatitatem conducat. *Vbi multæ ſunt opes*, inquit, *multi & qui comedunt eas*. Quantum ſeruorum & colonorum numerum olim exiſtimamus fuiſſe Romanis iſtis, qui ſub ſingulis villicis latiores habebant fines, quàm quos Conſules ſortiebantur? qui latifundiis maria cingebant? quorum villici vltra Hadrianum, & Ionium & Ægæum regnabant? qui inſulas, Ducum domicilia magnorum, inter viliſſima numerabant? Vnum è mediâ plebe producam C. Cæcilium Claudium Iſidorum, qui teſtamento ſuo edixit, quamuis multa bello ciuili perdidiſſet, relinquere ſe tamen ſeruorum quatuor millia centum & ſedecim, iuga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in numeratò HS. ſexcenties, id eſt decies quinies centena millia Philippicorum. Quid Beliſarius ille ſub Iuſtiniano magnus? nónne duodecim millia puerorum habuiſſe propria narratur? Quid quòd Athenæus affirmatè ſcribit, Romanorum quoſdam ad decem aut viginti millia ſeruorum habuiſſe, nec vt quæſtum facerent ex eis, ſed vt aſſeclas modò haberent? Quid tandem videtur? An non hæc velut locuſtarum quædam agmina, etiam Regiis opibus depaſcendis ſuffectura? Meritò igitur excla- *Multas opes multi deuorant.* Plin. li. 33. c. 10. Lipſ. lib. 2. de Magnitud. Rom. cap 15. Athenæus lib. 6.

Seneca lib. 7. de Benefic. c. 10. exclamat Seneca: O miseros! Si quos delectat sui patrimonij liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos, & immensi greges pecorum per Prouincias ac regna pascendi, & familia bellicosis nationibus maior, & ædificia priuata magnarum vrbium laxitatem vincentia. *Quid enim prodest possessori*, ait Ecclesiastes, *nisi quòd cernit diuitias oculis suis?* O quàm exigua tot curarum ac sollicitudinum merces, videre quotidiana cupiditatum irritamenta, & in eorum adspectu contabescere! Nónne extrema dementia est, ita diuitiarum splendore fascinari, vt iucundior sit auri quàm Solis adspectus? Quid enim pulchrum habet aut magnificum (si mutuatum ab arte splendorem detraxeris) lutea illa massa ab ipsis inferorum confiniis eruta? Certè multò tolerabilior est puerorum stultitia, qui splendidas è littore conchas, & lapillos pulchris coloribus variegatos in pretio habent. Vis scire, inquit Seneca, quàm falsus oculos tuos decipiat fulgor? Nihil est istis, quamdiu mersa & inuoluta cœno suo iacent, fœdius, nihil obscurius. quidni? quando per longissimorum cuniculorum tenebras extrahuntur, nihil illis dum fiunt, & à fæce suâ separantur, informius. Denique ipsos opifices intuere, per quorum manus sterile terræ genus & informe perpurgatur, videbis quantâ fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant animos, quàm corpora; & in possessore eorum, quàm in artifice, plus est sordium. Sed hoc fucato splendore prætermisso, videamus potiùs, quàm exiguum momentum in diuitiis positum sit ad veram quietem animique tranquillitatem.

Exiguus fructus videre diuitias.

Seneca Epist. 95.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 11. Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multùm comedat: saturitas autem divitis non sinit eum dormire.

METRICA PARAPHRASIS.

QVID vago terras domibus negatas
Mortales obeunt pede?
Aut per horrentes animi quietem
Rimantur tenebris specus?
Non latet furuis Peruës cauernis
Auro immersa beatitas.
Non procellosæ fugiente pennâ
Calpes littora transuolat:
Non Hydaspeus legitur fluentis,
Non Tartessiacis vadis:
Non colit circum laqueata curis
Auro illusa palatia:
Non maris cœnat vomitum, manuque
Structas artifici dapes.
Viuitur paruo melius, sub arcto
Presi culmine cespitis.
Dulcius limen tugurl salutat
Permulcens animum quies.
Non enim Plutus miseros tumultus
Celsis submouet atriis:
Nec dapes crudas Bromiúsve curas
Dulci nectare condiunt:

Nec fides mœstos citharæ loquacis
Dites carmine sopiunt.
O! quis exploret locupletis imo
Motus pectore concitos?
Mitiùs raucos Maleæ recurrens
Æstus vnda reciprocat.
Exstruat pictos Phrygio paratu
Et plumâ volucri toros;
Dives in plumâ vigil increpabit
Stratum cespite durius.
Adde suggestus operosiores
Gemmarum pretio graues:
Cura fortunæ spolio superbis
Stratis peruigil incubat.
Quid miser luxu licitare somnum,
Quem gratis tribuit Deus?
Rore lethæo meliùs coloni
Spargit tempora pauperis,
Quem refert tectis opere expeditum
Deuexa in senium dies.
Lecta non illi stomachum Lucrino
Tendunt ostrea gurgite:
Sed nec insulso vomitu saburram
Ventris nausea conciet.
Non bibit gemmâ laticem Lyæum:
Sed nec toxica combibit.
Fessus agresti sua membra strato, aut
Ripis explicat herbidis,
Qua leuis densis platani comantis
Eurus frondibus obstrepit,
Aut per obliquas Achelous vndas
Dulci murmure sibilat.

Siue

Siue latranti stomacho soporem
Crudo in cespite prouocet;
Somnus exsuccos liquido rigabit
Lethes flumine musculos.
Siue egestatis pauidas opima
Curas obruerit dape;
Sic magis firmo religata nexu
Morpheus tempora vinciet.
Si quies mentis faciliesque somni
Vitant atria diuitum;
Cur catenatos animi labores
Mercer mille laboribus?

PROSA EXEGESIS.

ITA profectò se res habet. Non animi quietem ac tranquillitatem adferunt diuitiæ, sed cruciatum ac dolorem: neque labores tollunt, sed duplicant: cùm non minoris curæ sit ac sollicitudinis, quæ iam parta sunt tueri, quàm in nouas semper lucri occasiones excubare. Amplius dico cum D. Prospero: Qui diuitias habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine curâ non seruant, sine anxiâ delectatione non possident, sine dolore non perdunt. O præclara igitur opum mortalium beatitudo, inquit Boëtius, quàm cum adeptus fueris, securus esse desiisti! Nam siue in turbâ forensi, vrbiumque frequentiâ versetur auarus; cupientium ac rapientium turba circa lutulentam prædam lites concitat: siue ab hominum consuetudine seductus, ruris alicuius suburbani, siluarumque solitudinem consectetur; secum ipse, & cum seditiosis auaritiæ cogitationibus luctatur. Neque potest ibi esse sola solitudo, vbi spes ac timor, auaritia & luxu-

Diuitiæ quietem auferunt animiq; tranquillitatem.

Prosper l. 2 de Vitâ cõtemplat. c. 13.

Boët. lib. 2. de Consol. phil. pros. 5.

luxuria, ceteræque inter se cupiditates tumultuantur. Nam quid prodest totius regionis silentium, ait Seneca, si affectus fremunt?

Seneca Epist. 56.

Omnia noctis erant placidâ compôsta quiete,

ait Varro. Sed falsum est; nulla placida quies est, nisi quam ratio composuit. Nox exhibet molestiam, non tollit, & sollicitudines mutat. Nam dormientium quoque insomnia tam turbulenta sunt, quàm dies. Illa tranquillitas vera est, in quam bona mens explicatur. Adspice illum, cui somnus laxæ domus silentio quæritur, cuius aures ne quis agitet sonus, omnis seruorum turba conticuit, & suspensum accedentium propiùs vestigium ponitur. Huc nempe versatur atque illuc, somnum inter ægritudines leuem captans: quæ non audit, audisse se queritur; & qui interdiu hominum perfidiam, noctu vmbras habet suspectas. Quid putas esse causæ? Hanc verissimam reddit Ecclesiastes: *Saturitas diuitis non sinit eum dormire.*

Quæ verba duplicem habent sensum: alterum planum ac simplicem, vt significet, diuitem comessationibus ac voluptatibus deditum, propter crapulam stomachique cruditates, difficiles pati somnos, ac turbulenta insomnia; alterum metaphoricum, quem nunc premimus, vt saturitas diuitis idem sit quod diuitiarum abundantia. Et fauet huic sensui lectio LXX. Interpretum, quæ sic habet: Qui saturatus est ditescendo, non est dimittens eum dormire. Quomodo enim, inquit Ambrosius, potest dormire, qui sollicitam auri exercet custodiam? qui damna formidat? qui lucra cogitat? qui vsuras computat? qui hypothecas numerat. Et cap. 6. de Nabuthe, Naturæ, inquit, ipsius nescit munia, nec somni nouit vices: excitat eum cupiditas, exagitat

Vide Pinedam hîc.

Diuitum curæ somnos turbãt.

Ambrosius in Psal. 1.

agitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, mora vexat, ſterilitas prouentuum infecunda perturbat, ſollicitat abundantia. Anacreon quinque talentis à Polycrate tyranno donatus, cùm inſolito motu curiſque grauioribus inde torqueretur, nec iam vllam quietis partem capere poſſet, ſubſultim inter dormiendum idemtidem expergefactus, nec ſolùm de pecuniâ, ſed etiam de vitâ vel à domeſticis eripiendâ ſollicitus; cœpit de priſtinâ animi tranquillitate recuperandâ cogitare. Itaque argentum omne, poſtquam binas cum eo noctes inſomnes duxiſſet, Polycrati reſtituit: addiditque, plus ab eo ſibi negotij tantillo tempore conflatum, quàm ab eodem in omni vitâ ſolatij ſperare poſſet. Idem ſenſus fuit Sigiſmundo Cæſari, qui acceptis ex Hungariâ quadraginta millibus nummûm aureorum, cùm noctem duceret inſomnem, cogitans in quos vſus pecuniam illam expenderet, mox euocatis primariis Aulæ ſuæ Principibus, En, inquit, hoſtes illos & carnifices (nummos oſtendens) qui variis tormentis omnem mihi ſomnum eripuerunt: vos eos arripite, & inter vos diuidite, vt mihi tranquillè dormire liceat. En quàm appoſitè dictum, *Saturitas diuitis non ſinit eum dormire.*

Stobæus Serm. 91.

Aen. Sylu. li. 4. Comment. in Alphonſ.

Alter horum verborum ſenſus eſt, Diuites illos, qui ſe voluptati tradiderunt, ſtomachumque ſemper crudum deliciis infarciunt, ac vino ingurgitant, tantum abeſſe vt hoc diuitiarum fructu gaudeant, vt potiùs velut in torturâ noctes ducant inſomnes: & ſi quis interdum ſomnus obrepſerit, nunc in rupium cacumen attolli videantur, nunc in præcipitium demergi, nunc cerebri vertigine ſic in gyrum agi, quemadmodum Ixionem circumuolui fabulæ prodiderunt.

Diuitum plenus venter ſomnum excludit.

Pauperum somnus facilis.

Felix igitur paupertas, quæ clientes suos diurnis exercet laboribus, vt velut benigna mater lassos nocturnâ quiete restauret. Nihil opus illi plumis, nullâ culcitrâ velut natiuo somni gymnasio : in crudo cespite cubile sternit vel ipso somno mollius : non torum requirit ad ambitionem compositum, purpureis aureisque vestibus instratum, lectisque argenteis aut eburneis sub aureis palatiorum laquearibus impositum : nouit hominem tam benè culmo quàm auro tegi ; neque tam fastuosum esse somnum, vt ad rusticorum mapalia se demittere recuset.

Horat. l. 3. Odâ 1.

——— Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, vmbrosamque ripam,
Non zephyris agitata Tempe.

Itaque diurnis operibus exercitati vernulæ quouis loco aptissimam somno culcitram inueniunt.

Labor somnum conciliat.

Chrysost. Hom. 2 ad pop. Antiochen.

Sed plus etiam innuunt Sapientis nostri verba, *Dulcis est somnus operanti, siue parum siue multum comedat.* In quibus præclarè notat D. Chrysostomus, tantam esse ad somnum captandum moderati laboris præstantiam, vt ei neque inedia neque crapula præualere possit. Duo sunt, inquit, quæ somnum impedire solent, inedia seu vacuitas, & crapula. Illa quidem corpus exsiccat, palpebrasque reddit corneas, neque conniuere permittit : hæc verò pectus opprimit, & anhelitum elidit, pluraque secum trahit incommoda. Sed tam præsens laboris est medicina, vt etiamsi alterutrum adfuerit, somnum facilè conciliet.

Voluptates pauperum faciles paratu, magusq; sincera.

Porrò idem Chrysostomus, dum hanc Ecclesiastæ sententiam pertractat, enucleatiùs præclara ex eadem elicit vitæ documenta. Primum, hoc illustri Dei prouiden-

uidentiâ factum, vt non tam auro rebuſque exquiſiti pretij, quàm labore ac patientiâ venales ſint honeſtæ voluptates quæ ex cibo ſomnoque percipiuntur. Deinde, magis defecatas eſſe pauperum quàm diuitum voluptates. Denique, firmam pauperum valetudinem, diuitum luxu multò eſſe præſtabiliorem. Et quid aliud omni æuo decantarunt, qui rectiſſimè inter Ethnicos philoſophati ſunt? Aſſerit inſuper Chryſoſtomus, voluptatem in conuiuiis non ferculorum naturâ, ſed conuiuantium diſpoſitione fieri, id eſt neceſſitate & fame. Et in ſiti quantum ſaporis Propheta Regius aquæ frigidæ fuiſſe teſtatur, dum ait: *De petra, melle ſaturauit eos?* Pſal.80,17. Contrà verò inſipidam comeſſantium nauſeam ſatis exprimit illa parœmia, *Anima ſaturata calcabit fauum.* Prou.27,7. Quid verò Seneca? nónne eodem planè modo philoſophatur? Corporis, inquit, exigua ſunt deſideria, alimentis famem ac ſitim cupit exſtingui. Quidquid extrà concupiſcitur, vitiis non vſibus laboratur. Non eſt neceſſe omne perſcrutari profundum, nec ſtrage animalium ventrem onerare, nec conchylia vltimi maris ab ignoto littore eruere. Dij illos deæque perdant, quorum luxuria tam inuidioſi imperij (Romani ſcilicet) fines tranſſcendit. Vltra Phaſim capi volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat: nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repetiimus, aues petere. Vomunt vt edant, edunt vt vomant: & epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Deinde, paucis interiectis, oſtendens ſolidiores eſſe pauperum voluptates, Quantò, inquit, feliciores fuerunt maiores noſtri, quorum virtus etiamnum vitia noſtra ſuſtentat, qui ſibi manu ſuâ parabant cibum, quibus terra cubile erat? Quantò beatiùs viuebat Dictator ille, qui Samni- Sen. Conſolat. ad Helu. c.9.

Samnitium Legatos audiuit, cùm viliſſimum cibum in foco ipſe manu ſuâ verſaret, illâ quâ lauream in Capitolini Iouis gremio repoſuerat?

Puriores verò ac ſinceriores pauperibus quàm diuitibus eſſe voluptates, vel inde colligitur, quòd ij, quibus indies conquiſitis per maria terraſque deliciis tam ambitiosè menſa inſtruitur, ſi quando mentem à curis ſeductam liberaliùs oblectant, ad agros ſuburbanos, ad figulina fercula, ad ruſticas delicias, domique natas, ſe transferunt.

Horat. l. 3. Od. 19.

Plerumque gratæ diuitibus vices,
Mundæque paruo ſub lare pauperum
Cœnæ, ſine aulæis & oſtro
Sollicitam explicuere frontem.

Sen. Conſolation. ad Helu. c. 12. Et quàm multa ſunt tempora, quibus locupletes pauperibus ſimiles fiunt, non tantùm neceſſitate, ſed etiam voluptate? Sumunt quoſdam dies, cùm iam illos diuitiarum tædium cœpit, quibus humi cœnent, & remoto auro argentoque, fictilibus vtantur. Dementes! hoc quod aliquando concupiſcunt, ſemper timent. O quanta illos caligo mentium, quanta ignorantia veritatis exercet, qui fugiunt quod voluptatis causâ imitantur! At ego te Lucili, inquit Seneca, non ad modicas cœnas duco, non ad pauperum cellas, & quidquid aliud eſt, per quod luxuria diuitiarum tædio ludit. Grabatus ille verus ſit, & panis durus ac ſordidus. Hoc triduo & quatriduo fer: interdum pluribus diebus: vt non luſus ſit, ſed experimentum. Tunc, mihi crede, exſultabis dupondio ſatur, & intelliges, ad ſaturitatem non opus eſſe fortunâ. Certos habebat dies ille magiſter voluptatis Epicurus, quibus malignè famem exſtingueret. Et in hoc tu victu ſaturitatem non putas eſſe?

Idem Epiſtolâ 18.

esse? etiam voluptas est. Voluptas autem non illa leuis & fugax, & subinde reficienda, sed stabilis & certa. Non enim iucunda res est aqua & polenta, aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem, & ad id se reduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit. Sed ad auaritiæ miserias, à quibus tantisper digressi sumus, reuertamur.

SECTIO OCTAVA.

ECCLESIASTES.

VERS. 12. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.

13. [a] Pereunt enim [b] in afflictione pessimâ: genera- [a] LXX. *habent*: Et peribunt [b] *Alij*, in negotio malo, *vel* negotiatione malâ
uit filium, qui in summâ egestate erit.

14. Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.

15. Miserabilis prorsus infirmitas: quo modo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quod laborauit in ventum?

16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumnâ atque tristitiâ.

METRICA PARAPHRASIS.

QVIS *tutus catulos leæ,*
Quis partus foueat vipereos sinu,
Quando & quæ peperit perit?
Ecquis tantum animis imperitat furor,

Vt tam certa pericula
Complexu teneant exitiabili?
Est qui diuitis Indiæ
Terrarumque alio Sole calentium
Congestis opibus miser
Ægris visceribus pectoris incubat,
Vt quondam Scythici draco
Luci peruigiles excubias agens.
Heu frustrà! Æsonides freti
Despectis furiis vellera Colchidis,
Post dentes chalybum satos,
Hastarum segetem, & castra virentia,
Forti diripuit manu.
Sic quod centuplices munierint seræ,
Sortis destituet fides,
Et centumgemino subruet impete.
Si rem blandior auxerit,
Crescentem excipiet cura pecuniam.
Vt vis sæua leunculi
Terrorem ingeminat dentibus auctior,
Turgescensque iubis; opum
Accrescens cumulus sic cumulat metus.
Non sic vipera morsibus
Maternos violat lethiferis sinus;
Vt curæ, rabidum genus,
Morsu tabifico pectora vellicant.
Quò sors altiùs extulit
Nixum diuitiis, hoc minùs addecet
Rebus fidere prosperis.
Sortis ludibriis nullus amænior.
Aut quò tela regat scopus,
Quàm quos conspicuos efficiunt opes?

Heu

Heu quàm vana crepundia,
Fortunæ ambiguis obuia casibus!
Dum nunc nauifragæ rates
Apponunt auido diuitias mari:
Nunc fucata negotiis
Fraus centuplicibus muscipulas parat:
Nunc & flamma capacibus
Stipatas segetes inuolat horreis.
Si natum genuit parens,
Dum sors influeret gurgite prospero;
Hunc post fata miserrimum
Heredem refluæ destituet rei.
Nudus, pauper & impotens
Materni ex vteri carcere prodiit;
Sic nudus referet pedem,
Nec naulum ex opibus fabula porriget,
Nec gazæ domino breui
Angustum ad tumulum se comites dabunt.
O fatum insuperabile!
O crudele malum, nec medicabile!
Vt venit fugiet miser,
Æterno exilio sub tenebras datus.
Quid prodest igitur labor
Dispersus zephyris, damnáque noctium,
Quas nullus tenuit sopor?
Heu vitæ inferias, mœstaque tædia!
Heu mersos tenebris dies!
Non tot silua feras, Hybla parit fauos;
Non sæui arbiter Hadriæ
Tot pulsat rabidis littora fluctibus;
Quot luctus miseros premunt.
Et curæ laniant pectora diuitum.

Nec ſomnus vigilem domat
Ærumnam, aut tenebris longa dies premit;
Sed ſi quando reciditur,
Se damnis animans hydra repullulat.
Sic roſum Titij iecur,
Vt crebro pereat vulnere, non perit.

PROSA EXEGESIS.

DVPLEX auaritiæ malum his verſibus perſequitur Eccleſiaſtes, quod idem paucis hiſce verbis complexus eſt Boëtius:

Boët. lib. 3. Metro 3.

Quamuis fluente dives auri gurgite
Non expleturas cogat auarus opes;
Nec cura mordax deſerit ſuperſtitem,
Defunctumque leues non comitantur opes.

Auarus, inquit, magno ſuo malo diuitias conſeruat: tum quòd illæ, dum cuſtodiuntur, perpetuis curis, animique cruciatibus materiam ſuppeditant; tum quia dum per ſe diffluunt, aut infelici negotiatione diſſipantur, aut denique morientem deſerunt, non minùs acerbum doloris vulnus infligunt. Et hoc felicitatem vocant? Quis vmquam felicem exiſtimauit eum, qui aſpidem ſinu foueret, à quâ lethale vulnus acciperet? aut viperinos fœtus, qui viſcera idemtidem morſicando corroderent? Et quid aliud à tot curis nocturniſque vigiliis expectes? nónne omnem ſuccum ac ſanguinem exſugunt? nónne pectus continuè pungunt, vellicant, excruciant? O infelicem, qui dies noctesque torquetur propter viliſſimas terræ fæces, & caduca fortunæ munera! Parum dixi: ô infelicem, qui nihil animo voluit præter vmbras cupiditatum, & vacua habendi ſimulacra! Quid enim aliud eſſe dicam Magiſtra-

Diuitiæ perpetuis curis hominem affligunt.

ſtratuum diplomata? quid priuatorum ſyngraphas? quid kalendarium? quid venale tempus? quid ſanguinolentas centeſimas? quid cetera inanis auaritiæ ſomnia. Et hæc quidem non ad extinguendas, ſed ad inflammandas cupiditates, non ad animi ſolatia proficiunt, ſed tormenta: cùm nec modum votis ponat auarus, neque cupiditates ſuas ratione circumſcribat. Itaque elementa concutit, ait Ambroſius, mare ſulcat, terram effodit, cælum votis fatigat, nec ſereno gratus, nec nubilo, condemnat prouentus annuos, fetuſque terrarum arguit. Denique hoc ſunt auaro diuitiæ, inquit Chryſoſtomus, quod furenti gladius: imò longè acerbius quiddam. Nam is qui furit, ſemel adacto in pectus gladio, furore ſe liberat, & alteram plagam non accipit: cupidus verò tametſi dena vulnerum millia, ac indies grauiora ſibi infligat (vulnera, inquam, fraudis, periurij, mœroris, ſollicitudinis, crudelitatis, infamiæ) furorem tamen non exuit, quem ſummam eſſe prudentiam interpretatur: ſed nec infamiam ſuam perſentiſcit, cùm nullum veræ laudis guſtum habeat: denique quemadmodum hirundines araneas quaſdam, corporis ſui ſuccum ac ſanguinem perpetuò ſugentes, inter plumas circumferunt, quæ tamen in paſtum illis idemtidem cædunt; ſic auarus iiſdem illis curis ac ſollicitudinibus, quæ cor eius arrodunt, animique vigorem exhauriunt, aſſiduè paſcitur, adeò vt multò maior ſit moleſtia in acquirendo & conſeruando, quàm voluptas in fruendo.

Ambroſ. de Cain, lib. 1.

Chryſoſt. Orat. de Auarit.

Sed & aliam cauſam adſignat Eccleſiaſtes, cur pronuntiarit diuitias conſeruatas in malum domini ſui: *pereunt enim*, inquit, *in adflictione peſſimâ*, neque poſſeſſorem vltra tumulum proſequuntur, neque apud here-

Diuitiæ fluxæ ſunt & fugaces.

dem ſtabilem ſedem figunt. Aut enim potentioris alicuius iniuriâ rapiuntur, aut infelici negotiatione pereunt, aut æſtu quodam ac refluxu fortunæ aliò curſum deriuant. Denique inter tot aduerſæ fortunæ caſus, inter tot rapientium manus, inter tot ſubuertentium periuria, cuniculos, fraudes, meritò illud de cuiuſuis auari theſauro dici poteſt, quod de aulâ ſuâ Plautinus dixit Euclio:

Plautus in Aulular. Act. 3. Scen. 6.

Hanc ſi Argus ſeruet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Iöni Iuno cuſtodem addidit,
Is numquam ſeruet.

Apud Iureconſultos bona quædam dicuntur eius eſſe naturæ, vt ſeruando ſeruari non poſſint, cuiuſmodi ſunt frumentum, vinum, oleum, pecunia: alia verò quæ ſeruando ſeruari poſſunt, vt ſunt bona immobilia, aut quæ inſtar ſunt immobilium, vt vaſa aurea, argentea, gemmæ pretioſæ, ceteraque generis eiuſdem. Ego verò nihil omnium, quæ vulgo in pretio ſunt, ſtabile dici poſſe contendo. Nam quo pacto ſtabile dici poteſt, quod à fortunâ dependet? quæ ſi ſtabilem clienti fidem ſeruarit, iam fortuna non ſit. Itaque nihil horum, quæ magna, ſpecioſa, immobilia habentur, ſeruando ſeruari poteſt: *pereunt enim in adflictione peſſimâ;* quæ ſanè tantò acerbior eſt, quò ardentiùs amatæ, & accuratiùs aſſeruatę fuerant diuitiæ. Amplificans hanc adflictionem Seneca, Si omnia, inquit, alia quibus angimur, compares, mortes, ægrotationes, metus, deſideria, dolorum laborumque patientiam, cum iis quæ nobis mala pecunia noſtra exhibet, hæc pars multum prægrauabit. Deinde remedium ſuggerens, Itaque cogitandum eſt, inquit, quantò leuior dolor ſit, non habere, quàm perdere: & intelligemus paupertati eò minorem

Seneca de Tranquill. animi, c. 8.

Paupertas colenda, cui minor eſt doloris materia.

norem

norem tormentorum, quò minorem damnorum esse materiam. Erras enim, si putas animosiùs detrimenta diuites ferre. Maximis minimisque corporibus par est dolor vulneris. Bion eleganter ait, non minùs molestum esse comatis, quàm caluis, pilos velli. Idem iis omnibus contingit, quibus pecunia sua adhæsit. Tolerabilius autem est, faciliusque, non acquirere, quàm perdere: ideoque lætiores videbis, quos numquam fortuna respexit, quàm quos deseruit.

Alterum remedium suggerit Epictetus, vt fortunæ bona semper fragilia esse meminerimus: imò ne nostra quidem, sed aliena & fortunæ bona. Singulis, inquit, in rebus quæ delectant, vel diliguntur, memento considerare, cuiusmodi sint. Si ollam diligis, cogita te ollam diligere, sic eâ confractâ non perturbaberis. Si fortunæ bona diligis, dic esse fortunæ bona, sic eis ereptis non perturbaberis. Si aliena pro tuis habueris, futurum est vt impediaris, lugeas, perturberis, deos hominesque accuses. Sin id solum tuum existimaris quod tuum est; aliena verò, vt sunt, aliena, nemo te lædet vmquam, neminem accusabis, neminem criminaberis, nullam calamitatem accipies. Denique, Numquam, inquit, te quidquam perdidisse dicito, sed reddidisse. Prædium tibi ereptum est? non periit, sed redditum est. At improbus est qui eripuit. Quid tua id refert, per quem is, qui dederat, à te repetierit. Hactenus ille mirabilis senecio.

Epictetus c. 8.

Fortunæ bona vt aliena habenda.

Idem c. 3.

Idem c. 15.

Tertium documentum, quod ex his duobus consequens est, subministrat Propheta Regius: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Facile est illa dimittere quæ tamquam domus hospitalis sarcinæ in angulo quolibet abiecta & neglecta iacuerunt; illa maiori cruciatu auelluntur, quæ in sinum pectoris recepta, ipsiq; cordi con-

Psal. 61, 11.

Affectus non est diuitiis affigendus.

conglutinata sunt. Quis autem Christianæ sapientiæ candidatus rebus hisce fluxis & caducis amoris affectu adhæresceret, cùm videat profanæ Philosophiæ studiosos tam leui manu fortunæ donis missionem dedisse? Nónne Crates ille Thebanus proiecto in mare non paruo auri pondere, Abite, inquit, pessum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis? Quid verò Diogenes? qui eò vsque se vitæ subsidiis nudauit, vt nihil fortunæ reliquum fecerit quod auferret. Itaque cùm seruus illi vnicus fugisset, tanti non æstimauit eum, cùm monstraretur, reducere, Turpe est, inquiens, Manen sine Diogene posse viuere, Diogenem sine Mane non posse. Nos verò tantò libentiùs hæc omnia fortunæ dona repudiabimus, si meminerimus à Christo cælesti Doctore pronuntiatum: *Quàm difficilè qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Quid enim proderit diuitiis ac deliciis impinguatum esse, incrassatum, dilatatum, si hanc fortunæ pinguedinem angusta cæli porta non capit? Certè cautos nos ac circumspectos reddere debet Horatianus ille Apologus:

Philosophi qui fortunæ bona contempserint. Hierony. li. 2. contra Iouinian.

Lucæ 18.

Deut. 32, 15.

Horatius lib. 1. Epist. ad Mecæn.

Fortè per angustam tenuis vulpecula rimam
Repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustrà:
Cui mustela procul, Si vis, ait, effugere isthinc,
Macra cauum repetas arctum, quem macra subisti.
Hac ego si compellar imagine, cuncta resigno,

ait Horatius. Ego verò multò meliùs ac solidiùs dicam: Si grauissimo Christi monitu, si rerum ipsarum vanitate, si mortis necessitate, si cælestis patriæ desiderio compellor, cuncta resigno, abdico, exsecror, detestor, quæ

quæ me inani somnio ludificant, quæ animum tot curis & aculeis lancinant, quæ me ab æternæ beatitatis ingressu præpediunt: & hac præclarâ Bernardi sententiâ maiores ipse mihi stimulos ad rerum humanarum despicientiam subdo: Væ væ! vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitati aditum intercludit, quod perennis luminis incircumscriptam claritatem abscondit, quod summæ priuat dignitatis honore. Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur? Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine ea sequi, quæ & assequi miserum est. An non ea satiùs cum honore spernis, quàm cum dolore perdis? An non ea prudentiùs Christi cedis amori, quàm morti? Nihil intulisti in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quidquam poteris. Dormies somnum tuum, & nihil inuenies in manibus tuis. Sed quia non omnium est ad hoc Christianæ sapientiæ culmen adspirare, subiicit Ecclesiastes quod minoris est perfectionis, honestum scilicet diuitiarum vsum: quo nihil est conducibilius in hac fluxâ fragiliqúe conditione mortalium. Bernardus Epist. 103.

SECTIO NONA.

ECCLESIASTES.

VERS. 17. Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitiâ ex labore suo, quo laborauit ipse sub Sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus, & hæc est pars illius.

18. [a] Et omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque [a] *Aquila habet,* Quare

que ſubſtantiam, poteſtatemque ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte ſuâ, & lætetur de labore ſuo: hoc eſt donum Dei.

19. [b] Non enim ſatis recordabitur dierum vitæ ſuæ, eò quòd Deus occupet [c] deliciis cor eius.

[b] *Frequens lectio habet*, Non multum. [c] *Plures habent*, lætitiâ

METRICA PARAPHRASIS.

Mercvri vita grauibus dicatam
Porticum curis, laqueoſque auari
Subdolos Pluti, dominoſque nummos
Segrege vitâ.
Non enim cenſus tabulæ, aut kalendæ
Fœnebres, & quæ ſimulacra habendi
Somniant dites, vel opima vaſti
Jugera campi
Culta per vinctos, pecorumque caulæ
Sopiunt mentis trepidæ tumultus,
Aut ſitim pellunt, gemitusque ſedant
Pectoris ægri.
Rectius viues, pretium laboris
Vita ſi curis fuerit ſoluta,
Atque opes iuſſæ ſtomacho parare
Dulce tributum
Dapſilis ferclum ſine ſorde menſæ,
Fronſque diſcußis nebulis ſerenos
Exigat Soles, tetricumque riſu
Condiat æuum:
Dum breuis vitæ ſpolio triumphans
Concito quæuis fugit hora curſu, &
Lege fatorum numerata carpunt
Tempora Parcæ.

Haſte-

Hactenus partis dabitur potiri.
Plura ne sperent, Stygiæ paludis
Sutili rector metuens carinæ
Increpat vmbras.
Ergo non parcâ cuicumque Numen
Fuderit dextrâ pretiosâ blandæ
Dona fortunæ, columenque vitæ
Diuite cornu,
Porrò si indulgens animum potentem
Diuitis gazæ dederit suique,
Quique congestis alimenta vitæ
Demere aceruis
Audeat, quò se genio litato
Eximat curis, hilarique nummos
Fronte dispenset, neque fascinanti
Seruiat auro;
Munere hunc gazis potiore ditat,
Et poli blando cumulat fauore:
Hunc ego & Regum titulis, & orbis
Fascibus æquo.
Non enim tristes nebulas doloris
Cernet, aut Phœbi iubar inserenum,
Nec per ærumnas numerabit actæ
Tædia vitæ.
Inuocent lethi violenta tela,
Noctis æternæ quibus vmbra tristi
Dulcior luce est, pauidæque rodunt
Pectora curæ.
Quisquis vndantes animo procellas
Improbi luctus domat, & labores
Temperat lætis, & amœna curis
Gaudia miscet;

Ille nec Phœbo resides quadrigas,
Nec moram Parcis nimiam exprobrabit:
Sed breuis vitæ immemorem occupabit
Labilis hora.

PROSA EXEGESIS.

NON desunt, quibus hæc velut intercalaris, & per interualla recurrens Ecclesiastæ sententia ipsius quidem verbis, sed ex aliorum mente prolata videatur, & magis Epicuræum aliquem voluptatis assertorem, quàm Scriptorem hagiographum decere. Epicurum enim totum esse in commendandâ voluptate non animi tantùm, sed & corporis, minimè obscurum est, in eaque summum hominis bonum tota schola Cyrenaica collocauit. Nec aliud sonare videntur Ecclesiastæ verba, si quis ea superficie tenus inspexerit. Adduci tamen non possum, vt impiorum personam idemtidem in hoc Tractatu interloquentem agnoscam, cùm nullum colloquij vestigium appareat; nec quidquam sit, quod, si prudentum iudicio expendatur, à verâ doctrinâ, & Ecclesiastæ personâ videatur abhorrere.

Cic. lib. 2. de Finib.

Ecclesiastes non commendat voluptatem, vt magnũ bonum.

Quid ergo, dicet aliquis? an dignam tanti viri commendatione voluptatem putas? aut omnino eiusmodi, vt nihil ad benè beateque viuendum maioris ducat esse momenti? Absit, absit hæc tam pernicioſa cæcitas ab eo viro, cuius menti diuina lux affulsit, cuius linguam & calamum sancti Spiritus Numen afflauit. Non ignorabat (quod nec Architæ Tarentino fuit ignotum) mente nihil esse præstabilius homini à Deo datum: huic autem diuino muneri nihil esse tam inimicum, quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum esse, nec omnino in voluptatis regno

Cicero in Catone.

virtu-

virtutem posse consistere. Et verò fingite animis quempiam maximâ voluptate incitatum: cui dubium erit, quin hic talis nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi possit. Cùm igitur summum bonum potiorem hominis partem, mentem scilicet, perficere atque ornare debeat, quî poterit voluptas summum eius bonum censeri, quæ non tantùm eam non perficit, sed etiam perfectionem eius pessumdat, functiones impedit, lumen exstinguit, ipsamque brutam ac stupidam reddit. Denique qui voluptatem summum esse bonum agnoscit, is ventrem sibi Deum constituit, in cuius obsequio & cultu, qui per voluptates exhibetur, summam suæ beatitatis constituit. Quod non obscurè præ se ferebat ille Cyclops apud Euripidem, qui nihil sibi cum Ioue dicebat esse negotij, sed maximum deorum suum sibi ventrem esse: huic se quotidie sacrificare. Nec procul abit ab hac insaniâ Mahumetis impietas, qui in Alcorano legem suam profitentibus paradisum addicit, & in eo dulcissimas aquas, poma multimoda, fructus varios, decentissimas ac mundissimas mulieres, ceteraque ad pastum ac libidinem accommodata. Sed absit vt ea mens fuerit Ecclesiastæ, qui *risum* reputauit *errorem, & gaudio* dixit: *Quid frustrà deciperis?* qui domum funebrem conuiuio prætulit: qui cor sapientum esse dixit vbi tristitia est, cor stultorum vbi lætitia: qui adolescentiam & voluptatem vanitatis condemnauit: qui amariorem morte dixit esse mulierem: qui extremum iudicium Deique timorem passim hominibus inculcauit. Non ea mens est tanti viri, vt ad pastum ac voluptatem lectoris animum abiiciat, sed, vt alibi doceo, plerumque adagiali formulâ edendi ac bibendi, tranquillitatem animi signi-

Euripides in Cyclop.

Eccle. 2.

Cap. 7.

Cap. 11.

Cap. 7.

Cap. 7. 8. 11. 12.

Cap. 3. Sect. 3.

ficat ab omni vanâ atque inutili curâ & cogitatione soluti ac liberi.

Moderatus diuitiarum vsus commendatur.

Hîc verò illud præterea monet, diuitiarum fructum non in copiâ consistere, sed in hilari ac moderato vsu: illudque eximium Dei donum esse existimandum, si non opes tantùm & copias fuerit largitus, sed animum etiam diuitiarum & cupiditatum suarum potentem, apud quem non in imperio sint diuitiæ, sed in seruitute. O verè felicem, qui animum erigens rebus humanis maiorem, diuitias non vt idola veneratur, sed vt instrumenta vitæ ad omnes opportunitates paratas esse iubet & obsequentes: qui non sordes in eruendis & accumulandis, sed in vsu splendorem diligit ac dignitatem: qui non in custodiendo sollicitudinem, sed in erogando beneficentiam consectatur.

Felix qui diuitiis imperat, non qui seruit.

Xenophon lib. 8. Cyropæd.

Olim dum Crœsus opes à se congestas deprædicaret, occurrit opportunè Cyrus, non eum se felicem existimare qui magnas opes habeat ac seruet (sic enim qui in muris ac portis excubant, fore feliciſſimos, quia totius vrbis thesauros custodiunt) sed qui & iustè comparare diuitias, & honestè dispensare possit, hunc demum se felicem pronuntiare: hic enim verè dominus est, ille thesauri sui custos; hic ex opibus varia vitæ commoda percipit, ille propter opes vitam vigoremque exhaurit.

Quid sit parte suâ frui.

Hic igitur diuitiarum fructus est, quem qui decerpit, hic parte suâ fruitur, vt ait Ecclesiastes, non quòd nihil maius homini ad æterna nato sit propositum, sed quòd in hac mortali vitâ nihil maius à diuitiis sperari possit, quàm vt possidentium dignitati, tranquillitati, lætitiæ, beneficentiæque subseruiant. Non ergo diuitias à se necessariò repudiabit sapiens (nemo enim sapien-

sapientiam paupertate damnauit) sed neque illas suspiciet. Si amplas opes habuerit, curabit, vt ne quis iis meritò ingemiscat, vt absque cuiusquam iniuriâ partæ sint, & absque sordido quæstu: quarum tam honestus sit exitus quàm introitus: quæ & vsu splendeant, & possessorem exhilarent, & egentes foueant, & amicos ornent. Quisquis ita sui rerumque suarum potens est, hic singulare Dei donum consecutus est, hic lætitiâ fruitur *ex labore suo, quo laborauit ipse sub Sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus: & hæc est pars illius.* Pars, inquam, non illa quam sibi velut summum bonum propositam habet humana mens, sed eius, vt dixi, felicitatis summa, quæ à diuitiis in hac mortali vitâ sperari potest: quæ tametsi infinito propemodum interuallo à verâ beatitate distet, habet tamen gratam animi voluptatem, & gaudium mortali non contemnendum. Quædam enim, ait Seneca, etiamsi in summam rei parua sunt, vt & subduci sine ruinâ principalis boni possint; adiiciunt tamen aliquid ad perpetuam lætitiam, & ex virtute nascentem. Sic illum afficiunt diuitiæ, & exhilarant, vt nauigantem secundus & ferens ventus, vt dies bonus, vt in brumâ & frigore apricus locus. Quæ lætitia subinde tanta est, vt omne vitæ tædium gratâ suauitate condiat; adeoque mentem afficiat, vt beatus ille calamitatum omnium atque ærumnarum oblitus, vitam suam, quamuis in vltimam senectutem productam, vix momenti instar habere arbitretur: cùm miseri contrà sæpè sæpiùs ingemiscant, & longæ vitæ fastidio laborantes, cum Prophetâ Iob ita lamententur: *Sicut seruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui; sic & ego habui menses*

Seneca de Beatâ vitâ c. 22.

Iob 7, 2.

menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Si dormiero, dicam, Quando conſurgam? & rurſum expectabo veſperam, & replebor doloribus vſque ad tenebras. Tanti refert ad longam breuemque vitam, quàm feliciter aut infeliciter exigatur. Sed quoniam fuſior huius argumenti tractatio non eſt huius loci, ſequamur potiùs Eccleſiaſtæ veſtigia, qui expoſitâ felicitate quam adfert honeſtus diuitiarum vſus, illorum vanitatem ærumnaſque ſubnectit, qui earumdem vſu ſibi interdicunt.

Quas ille quidem tantas eſſe affirmat, vt quamuis iis ad votum omnia fluant, nihilque eorum deſideretur, quæ ad cumulandam præſentis vitæ beatitatem faciunt; ſi tamen vel ſola auaritiæ peſtis interuenerit, non modò nulla iam ſit beatitas, ſed (quod in plenis ac ſucculentis corporibus ſolet) in luctum ac perniciem vertantur ipſa etiam materia atque inſtrumenta felicitatis.

SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT SEXTVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 1. Est & aliud malum, quod vidi sub Sole, & quidem frequens apud homines:

2. Vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. hoc vanitas, & miseria magna est.

3. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ego pronuntio quòd melior illo sit abortiuus.

4. Frustrà enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius.

5. Non vidit Solem, neque cognouit distantiam boni & mali:

6. etiamsi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis: nónne ad vnum locum properant omnia?

METRICA PARAPHRASIS.

NON *possidentem Regificas opes*
Euisceratis aut Arabum iugis,
Aut emedullatis Iberi
Montibus, indigetes beatum.
Nomen beati rectiùs obtinet,
Qui maior auri blanditiis, iubet
Seruire virtutum lupatis
Diuitias operosiores.
Non si refusis diuitis aluei
Gazis Hydaspes faucibus influat,
Cupidinem siticulosam
Exsatiet sibi blandus hydrops.
Crescente crescit cura pecuniâ
Mentisque tabes, fœdaque seruitus.
Et credimus beatitatis
Fructibus indecores potiri?
Hæc pœna auaros discruciat frequens:
Hac orbe toto se Nemesis probat,
Quà Phœbus è cunis renascens
Tendit ad Hesperium cubile.
Vtrumque mundum, quà patet, adspice,
Heu quanta egestas diuitiis subest!
Quot sortis, heu! nimis benignæ
Esse fauor prohibet beatos!
Est qui flagellat Mygdonias opes,
Midæque votis vota superuolat,

Curru-

Curruque subuectus superbo
Fræna regit, populique fasces.
Fortuna tendens huic famulas manus,
Exuberantis munera copiæ
Profundit, indulgensque donis
Immodicum superare voti
Contendit. O fucata beatitas!
Heu! ludit amni Tantaleo sitim:
Nec tabido latrantem orexim
Ventre opibus recreat paratis.
Feralis vt cùm cœna superfluis Eccli. 30, 18.
Instructa ferclis, Tænarei specus
Inuitat vmbras, aut opima
Mensa Ioui struitur Dapali, Vers. 19.
Nil ille quidquam percipit: aut velut
Spado impudicus virginis irrito Vers. 21.
Suspirat amplexu; prehensis
Sic opibus miser ingemiscit.
Sed sortis heres quilibet aureæ
Lumbricus, imâ è fœce leuans caput,
Aut stemmatis mendax repertor,
Aut viduis thalamis potitus
Dudum repostam deliciis struem
Impendet auri, & compede ferreâ
Nummos recluſos destinabit
Pinguis aqualiculi saginæ.
O vanitatum summa! Quis, ô! precor,
Quis hocce tantum dissimulet mali?
Si quispiam satur dierum
Nestoream superet senectam,
Natisque centum diuidat oscula:
Nec ille partis exsatiet famem,

Vitæque ſolamen reuulſos
E loculis neget eſſe nummos:
Sed inuidendas inter opes inops,
Probroſa tandem victima Tartari
Procumbat, & fœdum cruentis
Vulturibus iaceat cadauer
Exſors ſepulchri, & funereæ facis,
Fractæque mœſto pectine næniæ;
Hunc eſſe vuluæ abortientis
Conſimilem reor embryoni.
Quin maior hic eſt, cui geminum parens
Gemella mortis ſarcophagum dedit,
Dum terra abortiuum receptat,
Bisque vteri ſepelit latebris.
At ille fruſtrà matre puerperâ
Cadens, ſalutat fletibus alteram:
Pergitque ad æternas tenebras,
Nec memori reuireſcet æuo.
Non Solis vmquam flauicomum iubar
Lucisque guſtum percipit aureæ:
Non pulchra ſecernit pudendis,
Vtilibus dirimit nociua.
Bis dena quamuis ſæcula traxerit
Viuendo, ſortis mancipium ſuæ,
Quo tandem abortiuum antecellet
Stamina dum Lacheſis ſecabit?
Omnes eodem tendimus: vltima
Momenta lapſi temporis orbitam
Cunctis adæquant: parque longo eſt
Vna dies fugitiua ſæclo.

PROSA

PROSA EXEGESIS.

CVM multoties iam auaritiam perſtrinxerit Eccleſiaſtes, eademque in ſpeciem, quæ nunc adfert, accuſauerit, magnopere laborant Interpretes, vt hîc *aliud malum* à præcedentibus diuerſum inueniant. Ego, vt aliorum ſententias præteream, quas recenſet eruditiſſimus noſter Pineda, illud hîc nouum auaritiæ malum animaduerto, quòd ſola ſufficiens ſit ad euertendam rebus omnibus cumulatiſſimam felicitatem. Quin amplius etiam inſinuat Eccleſiaſtes, dum ait: *Non vidit Solem, neque cognouit diſtantiam boni & mali.* tantam ſcilicet vult eſſe peſtem auaritiæ, vt nullo rerum habito diſcrimine, etiam quæ bona ſunt, vertat in perniciem, lucem in tenebras, diuitias in egeſtatem, honorem in ignominiam, filios in hoſtes, vitam in ærumnam, denique deſideriorum omnium votorumque compendium in tormentum.

Vide Pinedam hîc. *Summum auaritiæ malum.*

Itaque finge animo (quod facit Eccleſiaſtes) *virum cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus quæ deſiderat.* Fac denique *genuerit centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit* hæc ad præſentis vitæ felicitatem pertinere nemo ſapiens infitiabitur.

Opes inprimis, teſte Ariſtotele, multiplex inſtrumentum ſunt, non tantùm rei familiaris, ſed etiam Reipublicæ: vnde non immeritò nerui rerum gerendarum vocari ſolent, habentque plurimas in omnem vitam opportunitates. Nam & egeſtati ſubueniunt, vitamque fouent & ornant: & liberalitati campum aperiunt: & in acquirendo conſeruandoque humanam acuunt induſtriam.

Opes ſuo modo ad felicitatem pertinent. Ariſt. lib. 1. Polit. c. 10.

Honor aliquid conert ad felicitatem.

Nec minus momenti habet honor ac dignitas ad præsentem felicitatem, præsertim cùm virtutis & comes & condimentum sit,& præmium. Quis enim non summopere delectatur præclarâ de se existimatione, sensuque ciuium suorum, nisi fortè cuius atrum cor (verba sunt Pindari) frigidâ flammâ sit fabricatum? Sanè M. Tullius ex omnibus præmiis virtutis amplissimum præmium ait esse gloriam: hanc esse, quæ vitæ breuitatem posteritatis memoriâ consoletur; quæ efficiat, vt absentes adsimus, mortui viuamus, cuius gradibus etiam homines in cælum videantur ascendere.

Pindarus apud Plutarchum de Serâ vindictâ.

Cicero pro Milone.

Posteri ad felicitatem pertinent.

Porrò fecunditatem etiam vxoris ac stemmatis propagationem, ad felicitatem quamdam pertinere, disertè testatur Propheta Regius, dum ait: *Vxor tua sicut vitis abundans* (quales alibi biferas, alibi triferas inueniri accepimus) *in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.*

Ps. 127, 3.

Vita diuturna pars est felicitatis.

Neque vitæ diuturnitas minus habet ad felicitatem momenti, quod vel ex eo manifestum efficitur, quòd in solo Deuteronomio plus quàm duodecies religionis erga Deum, pietatis in parentes, iustitiæ erga proximos, velut præmium à legislatore promittitur. Et verò tantus amor vitæ mortalibus à naturâ insitus est, vt inter ceteros Chinenses magnam sæpè auri vim in Chimicos impostores effundant, qui vanâ longioris vitæ spe nimis cupidos ludificantur.

Trigault. in Sinensibus.

Desideriorum impletio multum facit ad beatitatem.

Denique ad beatitatem vel maximè facit desideriorum omnium (quantum mortali fas est) votorumque consecutio; cùm huius vitæ felicitas æternam postumamq; beatitatem conetur imitari, quàm Boëtius definit esse statum omnium bonorũ aggregatione perfectũ.

Boët. lib. 3. de Consol. Prof. 2.

Sed

Sed fac, vt dixi, hæc omnia ſumma in vno aliquo reperiri: adde, ſi placet, Deum eius vota pronâ facilitate præuenire, & munificentiâ ſuperare; ſi vnica adfuerit auaritia, non tantùm hunc eſſe felicem negabo, ſed etiam miſerum & immiſerabilem demonſtrabo: non ea tantùm de causâ, quòd vbi ſolidum aliquod bonum deficit, nulla poteſt eſſe vera beatitas; ſed etiam, quia tanta eſt auaritiæ peſtis, vt ea, quæ videntur bona, in miſeriam ac perniciem conuertat. *Auaritia omnia fundamenta beatitatis euertit.*

Dic enim, obſecro, quid auaro conferunt diuitiæ? nónne totidem vepres ac ſpinæ ſunt, aut carnificum vngulæ, quibus eius animus excruciatur, & in mille curas diſcerpitur? Sed nec id agunt apud auarum diuitiæ, quod promittunt, vt paupertatem eliminent. Quantumlibet enim magnas opes habere poſſunt, ait Auguſtinus, ſed in earum quantacumque abundantiâ non egere non poſſunt. Egeſtatem enim non abſentia pecuniæ, inquit Apuleius, ſed immoderatarum præſentia cupiditatum gignit. Igitur non beatum faciunt opes, ſed miſerum. *Opes auaro nihil conferunt ad beatitatem.* Auguſt. l. 7. de Ciuit. c. 12. Apuleius de Philoſophiâ.

De honore quid dicam? An non ille ſaltem ſplendorem vitæ atque ornamentum adfert? Certè vbi auaritia dominatur, perit omnis vitæ dignitas. Quid enim magis indignum eſt homine, quàm viliſſimum eſſe luti mancipium? Quid dicam, Veſpaſianum Imperatoriæ dignitatis immemorem, è fæcibus humanis atque vrinâ infame vectigal collegiſſe, addito impudenti ioco cùm diceret, Lucri bonum eſſe odorem ex re qualibet? Quid Caligulam commemorem, qui compendij causâ lupanar in palatio conſtituit? filia verò nata, paupertatem & familiæ onera prætexens, collationes in alimoniam dotemque puellæ corrogauit. Quin etiam ſtrenas *Auaritia honorem peſſumdat.* Sueton. in Veſp. c. 23. Sueton. in Caligulâ, c. 41, 42.

ſtrenas edixit ineunte anno ſe recepturum; ſtetitque ſplendidus mendicus in veſtibulo ædium kalend. Ianuariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante ipſum manibus ac ſinu omnis generis turba fundebat. Quid hac mendicitate indignius?

Auarus ex liberis non percipit felicitatem.

Sed ad reliqua felicitatis argumenta, quæ penitus eneruat auaritia, feſtinat oratio. Quid eſſe poteſt in vitâ dulcius, quàm numeroſam prolem velut nouellas oliuarum in circuitu menſæ ſuæ diſpoſitas intueri? Sed tam immanis bellua eſt auaritia, vt proſcripto naturæ adfectu, hominem ex homine tollat, & ſolius theſauri cuſtodiæ intenta, quot filios, tot proditores atque hoſtes numeret theſauris inſidiantes, tot harpyias ac vultures paterno cadaueri imminentes. Plus etiam dico, vitam ſcilicet filiorum, præſenti lucro frequenter parentibus eſſe viliorem. Deteſtentur antiquorum theatra Medeæ crudelitatem: mihi certè pretio viliore venalem habuiſſe naturam videtur mulier illa Mileſia, quæ acceptâ ab heredibus ſecundis pecuniâ, partum ſibi abegit, cui debebatur hereditas.

Cicero pro Cluentio.

Nec longa vita prodeſt auaris ad beatitatem.

Igitur nec affectus filiorum ſuauis eſt, vbi dominatur auaritia; nec vita ipſa vitalis, etiamſi ad annos Mathuſalæ producatur. Quæ eſt enim auari vita, ſi ſemper ſibi ſuperſtes eſt ad tormentum? Certè cùm de vitâ loquimur, non illam nudam intelligimus, quæ muſcarum eſt & vermium bonum, multoque minùs illam, quam perpetua acerbitas vitam vocari non patitur; ſed Poëtæ *viuere* ſumunt pro ſecurâ voluptate; Philoſophi verò pro animi tranquillitate, & cum rectâ ratione congruentiâ. Hanc omnes, qui ſapiunt, inquirunt, quamuis non procul abſit ab animo benè inſtituto, vt notat Horatius, ——— *Nauibus atque*

Horat. li. 1. Epiſt. ad Bubulat.

Qua-

Quadrigis petimus benè viuere: quod petis, hîc est.
Est vlubris animus si te non deficit æquus.

Auaro autem nec hîc nec vsquam est beata vita, quia nusquam animi tranquillitate fruitur, vbique fluctus curarum, vbique procellas cupiditatum circumfert. Itaque licet multos in capite canos, & annos ætatis multos numeret, non rectè tamen eum diu vixisse dixeris, sed diu fuisse: quemadmodum eum, cuius nauem tempestatibus in gyrum actam diu ventus è portu exclusit, non rectè diu nauigasse, sed diu multumque iactatum fuisse dixeris.

Demiq; nec votorum adeptio beatũ facit auarum.

Quòd si nihil horum conducere quidquam potest ad benè beateque viuendum, quamdiu in corde regnat auaritia; an illud tandem erit instar omnium, quòd *nihil deest animæ eius ex omnibus quæ desiderat?* certè nemini dubium videtur, quin hæc dicenda sit omnibus numeris absoluta beatitas, votorum omnium compotem fieri. Sed quid si nulla nisi stulta vota concipiat? nulla nisi pernicioſa? etiámne sic beatus existimabitur? Quęnam autem vota concipit auarus?

Persius Satyrâ 2.

Illa sibi introrsum, & sub linguâ immurmurat: O si
Ebullet patrui præclarum funus! & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule! Pupillúmve vtinam, quem proximus heres
Impello, expungam!

Adde vota Midæ, & si quæ sunt alia, non à ratione, sed à cupiditate profecta: tantum abest, vt illa ad beatitatem pertinere iudicem, vt hoc potiùs votis omnibus paciscar, ne tam iratum sit mihi Numen, vt tam improbis postulatis annuat. Illud enim verissimè dixit Plato, Multorum vota reipsâ diræ sunt.

Plato Alcibiad. 2.

Satísne igitur malorum infelix illa pestis continet

auaritia, quæ ipſam quodammodò beatitatem vertit in miſeriam? certè tantum in hanc vitam ærumnarum inuehit, vt nulla fieri poſſe videatur acceſſio; & tamen, quod adiiceret, noſter inuenit Eccleſiaſtes. Si, inquit, auaro ad cumulum miſeriarum illud accedat, vt *ſepulturâ careat, de hoc ego pronuntio, quòd melior illo ſit abortiuus*. Quid ita verò? tantúmne pondus ac momentum ad felicitatem habet ſepultura, vt ſi quis illa careat, extremum miſeriarum omnium incurriſſe videatur? Magno mihi clamore hîc obſtrepentes audire videor Philoſophos, inter quos Romanus Sapiens, Nemo, inquit, liber eſt, qui corpori ſeruit; cuius reliquiis quis futurus ſit exitus, non quærit. Sed vt ex barbâ capillos detonſos negligimus, ita ille diuinus animus egreſſurus hominem, quò receptaculum ſuum conferatur, ignis illud exurat, an feræ diſtrahant, an terra contegat, non magis ad ſe pertinere iudicat, quàm ſecundas ad editum infantem. Neminem, inquit, de ſupremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo. Ne quis inſepultus eſſet, rerum natura proſpexit. Quem ſæuitia proiecerit, dies condet. Diſertè Mecænas ait:

An honor ſepulturæ ad felicitatem pertineat.

Seneca Epiſt. 92.

Nec tumulum curo; ſepelit natura relictos.

Nec minus animi fuit Cyrenæo Theodoro, cui cùm Lyſimachus Rex crucem minaretur, Iſtis, quæſo, inquit, iſta horribilia minitare purpuratis tuis. Theodori quidem nihil intereſt, humíne an ſublimè putreſcat.

Cicer. Tuſculanâ 1.

Sepulturæ curam aliquam gerere rationi conſentaneum.

Sed tamen ſi à naturâ ingenitam erga proprium corpus pietatem & cadaueris curam intueri velimus, nullam inueniemus gentem tam barbaram, quæ non aliquam ſepulchri rationem habendam duxerit. Quis non hodie memoriæ poſt mortem propagandæ ita ſtu-

ſtudet, ait Tertullianus, vt vel litteraturæ operibus, vel ipſorum ſepulchrorum ambitione nomen ſuum ſeruet? Nihilominùs quoniam non omnibus, qui cælo deſtinati ſunt, honor ſepulturæ contigit, manifeſtum eſt, non in eo ſummam verti poſtumæ felicitatis. Quid igitur ſibi vult Eccleſiaſtes, cùm hoc velut extremum miſeriarum recenſet, ſepulturâ carere? D. Hieronymus duplicem potiſſimùm huius loci ſenſum commendat; ſiue, quòd diues etiam in curâ ſepulcri & exequiarum ſordes auaritiæ non deſerat; ſiue, quòd figuratâ locutione monimento careat, id eſt nihil homine dignum gerat, quo ſe poſteritati vixiſſe teſtetur.

Tertull. de Teſtam. et. animæ, c. 4.

Hieronymus hic.

Et quidem tantas eſſe ſordes auaritiæ, vt ne ſarcophagi quidem impenſam ferre poſſit, non ita pridem docui exemplo Dinarchi Phidonis, qui moriturus lacrymatus eſt, quòd minis quinque ſarcophagus emendus eſſet. Et hunc ſenſum fuiſſe Veſpaſiani, publico teſtimonio proditum eſt in eius funere. Nam Fauo archimimus, perſonam eius ſuſtinens, imitanſque, vt mos eſt, facta ac dicta viui, interrogatis palàm procuratoribus, quanti funus & pompa conſtaret, vt audiit HS. centies, exclamauit, centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim proiicerent.

Auarus propter auaritiam ſepulturam negligit.

Sueton. in Veſpaſian. c. 19.

Deinde quòd nihil homine dignum gerat auarus, quo æternum ſui monimentum poſteritati tranſmittat, adeoque ſimillimus ſit abortiuo, ſequentibus verbis confirmat Eccleſiaſtes: *Fruſtrà enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. Fruſtrà venit* in hoc vitæ theatrum, qui naturam ſuo fine fruſtratur: & cùm natus ſit ad intelligendum & agendum, intellectum terrenis & caducis rebus immerſum obbruteſcere permittit. Itaque nullâ re præclarè geſtâ inſtar em-

Auarus nullum ſui monimentum poſteris relinquit.

bryonis, Sole vix in ipso vitæ limine salutato, *pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius.* Deinde *frustrà venit*, qui inter tot opes & naturæ commoda hominibus à Deo comparata (quid enim non hominis causâ creatum est?) nullâ re fruitur, sed miseriis atque egestate contabescit. Itaque instar abortiui *non cognouit*, id est, non est expertus, *distantiam boni & mali.* Hoc enim abortiuo deterior, quòd huic nullam adfert molestiam hæc rerum ignoratio; at auarus peruerso de rebus iudicio tormentum sibi accersit, cùm præsidia salutis sibi vertat in ruinam. Vnum est in quo potior eius conditio quàm abortiui videtur, quia diuturnior illi vita contingit. Sed occurrit iterùm Ecclesiastes: *Etiam si duobus millibus annis vixerit, nónne ad vnum locum properant omnia?* Nónne omnibus eadem sepulchri sors est, & vitæ finis? Quænam igitur ætas ista longa est, aut quid omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum? quod cùm venerit, pro nihilo habendum est quod præteriit. O miserum igitur, qui naturæ communis exul, frustrà in hanc vitam ingressus ostenditur! Sed nondum finis malorum: neque enim auarus naturam tantùm suo fine frustratur, sed etiam, vt mox innuit Ecclesiastes, grauissimè peccat contra finem politicum, & instituta Rerumpublicarum.

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERS. 7. Omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur.

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

Hev! pudende vermis orci,
Turpis verna opulentiæ,
Cui labores in labore,
Nec quidquam vlteriùs sapit,
Quique peruigilis draconis
Instar quæstibus incubas,
Nec famelico minutum
Vectigal stomacho apparas,
Fascinatæ cæca mentis
Tandem discute nubila.
Quid labores aucupantur,
Queis se turba Promethei
Maceratque, conficitque,
Seu nox astra recluserit,
Siue Eous euocarit
Phœbi purpureum iubar?
Huc labor desudat omnis
Torquens Iapethi genus,
Vt famelico tributum
Ventri sufficiant manus.
Hoc perenni fonte in orbe
Artes mille scaturiunt,
Ingenique mille partus
Naturæ accumulant decus.
Quidquid admiratur orbis
E ventris vacui penu est.
Vt cerebro nata Pallas
Ictu Lemniaco exsilit;
Sic caput queis intumescit
Prægnans fœtibus ingeni,

His orexis atque egestas
Præstò est Juno puerpera.
Psittaco quis expediuit
Suadâ χαῖρε disertius?
Concauumque murmur egit
Coruum in verba resoluere?
Perspicax Magister artis
Venter, quem stimulat fames.
Hic & institoris alnum,
Gazis Antipodum imminens,
Per furentis Amphitrites
Mittit fluctiuagos sinus:
Hic & imperat colonis
Terram findere sarculo,
Et repertæ consecrare
Callosas Cereri manus.
Quidquid artis è Sophorum
Fœto pectore prodiit,
Aut fabrilis officinæ
Rector Mulciber extudit,
Dentientis cudit oris
Importuna necessitas.
Oris obsequendo iußis
Omnis conteritur labor.
Ast auari cordis amplam
Vis implere voraginem?
Antè Auernales lacunas
Viuo fonte repleueris,
Tethyosque vndante fluctu
Lunæ concaua sparseris.
Si medelam vis hianti
Aptam sumere gurgiti;

Nil

Nil paratis adde gazis,
Sed restringe cupidinem.

PROSA EXEGESIS.

PRAECEDENTI Sectione docuit Ecclesiastes, auarum aut à naturæ scopo aberrare, aut certè naturæ finem legesque subuertere: nunc autem eumdem docet contra finem politicum legesque Reip. venire. Quid enim aliud propositum est Rerumpublicarum conditoribus, dum ciues suos variis artibus ac laboribus exercent, quàm ne quis inopiâ laboret? Atqui omnis auari labor eò tendit, non vt egestati subueniat, sed vt ea congerat, quæ congesta labores multiplicant. In Deuteronomio præcipit Moyses Israëlitis: *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus.* non quòd existimet, priuatos vmquam pauperes defuturos (cùm illi vel maximè nobis adstruant diuinam in rebus humanis prouidentiam) sed, vt ait Vatablus, quòd vetet otiosam publicorum mendicorum turbam, quibus ita occurrunt benè institutæ Respublicæ, vt eos aut opificiorum delectu, aut necessario labore subsidium egestati quærere compellant. Nec mendicis tantùm ea lex fuit apud Ægyptios, sed quiuis etiam ingenuus apud certum Magistratum profiteri cogebatur, quo se artificio tueretur. Quid Laërtem commemorem rusticari adsuetum? quid Vlyssem arte fabrili celebrem? quid Achillem heroëm à Ioue tertium, rei culinariæ peritum? quid primos Reip. Romanæ Principes, qui ab aratro ad Consulatum accersebantur? Nónne sterile Pupiniæ solum versabant, vastissimasque glebas plurimo cum sudore dissipabant? Imò verò quos periculà Reip. Imperatores asserebant, angustiæ rei familiaris bubul-

Deut. 15. *Mendicitas otiosorum è Repub. eliminatur.*

Opificia cur in Rempub. inducta.

Cœlius Rhodigin. li. 18. c. 37.

Aelianus lib. 3. Var. histor. c. 5.

Val. Max. lib. 4. c. 4.

bubulcos fieri cogebant. Atilium verò, qui ad eum accersendum à Senatu missi erant ad Imperium populi Romani suscipiendum, semina spargentem viderunt. Sed illæ rustico opere attritæ manus salutem publicam stabilierunt; quæque modò arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt: nec fuit illis rubori, eburneo scipione depositio, agrestem stiuam aratri repetere. vt nihil iam mirer, illustrissimæ prosapiæ viros in Germaniâ hoc inter familiæ suæ prisca instituta venerari, quòd suum quisq; opificium aut artem calleat.

Opificia ad honesta vitæ subsidia sunt comparata.

Sed hæc honestæ paupertatis amœnitas longiùs, quàm par est, prouexit orationem meam: redeo igitur in viam, tantumque asserо, hoc & naturâ duce, & Rerumpublicarum legibus atque institutis introductum, vt omnis huius vitæ labor, artesque omnes, atque industriæ egestati subueniant, & ad honesta vitæ subsidia conferantur. Eiusmodi enim vitæ præsidia sapientissimi homines comparanda censuerunt, quæ extra fortunæ aleam essent constituta; & eiusmodi horrea in animis nostris exstruenda, quæ numquam possent exhauriri. Vnde sententia illa Neronis, quamuis pudendi auctoris, ab omnibus celebratur, quâ liberales artes solatium esse censebat humani infortunij. Cùm enim prædictum illi esset aliquando à Mathematicis, fore vt quandoque destitueretur à suis, respondit: Τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει: *Omnis terra alit artem*, quò magis indulgendum sibi aiebat citharisticæ studium, ac illud sibi quidem Principi gratum, priuato autem necessarium. Porrò huic Sapientum sententiæ conformis est ipsa ratio lumenque naturæ, quæ semper in paupertate subsidium ab industriâ quæsiuit,

Sueton. in Nerone, c. 40.

Manilius li. 1 Astronom.

Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque

Ad-

Aduigilare sibi docuit fortuna premendo.

Quis autem ingenij fructus emersit premente & obstetricante fortunâ?

Tum variæ venêre artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egestas. Virgil. li. 1. Georgicôn.

Meritò igitur huc respiciens Ecclesiastes, de artibus, industriis laboribusque hominum vniuersè pronuntiat, *Omnis labor hominis in ore eius*, vt nimirum vitæ subsidia conquirat. Sed auarus naturæ communis expers, & ab institutis vitæ ciuilis alienus, alium sibi laboris ac sollicitudinis suæ scopum præfigit, nimirum vt bonis vndecumque per fas & nefas congestis infinitam auaritiæ voraginem expleat. O frustrà! *Anima eius non implebitur.* non sterilis aut infructuosi laboris, sed insatiabilis vitio cupiditatis: neque quòd nimis parca sit nouercæ fortunæ manus, sed quòd nimis impudens sit in concipiendis votis humana procacitas. Verè dixit Poëta, *Auarus labore ad finem peruersum abutitur.*

Fortuna multis dat nimis, satis nulli. Martialis li. 12. Ep. 10.

Si naturæ necessitate cupiditatem circumscripserimus, negotij nihil erit animum placare. Quantumcumque erit, satis erit, si quidquid deerit, à nobis potiùs quàm à fortunâ petierimus, id est à nobis impetrauerimus potiùs, vt carere velimus, quàm à fortunâ, vt largiatur. Sed ne in ipso quidem ventre explendo nimis laborandum est. Sanè nobiliorem ac sublimiorem actionum suarum scopum habet Sapiens, quàm vt mancipium sit corporis sui: æterna spectat, & verâ laude pascitur.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 8. Quid habet ampliùs sapiens à stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita?

METRICA PARAPHRASIS.

ODI ventriculi mancipia & cutis,
Nautas sympotij, & remigio improbo
Damnatos calicum, sola quibus sapit
Ferclis luxurians mensa superfluis,
Queis vita in patinis feruet, & igneæ
Vis mentis Bromij mergitur amphoris.
Non tali sapiens exacuit famem,
Aut nutrix sophiæ pauperies, dape:
Nec virtus humili polluitur luto:
Sed pennis superans præpetibus vagos
Tractus Æolidum & nimbisoni Iouis,
Infert auricomis sideribus caput,
Æterniáque Patris se gremio inserit,
Vt vitæ liceat munere perfrui,
Quam non tela necis, non fuga temporum, aut
Annorum series innumerabilis,
Non præses Lachesis lanificæ colus
Fato subruere, aut immemori queat
Busto posteritas inuida condere.
Iamque è stelliferis indigetum arcibus
Despectans humiles terrigenûm casas,
Ridet quas stolidi suspiciunt opes:
Ridet veliuolis æquora puppibus
Contracta, & spoliis Antipodum graues

Pinus,

Pinus, ſollicitus quas regit inſitor,
Exſanguis toties, quot furtis Noti,
Aut flabris Boreæ pontus inhorruit.
Ridet quos Cybeles viſceribus diem
Exoſos piceo nox ſepelit ſpecu,
In lucem vt referant fulua pericula,
Quæ ſtyx furua ſinu rectiùs occulit.
Nec ſortis nimiæ velificat ſpei,
Aut Numen precibus poſcit emacibus,
Deſponſæ vt tumeat dote proteruior
Fortunæ, aut variis creſcat honoribus:
Sed fauſtis populi plauſibus altior,
Splendeſcit proprio ſidere pulchriùs;
Humanasque vices ſub pedibus premens,
Fortunæ dominam ſe ancipitis probat,
Amplas ipſa ſibi ſufficiens opes,
Lautas ipſa ſibi delicias parans,
Contracto meliùs paſta cupidine.
Hanc tu, cùm impulerit dira neceſſitas,
Supremumque diem fata recluſerint,
Non fletu decores, aut laceris comis,
Non cippo, aut apio, aut carmine præficæ,
Non totus ſapiens triſtibus occubat
Vmbris, aut tumuli margine clauditur;
Sed ritu Pharij prorogat alitis
Annos è cinerum fraude ſuperbior.
Quæris quo tumuli margine ſepias
Virtutem? patuli da ſpatium poli.

PROSA EXEGESIS.

RECTE atque ordine facit Eccleſiaſtes, cùm damnatis auaritiæ ſtudiis, animos noſtros à terrâ ad cælum, ab his fluxis & caducis ad ſtabilia, à perituris ad æterna traducit: ſed dum ſapientiam paupertati copulat, vereor ne vnâ manu ad virtutem inuitet, alterâ repellat. Vt enim votis omnibus expetenda virtus, ita diris omnibus deuouenda paupertas pleriſque hominum videtur. Enimuerò non paucos accepimus per ſaxa, per ignes, per immenſos Oceani tractus ad Indos vſque & Iapponios fugiſſe paupertatem. Sed ſi quis ratione potiùs, quàm vulgi opinione, rerum momenta expenderit, neque pudendam iis paupertatem iudicabit, qui ad dignitatem omnia referunt, nec iis qui lucris intenti ſunt, repudiandam. Certè nec C. Fabricio, nec Cn. Scipioni, nec M. Curio probro datum eſt, quòd eorum filiæ ob paupertatem dote de publico acceptâ ad maritos ierunt, gloriam domeſticam, pecuniam publicam portantes. Quin imò ex ipſis opulentioribus eos potiſſimùm plerique venerantur, qui nullo ſtrepitu, modico cultu, diſſimulatis facultatibus, modeſtiæ ſpeciē paupertatis imitatione mutuantur. Quòd ſi diuitibus ad opinionem modeſtiæ & venerationis conciliandam, quæritur imago quædam colorque paupertatis, quàm ſtultum eſt, hanc ipſam minimè adumbratam, ſed veram ac genuinam probro vertere? Itaque qui peram ac baculum, paupertatis inſignia, Philoſophis exprobrat, ait quidam, is tantumdem facit, ac ſi equitibus phaleras, peditibus clypeos, ſigniferis vexilla, ac denique triumphantibus quadrigas albas togamque palmatam vitio vertat. Hoc enim Philoſophis pera & baculus,

Paupertas nemini probro eſſe debet.

Apuleius in Apologiâ.

culus, quod Regibus diadema, quod Imperatoribus paludamentum.

Itaque hunc pudoris scopulum præteruecti ostendamus summâ ratione Ecclesiasten sapientiæ ac paupertatis vela ad veræ laudis ac melioris vitæ portum pertendum iunxisse. Semper enim amica fuit sapientiæ paupertas; & (quod Ithacæ tribuitur) dura quidem, sed insignis animorum nutrix, quæ mellea virtutis ac sapientiæ præcepta hominibus instillat. Et vt acanthis in spinis habitans, summâ tamen suauitate cantus in animos influit, sic illa rebus asperis enutrita suauissima tamen vitæ documenta subministrat. *Paupertas amica Sapientiæ.* Aelianus lib. 10. cap. 32.

Scitum est illud antiquorum, in regno voluptatis virtuti locum esse non posse. Eadem mihi videtur de diuitiis pronuntianda sententia. Multis enim ad philosophandum obstitêre diuitiæ: paupertas semper expedita est. Fortunam, velut tunicam, magis concinnam quàm longam probant vitæ Magistri: si enim longior æquo fuerit, tametsi in sinum colligatur, aliqua tamen eius propendens lacinia ingredientem impediet, ac præcipitem dabit. Itemque magnas opes instar ingentis ac enormis gubernaculi suspectas habent, quæ nauem citiùs mergant, quàm regant: cùm copia sit illis superflua, excessus pernicioſus. Non ignorauit hoc Crates, inter Thebanos inprimis copiosus ac nobilis: qui philosophicæ paupertatis amore rem familiarem largam atque vberem populo distribuit, seruisque manumissis, solitudinem elegit: arbores multas ac fructiferas præ vno baculo spreuit: villas opulentissimas vnâ perulâ permutauit, quam postmodum, compertâ eius vtilitate, carmine laudauit, flexis ad hoc Homericis versibus, quibus ille Cretam insulam nobilitauit. *Magnæ opes obsunt philosophiæ.* Apuleius in Apolog.

Vidit hoc etiam, si animo vacare vellet, aut pauperem esse oportere, aut pauperi similem; neque enim sine frugalitatis curâ salutare studium posse consistere. Itaque quod tutissimum erat elegit, & spontaneâ necessitate omnes à se cupiditatum illecebras abdicauit, & ad honestam paupertatem, tamquam ad virtutum omnium gymnasium se transtulit.

Idem ibid. *Paupertatis elogium.*

Hoc enim aut simili elogio veteres omnes Philosophi paupertatem ornarunt. Inter quos Madaurensis ille Platonicus, Paupertas, inquit, olim Philosophiæ vernacula (matrem potiùs aut nutricem dixerim) aduersum diuitias possessa est, frugi, sobria, cultu simplex, consilio benesuada: neminem vmquam superbiâ inflauit, neminem impotentiâ deprauauit, neminem tyrannide efferauit. Quemcumque in aliquâ laude miramur, eum paupertas ab incunabulis nutricata est. Paupertas, inquam, priscis sæculis omnium ciuitatum conditrix, omnium artium repertrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes perfuncta. Eadem enim est paupertas in Aristide iusta, in Phocione benigna, in Epaminondâ strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta.

Paupertas à Christianis magis culta.

Hæc paupertatis cum virtute ac sapientiâ necessitudo, paucis olim inter Ethnicos comperta, plerisque Christianorum nunc est exploratissima: postquam Deus-homo, vitæ normam hominibus ostendens, illa æterni Dei sapientia, illa virtutum idea, ille perfectionis apex, inter tot mundi opes, aut veriùs suas, paupertatem amplexus est. Exinde Philosophia hæc hominibus innotuit, nihil esse quod vitiis acrius bellum indicat, quàm paupertatem. Euertit enim penitusque profligat arrogantiam, fastum, superbiam, luxum, libidines, aliaque

que non pauca, quæ ex abundantiâ, tamquam fumus ex igne, manare consueuerunt: & felicem quamdam necessitatem adfert benè beateque, id est secundùm naturam virtutemque viuendi.

Paupertas iter sternit ad æternam beatitatem.

Nec in præsens tantùm consulit, sed etiam remotis obstaculis homini vltra præsentis vitæ limites cogitationes suas extendenti iter expeditum reddit & complanatum, *vt pergat illuc vbi est vita*. Est enim paupertas, teste Climacho, abdicatio sollicitudinũ sæculi, iter ad Deum sine impedimento; expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ transeuntis, & facit vt Dei mandata perfectè exequamur. Itaque & spiritualem animæ vitam fouet in terris, & æternam despectus sui pretio comparat in cælis. In terris quidem vitæ spirituali consulit, dum nocitura remouet, & eam, quæ ex opum affluentiâ germinare solet, luxuriem castigat. Sic enim se res habet, vt quemadmodum mortuæ carnes, ne propter humorum abundantiam putrescant, sale adsperso exsiccantur; sic eadem caro viuens, nisi seueritate paupertatis & abstinentiâ, quasi siccitate quadam castigetur, in mollitiem luxumque diffluat. Nec id mirum, cùm tanta sit carnis animæque coniunctio, vt alterius vitiis altera coinquinetur, &, vt ait Basilius, vigente ac florente carne spiritus etiam in brutum carnemque degeneret. Huic igitur incommodo sic occurrit paupertas, ait Chrysostomus, vt per sobrietatem humeris alas, & pedibus talaria nectat, quibus & à terrâ efferri, & sublimia contemplatione consequi possit.

Climachus Gradu 17.

Basilius Orat. 1. de Ieiunio.

Chrysost. Hom. 1. in Genesin.

Quòd autem paupertatis pretio æterna vita comparetur, ex hac Christi voce manifestum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cælorum*. Magna profectò

Matth. 5. 3.

Chri-

Augustinus Ser. 28. de Verbis Apost.

Christianorum felicitas, ait D. Augustinus, quibus datum est, vt paupertatem faciant pretium regni cælorum. Ne tibi displiceat paupertas tua: nihil eâ ditius inueniri potest. Vis nosse, quàm locuples sit? Cælum emit. Quibus hoc thesauris conferri poterit, quod paupertati indultum videmus? Vt ad regnum cælorum veniret, dives possessione suâ obtinere non potuit: nunc obtinet, vt eâdem contemptâ peruehiat. Huc nobis collimandum est, si veræ sapientiæ candidati esse volumus. hæc nobis debet esse summa votorum. alioqui si vagis per noxia & inexplorata cupiditatibus obsecuti fuerimus, nullum votorum nostrorum actionumque scopum reperiemus, nihil in quo desiderium nostrum animusque conquiescat; sed ex alio in aliud incerti ac nauseabundi prouoluemur, non absimiles otiosis illis & oscitabundis, qui coruos passim testaque lutoque persequuntur. Perstringit illos Ecclesiastes mox versu sequenti.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 9. Melius est videre quòd cupias, quàm desiderare quod nescias. sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.

METRICA PARAPHRASIS.

QVAM *prægnans hominum turba petacibus*
Votis, noui cupidinis
Semper parturiat monstra recentia,
Nec expleat diram sitim,

Testan-

Testantur vario templa anathemate,
Aræque pingues sanguine,
Fanorumque graues exuuiis tholi.
Quis non libello supplici
Porci consociat lauta tomacula, aut
Mercis Sabææ fumulos?
Incerare deûm multiplici femur
Quosdam tabellâ rideas.
Quin ingens etiam te capiat stupor,
Si, quos vibrantibus labris
Seducto fatui numine mussitant
Precum susurros, hauseris.
Hic gazas Arabum, aut diuitis Indiæ
Exposcit immodicâ prece,
Aut quas sepositi climatis institor
Frementibus vehet Notis.
Heu cæcus nimiùm, quàm saties opum
Contingat in magnis minor!
Est qui celsa petat culmina Principum:
Sed lapsui gradum struit.
Rhamnus nobilium degener arborum
Sceptro potiri gestiens,
Fatali platanos, & Libanitidas,
Secum igne funerat cedros.
In votis Hecubæ posteritas fuit,
Densique natorum greges:
Sed regno exitium Laomedontio,
Et patriæ effudit facem.
Et quis non sociam coniugij ambiit
Florentibus nympham genis?
At non cui potior forma, pudicior,
Et bella formosæ cient.

Starent res Priami, ni tibi, Tyndari,
Rideret in vultu Venus.
Felix Ilacides, si species tibi,
O! Bethsabæa sit minor!
Est qui delicias portum animæ autumans,
Huc vela votorum regit:
At Circes adigens in scopulos ratem,
Mox ora brutorum induit.
Quid cæco fatui pectoris impetu
In vota mortales ruunt?
Quid tales auidi concipiunt preces,
Quæ non nisi infenso ratæ
Possint esse Deo? Tutiùs improbæ
Ah turba mortalis spei
Contracto cohibes vela cupidine,
Nec corde quidquam concipis,
Aut votis superos supplicibus rogas,
Ni consonum Menti Bonæ
Dictarit ratio, aut postuma spondeat
Beatitatis præmia.
Qui voti immodicus cuncta cupidinis
Cæco abligurit gurgite,
Incertisque bonis exacuit sitim,
Cuncta ore delibans vago,
Annon esse putes mentis huic parum,
Aut arrogantiæ nimis?

PROSA EXEGESIS.

VTRVMQVE fateor: & arrogantiam quidem hominum quidlibet temerè atque inconsultè vouentium, proximâ Sectione cum Ecclesiaste notabo; nunc eorum dementiam castigare pergam, quæ ex eo manifesta

Stulta mortalium vota.

nifesta est, quòd non illa tantùm, quorum aut naturam aut pretium ignorant, votis ac desideriis prosequuntur, sed etiam quæ cum periculo, damno, exitio non rarò coniuncta sunt, auidissimè concupiscunt. vt interim turpia & scelerata vota omittam, quæ non obscurè declarant, quantoperè apud ipsos viluerit æterni Numinis reuerentia, cùm ea diuinis auribus insusurrent, quæ apud homines pudor sit profiteri. Quàm multa sunt vota, inquit Seneca, quæ etiam sibi fateri pudet? quàm pauca, quæ facere coram teste possimus? Et alibi: Turpissima vota Deo insusurrant. Et si quis admouerit aurem, conticescunt: & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Vt planè in hisce talibus Pythagoræ sententia vacillet, qui dicebat, homines, quando Deos adeunt, fieri meliores. Illi enim, quos animi morbos coram viro graui aut ætate maturo recondere decebat, hos detectos & apertos ad Deum deferunt. Semper fatui, semper pueri, & conformia nutricularum votis desideria fouentes. Meritò explodi-tur à Satyrico nutricula illa, quæ cunis exemptum puerum, & lustrali saliuâ expiatum attollens, hæc vota concipit:

Seneca de Benef. li. 6. c. 38.

Idem Epistolâ 10.

Plutarchus de Defectu oraculorũ.

Hunc optent generum Rex & Regina, puellæ
Hunc rapiant: quidquid calcauerit hic, rosa fiat.

Persius Sat. 2.

Et: *Nunc Licini campos, nunc Crassi ducit in ædes.*

Similia sunt parentum vota: nec meliora filij concipiunt puerilibus hisce crepundiis enutriti. Queror, inquit Seneca, litigo, irascor. Etiamnum optas quod tibi optauit nutrix tua, aut pædagogus, aut mater? Nondum intelligis, quantum mali optauerint? O quàm inimica sunt nobis vota nostrorum? & eò quidem inimiciora, quò cessere feliciùs. Iam non admiror, si om-

Seneca Epist. 60.

nia nos à primâ pueritiâ mala sequuntur: inter execrationes parentum creuimus. Præclarè enim ac sapienter hoc notauit D. Augustinus: Cùm aliquid saluti noxium malè poscitur, dando irascitur Deus, non dando miseretur. Quid enim videtur? An voti compotes factos dicemus Israëlitas, an verò improbitatis suæ pœnas luisse, dum cæleste manna cum nauseâ repudiantes, ad ollas Ægyptias carnesque suspirarunt? Facilem ac pronum in hæc vota Deum se præbuisse, testatur Propheta Regius. *Transtulit*, inquit, *Austrum de cælo, & induxit in virtute suâ Africum. Et pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis; non sunt fraudati à desiderio suo.* Sed quàm non propitius in vota condescenderit, mox subiicit: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Dicebat olim Epicurus, Si mortalium orationes acciperet omnes Deus, perirent omnes. Quid ita quæso? quia nimirum stultis noxiisque votis in se aliosque sæuiunt. Quæ tandem illa?

Augustin. Sent. 252.

Psalm. 77, 26.

Vota aliis noxia multi cõcipiunt.

Infinitum esset ire per singula: quædam tamen parcè, memor instituti mei, delibabo. Atque vt ab eo exordiar, quod potissimum Ecclesiastæ propositum est, quis non lucris inhiat? quis non diuitias habet in votis? parum pensi habens quàm publicè priuatimque noxiæ, quanto suo aut aliorum damno aut acquirantur aut possideantur. Demades certè Athenis eum, qui necessaria funeribus venditabat, damnauit, cùm probasset magnum lucrum optasse, quod contingere illi sine multorum morte non poterat. Sed vnus culpam luit, communem omnibus. Cui enim non ex alieno incommodo lucrum in votis est? Miles bellum optat:

Senec. li. 6. de Benefic. c. 38.

agri-

agricolam annonæ caritas erigit: eloquentiæ exoptat pretium litium numerus: Medicis grauis annus in quæstu est: institores delicatarum mercium iuuentus corrupta locupletat: nullâ tempestate, nullo igne lædantur tecta; iacebit opera fabrilis. Vnius votum deprehensum est, omnium simile est.

Nonnulli vota sibi noxia concipiunt. Persius Satyrâ 2.

Sed ne illud quidem attendunt, quantopere suis ipsi desideriis sibi noceant. Felix sibi videtur Persianus ille, si thesaurum rastro effoderit, aut heredem, quem proximus impellit, expunxerit: sed non aduertit, magna patrimonia magnam semper ærumnarum exstitisse materiam; nec priuatim solùm Crasso, Senecæ, aliisque compluribus exitio fuisse, sed publicè etiam Reipublicæ noxias. Testis mihi Romana Respublica, quam pari ferè passu diuitiis ac vitiis creuisse, historiarum monimenta testantur. Certè Iuuenalis verissimè pronuntiauit:

Iuuenalis Satyrâ 6.

Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit ——

Hieron. de Vitâ Malchi.

Neque ab hac sententiâ dissidet Hieronymus, cùm ait: Ecclesia persecutionibus creuit: quando venit ad Christianos Principes, potentiâ & diuitiis facta est maior, virtutibus minor. Et alius: Religio diuitias peperit, sed filia suffocauit matrem. Aucti enim sunt Religiosi opibus propter pietatis venerationem, vitæque sanctimoniam; quibus deinde abusi, à pristino sanctitatis flore desciuerunt. Ergo nihil horum optandum est sapienti.

Honores optare stultum est.

Nunc ad reliqua gradum faciamus: quoniam latiùs patet Ecclesiastæ sententia, quâ vanum esse asserit *desiderare quod nescias*. Alij itaque honorem & gloriam in votis habent, nihil in vitâ præstabilius existi-

mantes, quàm ſupra ceteros eminere. Sed veriſſimè ſemel omnibus dictum eſt, quod à Chriſto filiis Zebedæi obiectum eſt: *Neſcitis quid petatis.* Meritò Phaëthontis & Semeles vota damnauit antiquitas, quòd ille è curru paterno præceps actus in terras eſt, hæc maieſtate Iouis & fulmine afflata, in cineres redacta. Quid autem diſtant hæc fabuloſa Phaëthontis vota à verâ Annibalis Cæſariſque fortunâ? quorum alter ſuperatis Alpibus ac Pyrenæis, dum ad extremum apicem gloriæ adſpirans,

Matth. 20, 10.

Iuuenal. Sat. 10.

Actum, inquit, *nihil eſt, niſi Pœno milite portas*
Frangimus, & mediâ vexillum pono Suburrâ;

paulò poſt expulſus Italiâ, imò è patriâ proſcriptus, apud Pruſiam Bithyniæ Regem tamdiu paraſitum egit, donec vitæ pertæſus, & inediâ confectus, veneno vitam abrumperet: alter peſſumdatâ libertate Reipublicæ, cùm ciues inſtar mancipiorum deſpiceret, ab illis ipſis in Curiâ trucidatus eſt, quos præcipuis beneficiis ſibi deuinxerat.

Eloquentia non eſt congrua voti materia.

Ergo ne honor quidem (tametſi maius quiddam ſpirare videtur conditione mortali) apta eſt deſideriis noſtris votiſque materia. Quid autem eloquentia, quæ rationis quædam eſt atque orationis eminentia? Certè ne illa quidem digna eſt, cuius deſiderio humana cupiditas inardeſcat. Nam, vt omittam eam à D. Auguſtino vocari nundinas loquacitatis; nimiùm me terret, quod hiſtoriarum monimenta teſtantur, duobus eloquentiæ principibus, Ciceroni ac Demoſtheni, garrulitatem ſuam exitio fuiſſe. Alter enim veneno ſublatus eſt, alterius caput iuſſu M. Antonij Trium-viri inter duas manus in roſtris collocatum, vbi ille Conſul, vbi ſæpè Conſularis, vbi eo ipſo anno aduerſus Antonium, quan-

Auguſt. libro Confeſſion. 9. c. 2.

Sene. Rhetor Suaſoriâ 8.

quantâ nulla vmquam humana vox cum admiratione eloquentiæ, auditus fuerat. Quod autem de eloquentiâ dixi, idem ceteris in rebus locum habet, quæ minus habent cum ratione commercij.

Ne longæ quidē vitæ optanda.

Si igitur nihil horum, quæ vitæ huic mortali fragiliqúe ſubſeruiunt, idonea deſideriis noſtris eſt materia, an ipſa ſaltem vitæ diuturnitas magis in votis eſſe debet? Sanè non deſunt, quibus magni muneris inſtar habere videatur: ſed quid ſi mille cruciatibus & ærumnis obruatur? quid ſi quauis morte ſit acerbior? Nónne meritò cum Prophetâ Iob exclames: *Quare data eſt miſero lux? & vita his qui in amaritudine animæ ſunt?* Et tamen auditum eſt olim turpiſſimum illud Mecænatis votum, quo nec membrorum debilitatem recuſabat, nec deformitatem, nec denique acutam crucem, dummodò inter hæc mala ſpiritus prorogaretur. Quænam eſt hæc tam fœda vitæ mendicatio? Quod miſerrimum eſſet, ſi accideret, optatur? &, tamquam vita, petitur ſupplicij mora? Quis non has vanas ſtultaſqúe voces exiſtimaret, & ſolo euentu refutandas, ſi propiùs admota eſſent quæ videntur optari tormenta, niſi res ipſa fidem faceret, tantum dementiæ in hominem cadere potuiſſe? Inuentus eſt enim Teleſphorus olim Rhodius, quem Lyſimachus vndique decurtatum, auribus naſoqúe abſciſſo, in caueâ velut nouum animal diu pauit, cùm oris detruncati mutilatiqúe deformitas humanam faciem perdidiſſet. Accedebat fames, & ſquallor, & illuuies corporis in ſuo ſtercore deſtituti: calloſæ adhæc manus & genua, lateraqúe caueæ attritu exulcerata. Quid multa? non minùs fœda quàm terribilis erat eius forma viſentibus: factuſqúe pœnâ ſuâ monſtrum, miſericordiam quoque amiſerat; & tamen

Iob 3,23.

Seneca Epiſt. 101.

Plutarch. libro de Exilio.

Seneca Epiſt. 70.

men ſuadenti cuidam vt à cibo abſtineret, reſpondit: Omnia homini, dum viuit, ſperanda ſunt. Deus immortalis! quænam hæc vitæ tam dira cupido? Si ad exemplar patientiæ relinquendum fortunæ ſuæ ſupereſſe cuperet, laudarem: ſed quòd ad incertam, immodicam, illimitatam ſpem longum corporis ſui funus in terris trahere deſiderauit, id quidem vaniſſimũ iudico.

Vota concipienda sũt, quæ saluti expediunt.

Hæc igitur omnia cæcorum deſideria ſunt, quæ Chriſtianæ fidei lumine, & rectæ rationis face diſcuſſis tenebris corrigenda ſunt, animuſque ad vera, ſolida, æterna bona erigendus. quorum vbi guſtu ſenſuque delectatus fuerit, tum demum ridebit priora ſua vota & gaudia velut re totâ deſtituta, & à vitiato animi palato profecta. Gaudia hæc tua, ait D. Auguſtinus, de ægritudine ſunt, non de ſanitate. Sunt enim quædam ægrotantium deſideria: venit ſanitas, perit cupiditas. Quomodo corporalis ſanitas iſta tollit, ſic omnia tollit immortalitas, quæ eſt noſtra ſanitas.

Auguſtinus Serm. 2. in Nouis.

Sed quoniam hæc vita mortalis abſque deſideriis non degitur, hæc ſumma votorum eſſe poteſt,

——*vt ſit mens ſana in corpore ſano.*

Iuuenalis Sat. 10.

mens inquam ſana, id eſt ſapientiæ alumna, virtutibus amica, rationi conſentiens. Si tamen compendio ſapere & felices eſſe cupimus, hoc vnum nobis votum ſit, vt nihil deſideremus, niſi quod conforme ſit diuinæ voluntati. Nam, vt ait Apoſtolus, *quid oremus ſicut oportet neſcimus.* Prudens igitur olim fuit, & conſulta, illius Anachoretæ ſimplicitas, qui ne à ſcopo diuinæ voluntatis aberraret, alphabetum piè recitare conſueuerat, hanc addens coronidem: Domine, quid mihi expediat, aut tibi placeat, ignoro. en habes omnia litterarum elementa, tu inde verba & preces forma, & largire

Vota noſtra Deo permittenda.

Rom. 8, 26.

Salmeron tract. 12. de Oration. Chriſti in horto.

vota

vota quæ ipse formaueris. Quid enim potius? ait Epictetus. Certè melius illud iudico, quod Deus vult, quàm quod ego. Adhæreo illi vt minister & pedisequus: cum illo desidero, cum illo expeto, denique quod ipse vult, idem & ego volo. Hanc indifferentiam sapienter alio loco inculcat, dum ait: Citra appetitionem & auersionem est auspicandum, quemadmodum viator ex obuio quærit, vtri viæ sit insistendum, neque de eo sollicitus est, dextrâne an læuâ sit pergendum: sic etiam ad Deum accedendum est tamquam ad ducem. Neque secùs vtendum est oraculis, atque oculis, quos non obsecramus vt hæc aut illa nobis potiùs repræsentent, sed quas res demonstrauerint, earum imagines accipimus. Nunc autem trementes augurium captamus, Deumque inuocantes precamur: Domine miserere nostri, fac mihi exeundi potestatem. Mancipium! numquid aliud mauis quàm id quod magis conducit? Quid autem conducit magis, quàm quod Deo visum est? Sed hæc est mortalitatis nostræ arrogantia, vt quamuis homunciones simus ex argillâ, & viliores quàm de lapide empta mancipia, nostræ tamen, quàm diuinæ voluntati, obsequi malimus, & ad quidlibet potiùs audendum ac petendum proiecti, quàm ad partis acquiescendum parati simus. Quod reprehendens Ecclesiastes, subiungit:

Epictetus lib. 4. Dissert. c. 7.

Idem li. 2. c. 7.

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 10. [a] Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius: & scitur quòd homo sit, & non

[a] *Tigurina versio habet:* Qui existit,

possit contra fortiorem se in iudicio contendere.

11. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.

METRICA PARAPHRASIS.

QVOVSQVE *auarum pœna torquet intercus,*
Diuisque in aurem vota stillat abductis?
Et quidquid Hermus, quidquid vnda Pactoli,
Diuesque Hydaspes turbido occulit fluctu,
Indusque patulo prendit ore concharum,
Hiante semper fauce & ore deglutit?
Rictusque porrò tendit ad nouam prædam?
An fortè cælum cæliteſque culpabit,
Nisi quidquid vndis aureis Erythræi,
Nisi quidquid aluo conditur Rheæ matris,
Charybdem in vnam gurgitemque demergat?
Nisi quidquid Afer areis Libystinis,
Quidquid Sicanis messor euehit campis,
Quidquid Galesi pascuis cubat pratis,
Cortem impudentis diuitis locupletet?
Aut nisi superbo torque inambulet turgens,
Amethystinoque coccinoque sarrano
Et vndulatum sesquipede trahat syrma,
Digitusque Eoâ luceat teres gemmâ,
Numquam improbarum desinet querelarum?
Quid impudentis massa pulueris turget?
Licet vsque & vsque surrigatur in cristas,
Et vsque cunctos despicatui ducens
Pulmone largo spiret aureos montes,
Et vanitatis mille turgidos folles,

Buccasque mille, mille colla distendat;
Non ille fallet subdolo Deum fuco.
Iam notus olim cùm futurus in siluis
Vel matre caule, vel puerperâ quercu
Agrestis infans, aut bubulcus insulsus,
Aut contrà in ostro delicatulus pupus,
Aut fors in aulâ spes futura sceptrorum:
Quodcumque tandem; at hominis obtinet nomen.
Licet vsque honorum plaustra, nominum rhedas,
Et vsque & vsque splendidam trahat pompam
Fallacis aulæ, ac turgidis crepet buccis
Ceras auorum; at hominis obtinet nomen.
Satisne dixi follibus retundendis?
Quid ergo rubræ vile pondus argillæ,
Lutosa terræ massa, pulueris saccus,
Morborum aceruus, officina fœtoris,
Spoliumque morbi, temporisque lethique
In præpotentem vindicem erigit cristas?
Et ni petacem cumulet improbis votis,
Velut ad tribunal iudicis diem dicit?
Verbisque cumulans, cassa verba, stultarum
Addit querelis aggeres querelarum;
Orbis Monarcham, siderumque Rectorem
Indormientem publicæ rei culpans?
Quid disputando quæso proficit momus?
Rem non metet, tam cassa dum serit verba.

PROSA EXEGESIS.

EXPOSVIT Ecclesiastes præcedenti Sectione eorum vanitatem, ne dicam amentiam, qui, vndecumque spes aliqua lucri aut honoris fuerit oblata, in quidlibet etiam inexploratum inconsultâ cupiditate exardescunt,

nec vllum votis suis modum statuunt: nunc eorumdem arrogantiam & intolerabilem præsumptionem paucis perstringit, dum insinuat, eos, nisi voti compotes fiant, cum Deo expostulare, & quasi iniuriam acceperint, aut exigua dignitatis eorum sit habita ratio, *iudicio contendere*. Incredibilis hic furor existimari posset, & fabulis annumeranda superbia, nisi præter antiqua recentiaque historiarum monimenta, quotidiana hanc experientia vsusque confirmaret. Quis enim ignorat Regem Persarum Xerxem, cùm ex Abydeno littore Hellespontum iuxta Sestum ponte iungere meditaretur, & dominum se maris ostendere, disiectis tempestate nauibus, ira percitum, trecenta Hellesponto verbera infligi, & in eius pelagus par compedum immergi iussisse? addito insuper conuitio, Indignum esse cui vllus hominum in posterum sacrificaret.

Iniquè homo Deo succenset propter irrita vota.

Herodotus lib. 7. Historiar.

Sed fuerit illud inusitatæ ambitionis ac superbiæ; hoc certè & tempore recentius est, & vsu familiarius, quòd cùm Sinenses Bonzij ab idolis siue Pagodibus suis iussu Regis beneficia quædam impetrare conati essent, & in hanc rem variâ se victûs asperitate voluntariisque suppliciis afflixissent, effectu non secuto, pœnas à Pagodibus suis popposcerunt, flagellis ac fustibus in eos sæuiendo, perinde ac si sensu essent ac ratione præditi. Et hæc quidem barbaræ cuiusdam dementiæ non immeritò quilibet damnabit: sed tamen an minùs peccat horum temporum insolentia? Quot enim hoc tempore reperiuntur, qui si votis suis frustrati fuerint, petulâtis linguæ flagello diuinam Maiestatem proscindunt, & quasuis in Deum blasphemias effutiunt? Atque vt omittam leuiculos illos, qui ad quemlibet ferè infelicis aleæ iactum mille iniuriis Dei nomen lacerant,

Aluarez Seruiedus in litteris Sinensibus anni 1622.

rant, aut si vindictæ occasione frustrantur, Deum eiurant, & se diris omnibus dæmonibusque deuouent; quis non videat plerosque hominum, si non satis emolumenti, honoris aut compendij precibus suis piisque operibus à Deo impetrauerint, continuò à diuino obsequio cultuque desciscere, neque vllum in pietate virtutumque exercitatione operæ pretium esse situm existimare? vnde etiam tantus passim rerum diuinarum contemptus, & illæ tam profanæ voces, quas apud Malachiam legimus: *Vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt.* Malach. 3, 14.

Vnde hæc tam proiecta temeritas? aut quis ille tam impudenter arrogans, vt Deum sibi ad nutum obsequentem, votisque omnibus, licet immodicis, licet improbis, annuentem deposcere præsumat? Quicumque demum ille, aut qualis quantusque sit, nihil est cur insolescat, *iam enim vocatum est nomen eius, & scitur quòd homo sit.* quasi dicat: Ipso nomine suo luteam substantiæ suæ materiam, & abiectam prodit originem, quæ sola sufficiat comprimendæ tam procaci arrogantiæ, tumorique retundendo. Quid enim est homo? Ait Aristoteles: Imbecillitatis exemplar, temporis spolium, fortunæ ludus, mutationis imago, inuidiæ & calamitatis trutina, cetera pituita & bilis. Rursus quid est homo? Ait Seneca: Imbecillum corpus, fragile, nudum, suapte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum. Cùm benè lacertos exercuit, cuiuslibet feræ pabulum, cuiuslibet victima: ex infirmis

Quid est homo vt in Deum insurgat?

Arist. apud Stobæum Serm. 96.

Sen. Consolat. ad Marciam, c. 11.

firmis fluidiſque contextum; frigoris, æſtus, laboris impatiens, ipſo ſitu & otio iturum in tabem, alimenta metuens ſua, anxiæ ſollicitæque tutelæ, precarij ſpiritus, & malè cohærentis. Denique, quid infirmius eſt homine, inquit Chryſologus, quem ſenſus fallit, ignorantia decipit, circumuenit iudicium, pompa lædit, tempus deſerit, mutat ætas, hebetat infantia, iuuentus præcipitat, ſenectus frangit?

Pet. Chryſologus Serm. 45.

Et fieri poteſt, vt hæc lutea maſſa in auctorem ſuum inſurgat? hæc teſta de Samiis terræ figulo exprobret, non ſat multa ſibi ad ornatum ſplendoremque concedi? Quis vmquàm mendicus tam proiectæ fuit impudentiæ, vt quidlibet ſibi deberi arbitraretur? Profectò ſi inops atque mendicus eſt, totus ex alienâ miſericordiâ pendet, neque repulſam interpretari debet iniuriam, cùm nihil iuris eius petitio prætendat. Quis autem coram Deo ſe mendicum eſſe infitiabitur? Si hæc ita ſe habent, neque rebus creatis quidquam ab auctore ſuo debetur, cuius tandem dementiæ fuerit, hominem (tam infirmum animal ac miſerum) *contra fortiorem ſe iudicio contendere*? Non is animus fuit innocentiſſimo Prophetæ Iob: cui cùm non tantùm ex voto non cederent omnia, ſed etiam direptis opibus, abactis gregibus & armentis, totâ denique familiâ euersâ, ſola ſanies eſſet reliqua quam teſtâ raderet; cum Deo tamen iudicio contendere non ſuſtinuit, ſed infirmitatem ſuam cum diuinâ Maieſtate comparans, ingenuè ſapienterque profeſſus eſt: *Verè ſcio quòd ita ſit, & quòd non iuſtificetur homo compoſitus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille. Sapiens corde eſt, & fortis robore; quis reſtitit ei, & pacem habuit.*

Iob 9. 1.

buit. Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subuertit in furore suo. Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur. Qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris, &c. Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Rectè illud inter cetera, Quid *loquar verbis meis cum eo?* quia in illâ tam stultâ hominis cum Deo expostulatione, ac tam impari congressu *verba sunt plurima* (nec quidquàm præter verba) *multamque in disputando habentia vanitatem.*

SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT SEPTIMVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 1. Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vitâ suâ numero dierum peregrinationis suæ, & tempore, quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub Sole sit?

METRICA PARAPHRASIS.

QVOD malum, Superi! quod esse dicam,
Quòd nemo exhibeat datam maritæ
Sorti connubij fidem iugalem?
Sed præsentia nauseans, nouisque
Et magnis inhians, priùs cupitæ
Sortis quilibet audet esse adulter?
En ruris patrij impiger colonus
Clitellasque, bouesque, tribulumque,
Et molimina sarculi perosus,
Nil actum putat ad beatitatem,

Ni mercis Cypriæ institor procellas
Myrtoi pauidus secet profundi:
Mercator Peruës, Tagique gazis
Ac Tarteſſiaci satur fluenti,
Affectat lituosque, adoreasque,
Et raucas Getici tubas Gradiui:
Miles laurigero insolens triumpho
Fasces somniat, & Ducum secures,
Et Regum trabeas, decusque famæ.
Sunt & queis Veneres, iocos, lepores,
Furtiuis agitant labella votis.
Sed quid præcipites spei necesse est
Ventis omnibus explicare vela?
Ah! neſcit miserum genus Promethei,
Quid vitam faciat beatiorem.
Non quod splendidius venustiusque,
Idem optabilius beatiusque.
Dulces si liceat meo arbitratu
Soles degere, perlubens superba
Fastus cornua contraham, caputque
Angusto cochleæ sinu recondam.
Imis vallibus incubans arundo
Iram fulminis imbriumque ridet:
Celsis turribus inuident procellæ,
Et quercus nimio comarum honore
Siluarum dominas, Iouis trisulca
Terrent spicula, turbinesque Cauri.
In magnis minor est quies, minusque
Sistit præcipitem salus ruinam.
Euectus Phaëthon patris quadrigis,
Euersus Phaëthon patris quadrigis.
Pennis Dædalides in astra raptus,

Pennas Icario exuit profundo.
Salmoneus tonitru ciens rotarum,
Mox vero tonitru ruit peremptus.
Rhamnus dum solio arborum superbit,
Flammâ vindice cessit in fauillam.
Felix quem faciunt pericla cautum.
Tu sortis memor, & memor salutis,
Ne celsæ cumulum struas ruinæ.
Quod sis, id cupias lubens videri:
Nec quidquam potius priúsve ducas.
Vitæ summa breuis, feroxque Parca
Spem longi vetat inchoare voti.
Quid languens animum vsque & vsque versa
Per fastidia fluctuantis æui?
Et semper noua vota fabricaris
Vitæ præpete concitus volatu,
Quam momenta auido vorant hiatu,
Vt Sol igneus abligurit vmbras?
An fors anxia cura te fatigat,
Quid longâ serie superfuturæ
Mundo parturiant dies & horæ?
Heu! superuacuo peris labore.
Prudens temporis ordinem futuri
Sub caligine noctis obseranit
Lucis arbiter, arbiterque noctis.
Æqui tu modò consulas bonique,
Quod præsens tibi commodarit hora.
Ritu cetera fluminis feruntur,
Quod nunc hospitio ferentis aluei
Riuos leniter excipit minores,
Mittens Oceano amnium tributum;
Nunc ripæ immemor, imperansque campis,

Euer-

Euertit platanosque, populosque,
Diffundens nemore hospites procellas.
Felix, qui Superis die dicato,
Iucundum potuit sonare Vixi.

PROSA EXEGESIS.

PRAECEDENTI Capite extremo eorum seu dementiam seu arrogantiam perstrinxit Ecclesiastes, qui immodicâ cupiditate in quæuis vota præcipites, cælum precibus fatigant: nunc eorum animos, qui supra ceteros & supra fortunam suam eminere desiderant, triplici ratione compescit. Primò, quia insignis temeritatis est in hac rerum humanarum caligine alta & præcipitio vicina sectari: præsertim cùm ignoret homo, quid sibi ad vitam benè beateque instituendam conducat. Deinde, quia momentanea huius vitæ breuitas magnos conatus elidit, & ambitiosos in medio honorum cursu destituit. Denique, quia ignorat, quod tanto animi ardore concupiscit, sitne futuris casibus ac temporibus accommodatū. Expendamus paulisper singula.

Dicebat olim Socrates, vt quis architecturæ peritiā consequatur, aut agri colendi, aut hominibus imperandi, posse homines ingenio perficere, suoque arbitratu eligere; sed quæ in his potissima sunt, Deum sibi reseruare, eorumque nihil non hominibus obscurum esse. Neque enim constare ei, qui agrum conserit, quis messem sit collecturus; neque architecto, quis domum sit inhabitaturus; neque imperandi perito, an imperatorio munere fungi expediat. Scio plerisque hominum splendida modestis, magnifica securis anteferri: sed

Vide Xenophontem lib. 1. Ἀπομνημ.

Homo quid sibi expediat ignorat.

Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit: & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Ouid. li. 3. Trist. Eleg. 4.

Ambitionis finis ruina.

cuius limites vbi semel transgressus fueris, nullus ambitioni terminus est, nisi præcipitium, aut ruina: idemque contingit quod in fabulis testudini, quæ cùm volatum affectasset, ab aquilâ in sublime euecta, moxque ab eadem dimissa, ipso lapsu collisa est: aut quod Icaro cuidam sub Nerone (quem Simonem Magum fuisse Philastrius cum aliis affirmat) qui cùm volatum tentasset, primo conatu iuxta Principis cubiculum decidit, ipsumque cruore respersit. Sic ambitiosus quilibet nullum cupiditati suæ terminum præfigit, nulloque potest loco consistere, non aliter, quàm in præceps deiecta pondera, quibus ruendi finis est, iacuisse. Quid Cn. Pompeium in Africam, quid in Septemtrionem, quid in Mithridatem & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? Infinita scilicet cupido crescendi, cùm sibi vni parum magnus videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? Gloria & ambitio, & nullus supra ceteros eminendi modus. Vnum supra se ferre non potuit, cùm Respublica supra se ferret duos. Neque hîc stetit ambitio; sed æmulo è medio sublato, nullum sibi oblatum honorem nimium putauit. Itaque & continuum gessit Consulatum, & perpetuam Dictaturam: insuper prænomen admisit Imperatoris, & statuam inter Reges, & suggestum in Orchestrâ. Sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in Curiâ & pro tribunali, templa denique, aras, simulacra iuxta deos, puluinar, Flaminem, Lupercos. Et quis tandem crescendi finis? non alius quàm ruina, quæ quidem in illâ ipsâ aureâ sede miserum oppressit, quâ supra ceteros eminebat. Quid Nabuchodonosorem dicam? cui extremum pænè exitium attulit diuinitatis affectatio. Certè con-

Sueton. in Nerone c 12. Vide Baronium anno Christi 44.

Seneca Epist. 94.

Sueton. in Iulio Cæs. c. 76.

Dan. 4, 30.

duci-

ducibilius illi fuit ad brutorum conditionem è solio deturbari, quàm ab insanâ multitudine diuinis honoribus extolli. Nam ab hominum consortio exterminatus, præsentissimum animæ pabulum in brutorum pascuis adeptus est; & inter opaca nemorum, ac lustra ferarum, humanitatis sensum, Deique ac sui notitiam inuenit, qui paulò antè diuinos honores exposcens, nec Deum nec se nouerat. Ita profectò se res habet, & in vniuersum nihil est quòd maiores animo nostro tenebras offundat, quàm ambitio: nihil quod hominem magis serenum suique compotem reddat, quàm animi submissio. Adspiret igitur ad honorum fastigia quicumque voluerit, & nascendi fortunam cupiditate transscendat; ego verius cum Regio Vate pronuntiabo: *Bonum mihi*, Domine, *quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Psal. 118, 71.

Quod autem de honoribus asserui, idem de diuitiis dictum volo, qui alter modus est supra fortunam emergendi. Tametsi enim vulgus hominum in diuitiis apicem felicitatis humanæ collocet, ego tamen hæc stulta vulgi iudicia contemnens, meaque me paupertate ac ceteris fortunæ meæ congruis inuoluens, cum Ecclesiaste dicam: *Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vitâ suâ?* Quid, inquam, necesse est homini quærere quod ignoret, imò verò quod non ignoret an conducat? Quid necesse est quærere, quod inuentum non solùm inutile, sed etiam pernicioſum esse sat nouit? Quid necesse est sequi, quod assequi miserum est? Blandiatur aurum, quibus voluerit, oblectet opum cupiditas; ego sanè nihil in vitâ acerbius, nullum verius tormentum extare contendam. Nihil opus ad hanc veritatem stabiliendam Philoso- *Non expedit homini diuitiis crescere.*

phorum placitîs : vnica nos apud Phædrum fabella vulturis, cadaueri canis insultantis, docebit, quàm veri nominis pœna sit auri cupiditas.

Phædrus lib. 1. Apolog.

Humana effodiens ossa thesaurum canis
Inuenit ; & violauit quia Manes deos,
Iniecta est illi diuitiarùm cupiditas,
Pœnas vt sanctæ religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,
Fame est consumptus. Quem stans vulturius super
Fertur locutus: O canis meritò iaces,
Qui concupisti subitò regales opes,
Triuio conceptus & educatus stercore.

Vita breuitas cohibere debet immodicas cupiditates.

Non dispar fortuna contingit iis qui per diuitias supra fortunam conantur emergere : quorum conatus & studia ex eo etiam vanitatis redarguit Ecclesiastes, quòd exiguo *numero dierum peregrinationis* huius circumscribuntur, *& tempore quod velut vmbra præterit.* Ridemus, senes auaros, quò minùs restat viæ, eò plus quærere viatici (quid enim aliud quàm inutiles sarcinas, & itineris impedimenta congerunt?) & non ridemus nosipsos, qui hac tantâ vitæ breuitate circumscripti, procul à metâ abesse non possumus? Quid enim est vita nostra? Ait Iacobus Apostolus : *Vapor est ad modicum parens, & post hæc exterminabitur.* Quid est vita nostra? Nuntius est celeriter percurrens, gutta roris antelucani, halitus oris hibernus, spolium temporis, vmbræ somnium. Quid est igitur tam vanum, quàm his tam angustis vitæ limitibus obseptum, opes aliquot sæculis suffecturas corradere, longam honorum seriem disponere, ad dignitates humano fastigio maiores adspirare?

Iacobi 4.

Sap. 9.

Sap. 11. Chald.

Psal. 89.

Horatius Carm. l. 1. Od. 4.

Vitæ summa breuis spem nos vetat inchoare longam.

Et

Et vt longior esset, stultum tamen est à fortunâ rebusque ab arbitrio fortunæ pendentibus subsidium futuri temporis aut solatium petere, quæ cæcâ nos cupiditate in nocitura certè numquam satiatura præcipitat. Quantò iucundius est nihil poscere, nec ex fortunâ pendere? Quod enim futuri temporis incerta sors voluit, quare potiùs à fortunâ impetrem vt det, quàm à me ne petam? Enimuerò quid omnino petam, si tam cæca futuri temporis caligo mortalium prouidentias omnes eludit? Quid si etiam eiusmodi futura sunt tempora, vt omnino formidandum sit vllam Reipublicæ partem attigisse? Quid si etiam tam periculosa, vt longè optabilius futurum sit in imâ plebe delitescere, quàm diuitiis aut honoribus inter ciues suos eminere? *Quis* enim *homini poterit indicare quid post eum futurum sub Sole sit?* Vnum est quod certò scitur, & vtiliter inculcatur; seriùs, ocyùs, moriendum esse omnibus. Post mortem verò quòd *iudicium durum his qui præsunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur.* hoc illis assiduè ruminandum, qui ad altiora semper adspirant. Ceterùm quid earum rerum, quæ nobis in vitâ obuersantur, optabilius sit, aut conducibilius, multis deinceps versibus ostendit Ecclesiastes. Sap. 6.

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERS. 2. Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa:

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

ODI, *delicias queis myrothecion*
In probrum liquidis prodigit imbribus:
Et queis cæsaries ſtillat amaraco,
Et ceruix crocino madet:
Queis frontem balano ſplenia temperant,
Pectus Sidonio diffluit vnguine,
Et merſi Phario luxuriant pedes:
Et ne ſingula perſequar,
Quos nubes tepidis ambit odoribus
Pæſtani ſuperans delicium ſoli,
Vincens impliciti ſchidia cinnami, &
Medi vulnera corticis.
Eheu! quàm tenuis ludificat vapor
Sponſos Penelopes, Alcinoi genus!
Quàm caro opprobrium fœdáque putidi
Luxus nauſea venditur?
Quid rores caſiæ? quid nebulæ croci?
Vnguentíque liquor defluus è comis?
Auræ ludibrium, ſemiuirûm decor,
Mordacis populi iocus.
Qui ſemper benè olet, non benè olet: neque
Qui ructat pretium eſt in pretio mihi.
Quantò nobiliùs complet odoribus
Virtus ſidereas domos?
Quos virtutis odor diſſociabili
Secernit populo, hos fama nepotibus,
Ceu vitæ ſpeculum, poſtuma conſecrat;
Buſtorumque ſuperſtites
Per vaſti ſpatium ſubuehit ætheris,
Supra terrifici regna tonitrui,

Septem-

Septemque imbriferas Pleïadum faces,
Mixtos indigetum choris.
Sic Abræ soboles principe cum patre,
Heroës gemini, mystaque & hostia,
Æternum decus ad sacrificos focos
Transscripsere nepotibus.
Sic Iobus domitor sortis, & in necem
Coniurata potens vincere Tartara,
Palmam corripuit, quam neque Marspiter,
Nec frangat fuga temporum.
Moses Niliacis opprobrium Dei
Sceptris anteferens, damna penatibus
Compensans Superis, ore beatius
Nectar purpureo bibit.
Viuet post genitis charus Isaides,
Ingentisque animæ pars bona Ionathas,
Quos ad cælicolum templa adamantino
Curru gloria transtulit.
Quid Græci memorem stemmata nominis,
Et quos posteritas euehit in deos?
En quàm nectareis fragrat odoribus
Virtus parturiens sui.
I nunc, & pretium pone vaporibus,
Imbellesque comas tinge opobalsamo.
Ni famam redolet vita superstitem,
Frustrà vnguenta paraueris.

PROSA EXEGESIS.

QVANTA olim fuerit vnguentorum celebritas, & quantus vsus, testis est Athenæus, qui varias vrbes recensens eo mercatu nobiles, Irinum, inquit, optimum in Elide & Cyzico: rosaceum nobilissimum ex Phaselide,

Athenæus lib. 15. *Loca variis vnguentis nobilitata.*

lide, Capuâ & Neapoli: croceum è Solis Ciliciæ, & Rhodo: nardinum præfertur è Tarso: œnanthinum è Cypro: excellit amaracinum Coum & Ægyptium, deinde Sidonium. Quod Panathenaicum vocant, Athenis primæ bonitatis est. Verùm vnguentorum præstantia locis imputanda non est, sed artificum peritiæ, & materiæ quæ suppeditatur. Nam Ephesus olim vnguentis clara fuit, & præcipuè Megalio: nunc, inquit, eam sibi gloriam vendicat Alexandria, propter opes quibus abundat, & propter Arsinoës ac Berenices in eâ re tractandâ singulare studium.

Vnguentorum vsus. Vsus autem vt varius, ita frequens erat in balneis, in conuiuiis, in ludis, in exequiis, in cultu denique quotidiano. Nec vno aliquo contenti erant vnguenti genere, sed cum delectu cuique parti corporis sua ac propria
Idem ibid. adhibebant. Quam in rem idem Athenæus versus Antiphanis in Vinosis producit:

Lauat is in aureo quodam solio: vnguento
Ægyptio pedes linit & crura,
Phœnicio buccas & vbera,
Sisymbrio verò vtrumque brachium,
Amaracino supercilium, & comam,
Serpyllino ceruicem atque genua.

Vnguentorum vis. Nec absque causâ tam profusi erant in vnguenta veteres: siquidem in compotationibus rosaceo myrtinoque vini fumos temperabant, ac cerebro sanæque menti consulebant: melino etiam ventriculum fouebant, & lethargicorum veterno medebantur: œnanthinum quoque stomacho benè facit, & illæsam mentem tuetur. Et ne singula persequar, Vnguento, ait Cle-
Clemens Alex. lib. 2. Pædagog. c. 8. mens Alexandrinus, tamquam medicamento & auxilio vtendum est, & ad vires languentes excitandas, & ad catar-

catarrhos siccandos, & ad refrigerationes, & ad pellenda fastidia. Omitto suaueolentiam, omitto vim contra putredinem præsentissimam, omitto cetera, ex quibus facilis est coniectura, quanto in pretio fuerint apud veteres vnguenta. vt non immeritò eadem cum bono nomine in contentionem adduxerit Ecclesiastes, *Melius*, inquiens, *est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.*

Quid quòd vnguenta magnam habent cum bono nomine famaque ex virtute partâ consensionem ac sympathiam? Primùm enim nihil esse quod ita putredini & corruptioni resistat, atque vnguenta pretiosa, testantur Ægyptiorum cadauera (Mumias vocant) quæ non pauca etiamnum visuntur bis mille aut etiam plurium annorum. Quis autem vel mediocriter institutus non affectat nominis immortalitatem? Sed non omnibus contingit ista felicitas. Non deerunt, qui æreis marmoreisque statuis nomen suum posteritati consecrent: non deerunt, qui pyramides, mausolæa, palatia excitent, vt scribant nomina sua in terris suis: non deerunt, qui doctam papyrum, veteresque membranas cedro illinant, vt eas à blattis tineisque vindicent. sed nisi ex virtute profluxerit hæc nominis existimatio, frustrà erit omnis conatus: in rudera conuertentur vel ipsa Mausolæa, *& nomen impiorum putrescet*, in superbiâ, ambitione, ceteriisque vitiorum fæcibus & mundi vanitate fundatum. Virtuti scilicet hæc nominis debetur æternitas, quæ omni terrena contagione maior ad cælum, verum vnicumque æternitatis domicilium adspirat.

Vnguenti cum bono nomine conformitas.

Nomen bonũ vt vnguentum à corruptione præseruat.

Prou. 10, 6.

Deinde vnguentum suaui suo temperamento morbis resistit, & ad sanitatem plurimùm conducit. Ita bonum nomen optimus virtutum custos est, & vitiorum propulsator. Cauet enim sedulò vir probus, ne quam

Vt vnguentũ corporis, ita bonum nomen animi morbis resistit.

existimationi suæ maculam adspergat; non aliter quàm Mus Alpinus (Herminium vocant) omni curâ prouidet, ne pelliculam suam nitentem collutulet, &, vt habet symbolum, Mori mauult, quàm fœdari. Est enim hominis ingenui, ait Tullius, & liberaliter educati, velle benè audire à bonis etiam viris: quemadmodum contrà turpissimum ac dissolutissimum genus hominum est, quibus vilis est bonorum existimatio. Verissimum est enim, quod apud Tacitum ait Tiberius, contemptu famæ contemni virtutes.

Cic. lib. 3. de Finib.

Tac. lib. 4. Annal.

Vt vnguentum, ita bonum nomen dignitati congruit.

Præterea vnguentum dignitatis symbolum est. vnde & Summi Sacerdotis & Regum inaugurationibus adhiberi consueuit. At bonum nomen non tantùm dignitatis indicium est, sed facilem etiam ad honores & præmia viam sternit. Nihil est enim, ait Nazianzenus, quod hominem ad altiores honorum gradus prouehat, quàm virtus, & fama honestis parta rationibus.

Nazianz. Orat. in Cæsarium.

Vt vnguentum, ita bonum nomen amorem conciliat.

Denique nihil est vnguentorum suaueolentiâ præstantius ad amorem conciliandum, hominesque ad se pelliciendos. Quod etiam aliis quibusdam animalibus commune esse tradunt naturalis historiæ Scriptores. Sanè D. Basilius aucupes quosdam refert cicures columbas habere, quarum pennas grato quodam odore perfundant, quo pellectæ aliæ in decipulum abducantur. Et quid aliud esse dicam homines virtute ac sanctitate eximios, nisi pellices, vt ita dicam, columbas, quæ boni nominis sui fragrantiâ quamplurimos à mundi illecebris ad suaue Christi iugum, à flagitiosâ vitâ ad virtutem ac sanctimoniam traducant? Talem fuisse columbam accepimus D. Cæciliam, quæ sponsum Valerianum nil nisi faces nuptiales meditantem ad amorem castitatis & Christi sacra pertraxit, cùm

Basilius Epist. 175.

ille

ille primâ nuptiarum nocte fragrantissimum virginitatis odorem, instar vernantium rosarum, in conclaui sponsæ deprehendisset. Quid Iosiam Regem sanctissimum commemorem? nónne boni nominis eius fragrantia ad posteros cum fructuosâ virtutum eius recordatione promanauit? Et quis alius Regum Iudæorum, vt notat Iansenius, epicedium lugubremque næniam obtinuit à Ieremiâ, quam velut ex præscripto legis posteris occinerent symphoniaci? Vt non immeritò dictum sit à Siracide: *Memoria Iosiæ in compositionem odoris, facta opus pigmentarij*, aut, vt sonat Græca littera, *Memoria Iosiæ est instar mixturæ thymiamatis artificio vnguentarij confectæ. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.* 2. Par. 35, 25. Iansen. in Ecclesiasticum. Eccli. 49, 1.

En quanta boni nominis vnguentorumque sit affinitas: sed tamen non tanta, quin illa præ bono nomine repudianda duxerit Ecclesiastes. nimia enim vnguentorum profusio, ait Clemens Alexandrinus, iusta defunctorum potiùs quàm familiarem vitæ redolent consuetudinem. Vnde non illepidè Martialis ad cœnam vocatus, sed vnguentis nõ cibis instructã, ita lusit: Cle. Alex. Pædagog. lib. 2. c. 8.

Res salsa est benè olere & esurire.
Qui non cœnat, & vngitur, Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

Martialis lib. 3. Epigramm. 9.

Itaque vnguentum cadauera redolent; at virtus odor spirantium est, aut beatiorem in cælo vitam degentium. Quisquis enim ab odoribus in vitâ commendari cupit, is & virum & virtutem exuit, palamque se profitetur, quod animæ deest, à fuco corporis emendicare. Procul arcendos esse eiusmodi sponsos Penelopes, monet D. Hieronymus scribens ad Demetriadem: Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris pelli- *Nimius vnguentorũ vsus effeminatorum est.* Hieronym. Epist. ad Demetriadem.

pelliculas olentes, de quibus est illud Arbitri, Non benè olet, qui benè semper olet, virgo deuitet. Denique, vnguenta momento exspirant, & suis moriuntur horis. Vnde præceptum illud Epicuri apud Martialem inculcatur:

Martialis lib. 13. Epigram. 122.

Vnguentum heredi numquam, nec vina relinquas.

Aut enim viuentis ac spirantis luxui, aut defuncti exequiis impenditur. At contrà bono nomine atque existimatione nulla posteritati solidior à parentibus, nulla magis opima relinquitur hereditas. Hanc olim Æneas Ascanio relicturus dicebat:

Bonum nomen opima est hereditas.

Virgil. lib. 12. Aeneid.

Disce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis. ——

Huius potissimam habendam esse rationem, prudenter obseruat M. Tullius. Adhibenda est, inquit, quædam reuerentia aduersus homines. Nam negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Quid igitur? inquiet aliquis. An ad plausum mihi viuendum esse existimas, & captandos inanis gloriæ fumulos? satis amplum mihi theatrum est rectè factorum conscientia. Fateor nihil nobis prius aut potius esse debere præclarè factorum conscientiâ. Hæc enim etiam calumniis obruta delectat: hæc concioni ac famæ reclamat, & in se omnia reponit: & cùm ingentem ex alterâ parte turbam contrà sententium adspexerit, non numerat suffragia, sed vnâ sententiâ vincit. Quia tamen non nobis tantùm nati sumus, sed omnem ab aliis offensionis lapidem amoliri debemus, Proximo famam, ait Bernardus, nobis debemus & prouidemus conscientiam. Itaque nomini ac famæ danda est opera, non vt titulis ac Magistratuum insignibus, sed vt vitæ innocentiâ, morumque

Cic. lib. 1. Offic.

Senec. li. 4. de Benefic. c. 21.

Bernardus Serm. 7. in Cantica.

Bono nomini danda est opera.

que probitate comparetur. Laudat hoc institutum in Traiano Plinius his verbis: Ac mihi quidem intuenti sapientiam tuam, minùs mirum videtur, quòd mortales illos caducosque titulos aut depreceris, aut temperes. Scis enim vbi vera Principis, vbi sempiterna sit gloria: vbi sint honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. Arcus enim, & statuas, aras etiam templaque demolitur & obscurat obliuio, negligit carpitque posteritas; contrà contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor ac frænator animus, ipsâ vetustate floreſcit, nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus minimè necesse est. Non ergo perpetua Principi fama, quæ inuitum manet, sed bona concupiscenda est. Ea porrò non imaginibus & statuis, sed virtute ac meritis prorogatur Quod autem Traiano, laudatissimo apud Ethnicos Principi, dixit Plinius, id quilibet sibi dictum putet, vt nimirum bonum nomen atque existimationem non tam parentum titulis aut fumosis imaginibus, neque externâ specie, aut inani populi plausu, sed vitæ innocentiâ, morumque honestate consectetur, sibique persuadeat (quod aiebat Socrates) eos expeditâ & compendiariâ viâ ad gloriam venire, qui id agerent, vt quales videri vellent, tales etiam essent. Ac tantumdem quidem de bono nomine, quod pretiosis vnguentis præferendum censet Ecclesiastes; nunc cuim eodem ad aliarum rerum delectum gradum faciamus.

Plinius in Panegyr.

Val. Max. lib. 7. c. 2.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 2. & dies mortis die natiuitatis.

METRICA PARAPHRASIS.

DICITE lacteoli, mea mellea turba, puelli,
Queis primùm tactu cognita terra parens:
Dicite, qui tenero vagitu impellitis auras,
Dicite, nam vestris fletibus omen inest,
Fas sit ab elingui mihi poscere verba palato:
Et vobis etenim fas sine voce loqui.
Non ego Thessalico fatorum arcana ciebo
Carmine, non speculis indita spectra petam,
Non promam phialas: vnum est quod scire laboro,
Cur toties A! E! lingua tenella sonet.
Mammas atque Tatas rudibus dictasse labellis,
Supremum est gerulæ vix satagentis opus:
Ast hic sponte suâ sat conscia corda futuri
Criminis auctores voce tremente notant.
Heu video, quisquis primordia clara salutat
Lucis, & à vitæ limine carpit iter,
Supplicij fontem plorans balbutit Adamum,
Auctoremque sui vulneris edit Euam.
Scilicet hæc sors est turmali sanguine cretis:
Hæc eadem Regum culmina pœna premit.
Regia puniceo soboles lacrymatur in ostro:
Rustica progenies stramine fulta gemit.
Me quoque, quem sceptris natum, de matre cadentem
Purpureo nutrix fouerat aula sinu,

Consi-

Consimilis simili vagitus lege sub auras
Protulit: hoc vitæ flebilis omen erat,
Quæ genus Iapeti lacrymarum flumine mergit,
Flumine, quod nullo margine claudit aquas.
Ecquid enim vita est? Spolium breue labilis æui,
Et, qui per vacuum surgit inane, vapor.
Quam quot pauerunt, totidem momenta vorarunt.
Hei mihi, quod lucrum est tot reperisse neces!
Nónne veteri satius fuerat tenuisse sepulchrum,
Quàm tot vallatos ingemuisse malis?
Ecce fremunt erebi pestes, quas omine fertur
Lurida non fausto Nox peperisse Stygi.
Hinc furor, hinc rabies, inimicaque matribus arma,
Hinc febris, hinc tabes, hinc malesuada fames.
Sternitur ante diem morborum victima corpus,
Adflictumque solo tabida membra trahit.
Crapula distendit, frangit labor, otia soluunt:
Nescio quæ cruciet carnificina magis.
Utque nihil moueat, funestaque concitet arma,
Hoc satis est, in se funeris arma gerit.
Nec minùs astrigenam vitiant contagia mentem,
Dum luteos habitat, carnea septa, lares.
Ingenij vires eneruat blanda voluptas,
Curæ tabifico viscera dente vorant.
Spes auidis voti fastidia languida nectit,
Territat exsangues pallida larua timor.
O vitam inuitam! tamen hæc tam tristia festum
(Hoc placet, ô Superi!) promeruere diem.
Cur aliquis nato tantorum herede malorum
Gaudet, &, heu! Genio lacte meroque litat?
Cur stillant liquidâ rorantia tempora nardo?
Cur lambunt madidas florea serta comas?

Hic cui feſta ſtrepunt tanto celebrata tumultu,
En gemit, & lacrymis paſcitur ipſe ſuis.
Ah meliùs Ceſij, meliùs ſenſere Agathyrſi,
Et qui Threïcium Thermodoonta bibunt.
Illis atra dies, & pullo ſyrmate digna,
Quâ primùm tenero vagijt ore puer.
Illis fauſta dies, niueoque notanda lapillo,
Quâ domitis fato fletibus, ora vacant.
Et tamen eſt aliquis leſſo qui funera plangat?
Qui violet teneras vngue furente genas?
Atque aliquis ſectis decorat monumenta capillis?
Atque aliquis Pharios polluit ora luto?
Vſque adeone mori miſerum eſt? tamne horrida mors eſt?
Quæque metum tollit, tot parit vna metus?
Quid toties fato iam functi fata timemus?
Viuimus in fatis, atterimurque nece.
Partimur cum morte diem; tamen integer ille
Ad cumulum vitæ eſt, integer ille necis.
Quid morimur toties, vt morti victima reſtet?
Optandum ſemel eſt, ne moriare, mori.
Quid metuis laruas? perſonam detrahe morti:
Mors quoque blanditias, & quod ametur, habet.
Hæc laceras tumidi poſt naufraga murmura ponti
Optatâ puppes in ſtatione locat.
Hæc poſt Siſyphiæ vitæ molimina, matris
Componit placido corpora laſſa ſinu.
Hæc mentem poſt tabificæ contagia carnis,
Natalem æternâ condere luce iubet.
Ergo apage in ventos vaneſcat amabilis error,
Tot vitæ dulci nomine acerba premens.
Non mihi natalis, qui mille ad funera ducit,
Dum quam dat vitam quælibet hora rapit.

Hunc

Hunc volo natalem, qui posthuma sæcula pandit,
In quæ nil mortis spicula iuris habent.

PROSA EXEGESIS.

Melior ne dies mortis an dies natiuitatis.

MAGNA olim contentione certatum est, plausúne an planctu, lætitiâ an lacrymis prosequendus esset dies natalis. Et quidem Persæ diem suum, teste Herodoto & Athenæo, effusâ lætitiæ significatione coluerunt. Romani quoque nullo die lautiùs curati, numquam ludis magnificentioribus delectati. Et verò si intra naturæ limites consistat ratiocinatio, nónne eximium quoddam bonum vita censenda est, quæ si numquam fuisset, nihil homini reliquorum bonorum contingere potuisset? Nihilominùs tamen antiqui Gaditani, Thraces, Causiani, Brachmanes, & Indorum Gymnosophistæ nascentes lacrymis prosequebantur, tamquam carceri aut ergastulo mancipatos, & ad corpus, Græcè σῶμα siue σῆμα, id est ad sepulchrum damnatos: mortuos verò cum cantu musicisque instrumentis efferebant, tamquam contagionis humanæ vinculis exemptos, & in puriorem auram respirantes. Et conformiter huic persuasioni nobilissimi Græcorum & Romanorum sapientes philosophati sunt, inprimisque Plato profert illud Euripidis: *Quis nouit vtrùm viuere mori sit, mori autem viuere?* Quid Romanus Seneca? Nónne vides, inquit, qualem vitam nobis rerum natura concesserit, quæ primum nascentium omen fletum esse voluit? Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit. De morte autem quid sentit? Dies iste, inquit, quem velut extremum reformidas, æterni natalis est. Mors malis omnibus finis est, plurimis remedium, nonnullis votum, quæ nos in altâ pa-

Herodot. in Clio. Athen. l. 4.

Plato in Gorgiâ.

Seneca ad Polybium, cap. 23.

Idem Epist. 102.

Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. c. 10.

ce ac tranquillitate constituit. Quinimò, teste Macrobio, antequam Philosophiæ studium adolesceret, qui sacris cærimoniis præfuerunt, aliud esse inferos negarunt, quàm ipsa corpora, quibus inclusæ animæ carcerem horrendum tenebris, fœdum sordibus & cruore patiuntur. Hoc animæ sepulchrum, hoc Ditis concauа, hoc inferos indigitarunt: & omnia quæ inferis fabulosa assignauit antiquitas, eadem in nobismetipsis & in ipsis humanis corporibus assignare conati sunt. Itaque Lethen, siue obliuionis fluuium, errorem dicebant animæ obliuiscentis diuinæ originis suæ maiestatem: Phlegethonta verò, flammas irarum, & incendia cupiditatum: rursus Acherontem, humanæ varietatis dolorem, & ægritudinem animi fluctuantis esse affirmabant: Cocytum verò, quidquid homines in luctum lacrymasque compellit: Stygem denique, quidquid humanos animos gurgitibus immergit odiorum. Sed quamuis hæc satis plausibiliter & splendidè (de veritate mox videro) à Mythologis disputentur, non vna tamen ventilanda superest controuersia circa hoc Ecclesiastæ paradoxum, *Melior est dies mortis, quàm dies natiuitatis.*

Vita magnum Dei munus.

Primùm enim aduertendum est, non dicere Ecclesiasten, meliorem aut optabiliorem esse mortem quàm vitam (licet id passim Ethnicorum sapientes dicere non reformident) sed id propriè didacticeque loquendo falsum est, & Christianis auribus repudiandum. Tametsi enim variis calamitatibus ac miseriis obnoxia sit vita mortalium, quis neget tamen eximium esse Dei munus, & bonorum omnium fundamentum; quæ si numquam fuisset, ne ipsa quidem æterna beatitudo potuisset homini contingere. Quinimò si quid in ipsâ morte gratum acceptumque reperitur, id neque morti adscri-

ben-

bendum est, neque ex ipsâ morte percipitur (quæ nihil nisi naturæ destructionem ac suauissimi luminis priuationem continet) sed omnis illa postuma beatitas, & beata æternitas, secundùm Deum, vitæ laudabiliter actæ accepta referenda est, & homini, non quà mortuus est, sed quà potiore sui parte immortalis est, fruenda transscribitur.

Dies mortis diei natiuitatis præfertur.

Absit igitur, vt mortem vitæ prætulerit Ecclesiastes; sed aliud est, diem mortis diei natiuitatis anteferre. Quamuis enim à die natali iucundum vitæ munus profluxerit, tantum tamen limi fæcisque trahit hæc scatebra, vt dubitandum sit interdum, plúsne suauitatis an amaritudinis ab hoc fonte promanet. Contrà verò, tametsi fatalis ille dies gratissimum vitæ lumen extinguit, alterum tamen accendit vitæ melioris, & felicitatis longè cumulatioris. Quemadmodum aurora licet astrorum nobis lumen extinguat, damnum tamen illud abundè nobiliori Solis splendore compensat.

Vita præsens plena est miseriis.

Et quidem quod attinet ad præsentis vitæ calamitates, cui non mortalium sunt exploratissimæ? Prælucente nobis inprimis facem ipso Siracide, palamque denuntiante, *Iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Vt non immeritò malorum imminentium præsagus infans quidam Saguntinus (quo anno Saguntus ab Hannibale deleta est) iam ex vtero materno natus, in eumdem protinus sit reuersus. Et quis nouit, an non omnibus idem datum sit malorum prognosticon? Certè, D. Augustino teste, dum infans non à risu sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressus sit, nesciens quodammodò prophetat. Solum, dum natus est, ferunt risisse Zoroastrem: nec illi boni aliquid monstrosus ille risus portendit, quippe nihil illi magicæ

Eccli. 40, 1.

August. lib. 21. de Ciuit. c. 14.

Plin. lib. 7. cap. 16.

artes profuerunt, quò minùs à Nino Assyriorum Rege subiugaretur. Sed latiùs adhuc ploratus huius causas explicat diuus Bernardus: In sordibus generamur, in tenebris fouemur, in doloribus parturimur: ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus, mirum quòd non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorantes edimus, vtpote in vallem lacrymarum ingressi. Et vix ingressi, de egressu monemur: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* Quinimò vt ait Seneca, ex illo die, quo primùm infans lucem vidit, iter quoque mortis ingressus est, accessitque fato propior: & illi ipsi, qui adiiciuntur adolescentiæ anni, vitæ detrahuntur. Agunt opus suum fata, nobisque sensum necis auferunt: & quò faciliùs obrepat mors, sub ipso vitæ nomine delitescit. Infantiam in se pueritia conuertit, pueritiam pubertas, iuuentutem senectus abstulit. Incrementa ipsa, si benè computes, damna sunt. Et ne tantillo spatio libera sit homini respiratio, *repletur multis miseriis.* Vt enim ægritudinis dolores præteream, ait D. Gregorius, hæc ipsa corporis nostri, quæ salus vocatur, ægritudo est. Nam otio tabescit, opere deficit: inediâ deficiens, cibo reficitur vt subsistat; refectione lassescens, abstinentiâ releuatur vt vigeat; labore vegetatur, ne quiete torpeat; quiete refouetur, ne laboris exercitatione succumbat: fatigata vigiliis, somno reparatur; oppressa somno, vigiliis excutitur, ne peiùs suâ quiete lassetur: cumque inde molestias inuenit, vnde vitare molestias quæsiuit, malè sauciata de ipso suo medicamine languescit. Adde nunc fortunæ ludibria, æmulorum calumnias, amicorum perfidiam, inimicorum violentiam; adde domestica cupiditatum bella, dum alium ambitio numquam quieta

Bernardus Serm. Feriæ iv. Maior. hebdomadæ.

Iob 14, 1.

Seneca Consol. ad Marciam, cap. 21. *Nascendo morimur.*

Greg. c. 22. in c. 7. Iob.

quieta sollicitat, alius diuitias, quas optauerat, metuit, & voto laborat suo. Quid plura? Lacrymæ citiùs nobis deerunt, quàm causa dolendi. Itaque nihil optabilius in hoc tempestuoso rerum humanarum oceano fluctuantibus, quàm portum aliquem securæ quietis occupare. Eiusmodi portum solam esse mortem, ait Seneca: quem qui inuenit, inquit, illum magna & æterna pax excepit: non paupertatis metu, non diuitiarum curâ, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur; non inuidiâ felicitatis alienæ tangitur, nec suæ premitur; nec conuitiis quidem vllis verecundæ aures verberantur: nulla publica clades conspicitur, nulla priuata: non sollicitus futuri pendet ex euentu. Tandem ibi constitit, vnde nil eum pellat, vbi nil terreat. Sen. Consolat. ad Marciam.

Hæc aliaque infinita, quæ suus cuilibet animus subjicere potest, satis manifestè adstipulantur huic sententiæ Ecclesiastæ, *Melior est dies mortis, quàm dies natiuitatis*. Sed tamen hæc nimis frigidè, nec satis neruosè à Senecâ eiusque similibus disputantur: qui cùm magno verborum apparatu mortis felicitatem amplificauerint, tandem eò dementiæ deuolunntur, vt omnem cum morte sensum exstingui, nihilque post mortem supereſſe contendant. Accipite quæso stolidam hanc Senecæ sapientiam. Quis eum non diuinum aliquem Theologum fuisset arbitratus, cùm dixit, diem mortis natalem esse æternitatis? Sed ecce quàm turpiter in Consolatione ad Marciam hallucinatus est. Mors, inquit, in illam nos tranquillitatem, in quâ antequam nasceremur iacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, & non natorum misereatur. Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut malum esse aut bonum, *Absurda Stoicorum de morte sententia.* Sen. Consolat. ad Marciam, cap. 19.

bonum, quod aliquid est: quod verò ipsum nihil est, & omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunæ tradit. Non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit: nec potest miser esse, qui nullus est. Nec minùs absurdè delirat ad Lucilium ita scribens: Ego diu mortem expertus sum. Quando, inquis? antequam nascerer. mors est, non esse id quod antè fuit, sed quale sit iam scio: hoc erit post me, quod ante me fuit. Potéstne quidquam ad solatium huius mortalitatis dici frigidius? Vbi iam superba illa philosophicæ libertatis ostentatio, cuius causâ non dico omnis vis fortunæ, sed vita ipsa, singulare Dei munus, ac propemodum Deus ipse contemnitur, si non è seruitute quisquam in meliorem statum asseritur, sed in nihilum omnino redigitur? Vbi nunc illa tam verbosè commendata pax, & æterna tranquillitas, si nullus huius tranquillitatis sensus gustúsve percipitur? Quod enim aliud brutis animantibus solatium est, quàm morte dolores omnes extingui? quæ tamen licet morbis obsita, rostro, dentibus, vnguibus, & quacumque vi possunt, fatalem à se mortis imminentis necessitatem propulsant. Naturâ scilicet magistrâ edocentur, vix tantum acerbitatis ac miseriarum in orbe reperiri, cui non multis partibus etiam mortalis vitæ bonum præponderet. Maneat igitur, iniquè à Senecâ, aliisque, qui tam turpiter circa animorum immortalitatem hallucinantur, diem natalem fatali præponi. Neque enim id quod nihil est, in contentionem cum tam eximio Dei dono potest adduci: neque generosus animus propter obuias vitæ huius difficultates ac miserias hoc tantum boni debet à se repudiare.

Idem Epist. 54.

Sed neque flagitiosis hominibus hæc, quam tractamus,

mus, Eccleſiaſtæ ſententia ſuffragatur, quos fatalis hora à paruis ad immenſa, à momentaneis ad æterna tranſmittit inferorum ſupplicia: quibus vt olim Tityj iecur in eſcam vulturis idemtidem renatum Poëtæ fabulantur, ita in æternæ mortis pabulum numquam interitura pullulat immortalitas. Tantum enim abeſt, vt mortali vitæ præferri poſſit hæc mors, vt ne cum ipsâ quidem poſſit naturali morte conferri. Nam, vt rectè notat D. Auguſtinus, nulla maior aut peior eſt mors, quàm vbi non moritur mors.

Impiis dies mortis non eſt melior die natali.

Aug. lib. 6. de Ciuit. c. vlt.

Quid igitur ſibi vult hoc ſuo paradoxo noſter Eccleſiaſtes, *Melior eſt dies mortis, quàm dies natiuitatis?* Solis nimirum illis hæc electio conuenit, quibus in æternitate repoſitum eſt aliquid hac mortali vitâ præſtantius. Qui in hac vitâ gementes, & ad feliciorem alteram adſpirantes, cum Prophetâ Iob ita philoſophantur: *Militia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies mercenarij, dies eius. Sicut ſeruus deſiderat vmbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui: ſic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Si dormiero, dicam: Quando conſurgam? & rurſum expectabo veſperam, & replebor doloribus vſque ad tenebras.* Solis inquam illis hæc electio conuenit, qui in vitâ mortem, in morte vitam contemplantur, & cum Apoſtolo in hos gemitus erumpunt: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quod cuiuſmodi ſit, latiùs explicat Hugo Victorinus. Audi, inquit, anima, qualis ſis in hoc mortali corpore. Onerata peccatis, irretita vitiis, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, diſtenta negotiis, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, ſuſpicionibus inquieta, ſollicitudinibus anxia, aduena in terrâ inimicorum, coinquinata cum

Viris probis melior eſt dies mortis quàm natiuitatis.

Iob 7, 1.

Rom. 7, 24.

Hugo Victor. lib. 1. de Spiritu & animâ, Tom. 3. Operum S. Auguſt. c. 62.

mortuis, deputata cum iis qui in inferno iacent. Si talis est animæ conditio in hoc mortali carcere, nónne meritò in hæc suspiria erumpit, quicumque vitæ laudabiliter actæ sibi conscius est, & subinde cælestes in terris delicias virtutis ac pietatis merito prælibauit: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* & cum Regio Vate: *Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, donec retribuas mihi. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Quid enim? an non his omnibus, qui sic animo comparati sunt, optabilior est dies fatalis, quàm natalis? Planè quilibet ita sentit, si modò aliquid sentit. Quod vsque adeò verum est, vt plurimi etiam hunc diem velut nuptialem extremis cruciatibus ac tormentis redimere non dubitauerint. Recordamini generosos Christi athletas, animæque magnæ prodigos Martyres. quantis in ipsâ morte lætitiis incesserunt? Quanto perfundi gaudio necesse fuit B. Ignatium, qui ad bestias damnatus, cùm rugientes audiret leones, ardore patiendi accensus exclamauit: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Quanta animi alacritas in Laurentio, cui sic in craticulâ ludere, & in mediis flammis tyranno libuit insultare: Assatum est iam satis; versa, & manduca. Quantum moriendi ardorem præ se tulit duodennis Agnes? de quâ hæc D. Ambrosius: Non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum læta successu, gradu festina virgo processit. Quæ moram etiam carnifici exprobrans, Age, inquit, quid percussor moraris? Pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo. Quid gene-

Rom. 7, 24.

Ps. 141, 8.

Psal 41, 1.

Hieron. lib. de Scriptorib. Ecclesiast.

Ambrosius lib. 1. de Virginib.

generosis illis pectoribus tantum alacritatis subiecit, nisi certa fides immortalitatis, & æternæ prælibatio beatitatis? Nos verò viles animæ, & tantis cogitationibus impares, non capimus hæc verè magna. Calinibus impares, non capimus hæc verè magna. Caligant oculi nostri ad hos soles. Quare mediocribus documentis contenti, audiamus Ecclesiasten salutaribus nos paradoxis erudientem, & à mortis consideratione ad domum funebrem nos deducentem.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 3. Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.

METRICA PARAPHRASIS.

PRVDENS memento spernere perfida
Mundi irretorto lumine gaudia:
Nec melle Circæo ferinos
Sub dominâ meretrice vultus
Lactata ducant corda. Quis abditum
Fouit cerasten innocuo sinu?
Quis insolenti impunè mentem
Lætitiæ famulam dicauit?
Exesto luxus. Quin potiùs mihi
Domus terantur limina funebris,
Quam sauciam luctu coronat
Coniferâ cypariſſus umbrâ;

Quàm nuptiales, quæ ſaliaribus
Menſas adornat deliciùs: quibus
Et myrrhinæ nubes odorem, &
Implicitæ philyrâ corollæ,
Roſæque brumæ præcocis hoſpites,
Crocique ſpirent, & breue lilium:
Queis Baſſareus vini procellis
Nauifragas imitetur vndas.
Heu! magna luctum gaudia prouocant:
Fœdasque nubes Cynthius elicit.
Hinc celat incæſtas liquore
Pampineo Cytherea flammas:
Diſcinctus illinc Threïciâ nepos,
Calente cœnâ, pugnat amyſtide,
Et lance Centauri biformes,
Et Lapithæ cyathis duellant.
Odi profanos. Quin potiùs comis
Sepulchra vulſis obſita, & obuios
Amplexor atratos, breuique
Sandapilâ recubans cadauer,
Oriſque muti docta ſilentia.
Audire tali de cathedrâ iuuat
Oracla functorum, & potentis
Flexanimæ ſine voce vocem.
Pugillus, inquit, te cineris monet
Vrnam hoſpitalem claudere corpora:
Hæc meta mortales quadrigas
Carceribus manet emicantes.
Lauros cupreſſus deprimit; & quibus
Anguſtus orbis, ſarcophagus ſat eſt.
Heu vanitas! Quid intumeſcit
Bulla tenello animata flatu,

Quæ

Quæ nata vento, vento iterùm perit?
Sic vitæ in auras ludibrium fugit.
Hæc mente voluenti subibit
Quot miseris cumulet dolores
Vis dira lethi: quamque puertiæ
Intaminatis distet honoribus
Futurus horror: dum genarum
Purpura, dum labij corallum
Liuescit, astris dum geminas faces
Flammam inuidentes lurida nox premit.
O si caducis insolescentem
Hæc moueant simulacra fati!

PROSA EXEGESIS.

PERGIT nos erudire paradoxis suis Ecclesiastes. Cùm enim aliud nihil sit antiquis viuere, quàm epulari, conuiuere, genioque indulgere; nec aliud mori, quàm mœrore contabescere; quis non miretur hoc eius pronuntiatum, *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij*? Quis enim sanæ mentis taxo & cupresso laurum floreasque corollas, atris luridisque pannis Phrygio opere texta peristromata, mœrori gaudium, inconditis clamoribus ac lamentis suauem Musicam, sandapilæ mensam, morti denique vitam posthabendam ducat? præsertim cùm non tam mali ominis videatur vox esse conuiuij, vt cum luctu aut funere debeat in contentionem adduci.

Legitimorum conuiuiorum commendatio.

Certè moderatum legitimumque conuiuium rem esse non modò honestam ac iucundam, sed sacram etiam ac religiosam, veteres arbitrati sunt. Nam Scythis olim solemne fuit per conuiuia iurare: &, Athenæo teste, omnis conuiuialis cœtus sui causam apud veteres ad Athenæus lib. 5.

Deum referebat. & Aſclepiades apud Pauſaniam, moderatum conuiuium deorum conciliabulum nominauit, ad quod non modò Heroas, verùm ipſum quoque Iouem deoſque omnes accedere poſſe credidit. Quàm autem gratum acceptumque ſit hominibus, vel ſolâ nomenclaturâ docemur. Teſtis eſt enim Clemens Alexandrinus, conuiuia non priſcis tantùm Ethnicis, ſed primis etiam Chriſtianis ἀγάπας, tamquam mutuæ inter homines charitatis non ſymbola tantùm, ſed & vincula, fuiſſe nuncupata. Quemadmodum enim forum negotiorum causâ, ait Plutarchus, ita conuiuia ad conciliandos hominum animos frequentamus: neque vllius rei nobis ſuauior in conuiuio debet eſſe guſtus (ſi modò homines ſumus, & non inſtar pecudum ad paſtum proiecti) quàm amicitiæ. Euenus olim, eodem Plutarcho teſte, ſuauiſſimum ciborum condimentum ignem eſſe pronuntiauit, Homerus ſalem diuinum, quòd multis rebus admixtus, eaſdem ſapidas grataſque reddat: alij famem optimum ciborum condimentum eſſe contenderunt: reuerà tamen diuiniſſimum cœnæ menſæque condimentum eſt amicus, qui ſuaui cordataque affabilitate conuiuas paſcat.

Cle. Alex. Pædagog. lib. 2.

Plutarchus in Præfat. lib 4. Symposiac.

Præf. 7. Sympoſ.

Conuiuiorũ abuſus.

Sed quamuis Deo hominibuſque res non ingrata ſit conuiuium; nihil eſt tamen tam ſacrum, quod non profanet humana temeritas: nihil tam ſuaue, quod non in amaritudinem vertat. Itaq; conuiuia, quæ priùs mutuæ inter homines beneuolentiæ & charitati ſeruiebant, mox vitiis omnibus fomitem ac materiam præbere cœperunt. Quid enim aliud magnifico illo conuiuiali apparatu ſpectauit Perſarum Rex Aſſuerus, quàm ſuperbam vanamque opum ſuarum oſtentationem? Quid Candidatorum olim apud Romanos in epu-

Eſther 1.

Cicer. pro Milone.

epulas ac vina profusio, nisi turpem ambitionem, & venalium suffragiorum mercatum continebat? Quid dicam fœdissimum illud luxus & ingluuiei certamen inter Antonium & Cleopatram apud Macrobium, inter Stratonem & Nicoclem apud Athenæum? Vultis Veneres & prostibula? quantum istiusmodi portentorum videre fuit in illis verè funestis epulis Caligulæ & Heliogabali? Vultis etiam cædes & sanguinem? Dabo cœnas Agamemnonis, & in iis Regum Regem adulteri manu obtruncatum: dabo Thyestæas epulas, & in iis filiorum carnes à parente deuoratas. Et ne quis fortasse hæc fabulis accensenda existimet; nónne Astyages Rex Medorum Harpago secretorũ suorum conscio, & consiliorum participi proprium filium epulandum apposuit? nónne Absalom Amnonis fratris sanguine regales epulas funestauit? Infinita sunt istiusmodi tragicorum conuiuiorum exempla: vt nunc ea, quæ minoris sunt improbitatis, omittam, & in iis temulentiam, ventrisque seruitutem, ebriorum rixas & conuitia, patrimoniorum dilapidationes, ac dispendia rei familiaris: quæ subinde tanta sunt, vt Thyestæas epulas quodammodò repræsentare videantur, dum nescio quis helluo, prodigus, decoctor, vxoris ac filiorum carnem ac sanguinem deuorat, id est, facultates omnes ac necessaria vitæ subsidia abdomini suo consecrat. Quæ cùm non raris ac tragicis aliquot exemplis, sed quotidianis vitiis & frequentissimis flagitiis sint comprobata, nónne meritò pronuntiauit Ecclesiastes, *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij?*

Macrobius lib. 3. Saturn. c. 17.

Athenæus lib. 12.

Iustinus l. 1. c. 5.

2. Reg. 13, 28.

Quid enim tam luctuosum reperiri potest in domo luctus, quàm hæc verè deploranda? quid tam funestum, quàm hæc viua funera? Nam cetera quidem, quæ in domo

Domus funebris commendatio.

domo funebri reperiuntur, documento nobis sunt potiùs & consilio, quàm dolori: *in illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.*

Cœna lugubris Domitiani. Xiphilinus in Domitiano.

Quare si cum conuiuiis instituenda comparatio est, ceteris repudiatis, vnicum Domitiani conuiuium cum domo funebri in contentionem venire posse iudico, quod hoc modo primis Patritiorum & Equestris ordinis apparari iussit. Conclaue erat laquearibus, pauimento, parietibus atratis, & in eo nuda sedilia. Huc singulos absque comitibus nocte iubet introduci, ac primùm iuxta vnumquemque columnam collocat instar cippi sepulchralis, in quo nomen eius scriptum erat, pendebatque ex eâ lychnuchus paruulus, vt assolet in monimentis. Tum nudi pueri atramentoque obliti tamquam spectra quædam ingrediuntur, eosque horribili saltatione circumeunt, eoque facto, ante ipsorum pedes consistunt. Ad extremum omnia, quæ in exequiis mortuorum adhiberi solent, in vasis eodem modo eis appositа fuerunt. Cœna interim peragebatur magno omnium silentio, vt qui timore pæne exanimati essent, Domitiano insuper sermonem de iis quæ ad mortem ac funera pertinent, super mensam ingerente. Hoc ille salutare sibi ac Senatoribus documentum parauerat, nisi ad extremum risum potiùs quàm sapientiam captasset. At in domo funebri nihil fictum aut fucatum; sed è sarcophago, velut è cathedrâ, mutum cadauer, quouis Oratore disertiùs perorat, nobisque certam communis naturæ conditionem persuadet: Nullum ab hac fatali lege exemptum: hoc esse debitum ab vnoquoque naturæ tributum: hac lege nos in vitam ingredi, vt pares cum vitâ passus mors ipsa promoueat: quotidie partem aliquam de vitâ decerpi: ac

tum

tum quoque dum crescimus, vitam decrescere: diu nos ad mortem venire, semel peruenire: quando autem peruenturi simus, incertum esse: neque enim, vt fieri solet in militari delectu, secundùm ætatem citari nos è tabulis censualibus, sed à solo Dei nutu pendere diem supremum.

Quæ cùm docemur, simul illud etiam animaduertimus, quantæ temeritatis sit, dignos pœnitentiæ fructus, ac melioris vitæ consilia in seram, & fortè numquam venturam differre senectutem. Dic enim, obsecro, quid longa vitæ spatia metiris, cùm nullum vitæ momentum in tuâ sit potestate? veniet fortasse tempus, cùm horridæ noctis conticinio citatus, inducias in crastinum petas, nec impetres. Certè nullas Baltasar obtinuit, intempestæ noctis comessatione in ruinam Imperij conuersâ. Certè nullas impetrauit Holofernes, qui somno vinoque sepultus, breues vnius noctis tenebras coniunxit æternis: nullas temulentus Amnon accepit, nullas infamis parricida Absalom; vt sexcenta alia, nimis, heu! luctuosa prætermittam. Sed demus aliquem certiorem esse redditum, ad effetam se planeque decrepitam senectutem peruenturum, quid animi aut vigoris huic depontano supererit, vt cacodæmonis laqueos, quibus se toto vitæ decursu intricauerit, perfringere possit? Quid, inquam, animi supererit ad confligendum *aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum*, cùm effeto corpore vita doloribus & ærumnis fatiscet, cùm domesticorum lacrymæ omnem ad se cogitationem rapient, cùm acerba illa separatio animo obuersabitur, cùm putredo & vermes in oculos incurrent, cùm longa illa & nimis metuenda æternitas, & Iudicis furor, & inferni carceris

Pœnitentia non est differenda.

Dan. 5, 30.

Ephes. 6.

horror miſerum in mille curas diſtrahent? Ex quibus liquidò conficitur, nihil magis nobis curæ eſſe debere, quàm vt decretorium illud ſecuturæ æternitatis momentum, aut innocentiâ vitæ, aut admiſſorum criminum pœnitudine præuertamus.

Mortis palatiũ optima ſchola.

En quàm ſalutaria documenta à ſarcophago ac ſandapilâ, tamquam funeſtæ domus cathedrâ, quilibet ſalutis ſuæ ſtudioſus referre poſſit. Sed nimis anguſta eſt intentioni meæ (forſan & Eccleſiaſtæ) vna quælibet priuata domus funebris. Fingite potiùs animo, (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ) fingite, inquam, animo ampliſſimum mortis palatium, & in eius parte quadam neſcio quem ex infelici trabe pendulum, in aliâ cadauer vermibus arroſum; alibi pulchram faciem putredine diſſolutam, alibi vrnam cinerum: & fallor, niſi veriorem aptioremque ſapientiæ ſcholam hîc inueneritis, quàm in horrido Academi luco fabricauit Plato.

Mortuorũ contemplatio antidotum eſt aduerſus peccata.

Inuenietis, inquam, hîc ſaluberrimum animæ pabulum, & præſentiſſimum aduerſus quælibet peccata antidotum. Quis enim tam proiectæ reperietur audaciæ, vt impias in Deum blaſphemias audeat eructare, ſi vermibus ſcatens Antiochi cadauer oculis ſubiecerit? Quis ambitione ſuperbiaque inſoleſcet, cùm viderit Amanum ab infami trabe ſuſpenſum? Quis abdomini gulæque ſeruiet, ſi meminerit Vitellium vnco tractum, ac minutatim diſcerptum?

2. Machab. 9, 9.

Eſth. 7, 10.

Sueton. in Vitellio.

Speculum delicatorum in morte.

Et vt quædam enucleatiùs exponam, introducamus ad ſpectaculum putridi fœtidique cadaueris in primis eos, qui in deliciis & voluptate ætatem degunt, qui toti ſunt in cute curandâ: quis poterit iis eſſe deliciarum guſtus, quas in ſtomachum tranſmiſſas, mox abominanda fœditas occupabit? quid proderit tam impenſa corpo-

corporis cura, quod mox futurum est esca vermium? Perculit ea consideratio, prout decuit, delicatulum illum, cuius meminerunt Annales Ordinis Prædicatorum. Hic cùm omnibus deliciis affluentem ac dissolutam ageret vitam, nullumque sibi de morum mutatione verbum fieri pateretur, Religiosus quidam eum comiter inuisens, ad extremum in digressu vnicum illum ex Isaiâ versum protulit: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Qui versus ita eum pupugit, vt iam nihil animo voluere posset, quàm vermes illos, & illas tineas. Quin etiam cùm molestam hanc recurrentium cogitationum interpellationem variis ludis fallere, & æqualium solatiis abstergere conaretur, adeò nihil proficiebat, vt etiam magis magisque adhæresceret, & idemtidem recurrerent illi vermes, & illæ tineæ. Quare hoc reputans, Si ipsa cogitatio huius horroris ac fœtoris tam esset intolerabilis, quantò fœdior ipsa res ac grauior esset futura; Deo tandem vocanti manus dedit, eiusque se obsequio, deliciis abdicatis, mancipauit.

Vide Platũ l. 3. de Bono stat. Relig. c. 38.

Isa. 14, 11.

Sed ne huic vni immoremur, alios etiam in palatium mortis introducamus. Accedant igitur illi, qui tam facilè è formoso vultu libidinis flammam concipiunt, & velut in speculo mortis contemplentur formosam Iezabelem, non illam quæ fuerat quondam, pellacibus oculis, lasciuiente gestu, miniata & cerussata, oculis stibio depictis, toto denique corporis habitu cultuque ad lasciuiam composito; sed qualis Deo vindicante comparuit, cùm imperio Iehu è fenestrâ præceps data, sanguine cerebroque lapides adsperserit, & mox à canibus dilaniata, vix ossium tenues reliquias ad spectaculum reseruauit. Intueantur hoc speculum libidinosi, & cum

Speculum libidinosorum in morte.

4. Reg. 9. 37. ſtupore dicant, *Hæccine eſt illa Iezabel?* & immorentur diutiùs, iterumque ac ſæpiùs repetant, *Hæccine eſt illa Iezabel?* I nunc, & amorem putridi cadaueris amori diuino præpone. Sed breuitati conſulendum eſt.

Speculum ſuperborum in morte.

Itaque ſuperbos nunc ad hæc ſpectacula introducamus: qui, ſi purpurâ ac byſſo, gemmiſque & auro conſpicui in publicum prodierint, ceruicem erigunt, ſupercilium fingunt, ceteros velut vmbras minores præ ſe deſpiciunt. Heu! quàm vana ſint hæc omnia, mors facilè perſuadet. Quid enim veſtes pretioſæ, quibus ad faſtum abutuntur, ſunt aliud, quàm mortis ſpolia? Certè magnus ille Sultanus Ægypti Saladinus ex omni pretiosâ ſupellectili, inſignibuſque Imperatoriis, non purpuram, non paludamentum, non torques, non diadema, non monilia, ſed vnicum ſe pannum funebrem ſepulcro illaturum eſſe, publicâ præconis voce per caſtra promulgauit. Quid dicam de Maieſtate, ſummique Imperij dignitate, quàm hæc nihil ſit, mors ſola confitetur. Accede, ſi placet, ad Regum Principumque tumulos, & vide, an aliqua dignitas oris, an aliqua maieſtas oſſium, an aliquod pulueris diſcrimen, an putredinis maius aliquod pretium, quàm in plebeiorum ſepulcris inueniatur. Nullum, ni fallor, inuenies. Quemadmodum enim (vt eleganter cecinit Maphæus Barberinus, nunc Sanctiſſimus Eccleſiæ Pater Vrbanus VIII.)

Platina in Cæleſtino III.

Maphæus Barberinus in Poëmat.

Ingentem ſubitus ſiluam dum corripit ignis,
Confundunt cineres quercus, humileſque myricæ;
Sic cunctos extrema dies inſignibus æquat.

Certè nullum priſtinæ maieſtatis indicium inuenit noſter Franciſcus Borgia in Iſabellâ Auguſtâ Caroli V. defunctâ coniuge: cuius cadauer Illiberim transferendum

Schottus in Vitâ Borgiæ.

dum cùm in suam fidem recepisset, peracto itinere, aperto loculo, qui testaretur illam ipsam esse Augustam, ex toto comitatu repertus est nemo. Nam cùm moriens, quâ erat verecundiâ, mandasset, ne quis cadauer attingeret, aut aromatibus condiret; mox æstu Hispanico in putredinem diffluens ita deformis apparuit, vt spectantibus stuporem simul incuteret & horrorem. Tum Borgia tacitus hæc secum: Hæccine illa sunt lumina, quæ omnium in se oculos conuertebant? hæc maiestas illa, quæ nutu regna concutere videbatur? Túne Isabella? túne Augusta? Fallunt oculi? aberrat mens? sed non fallunt. Nimirum hæc est rerum humanarum vicissitudo. Hæc spectacula domus funesta nobis suppeditat, hæc documenta suggerit. Quæ cùm tanti sint ad æternitatem momenti, præclarè dixit Ecclesiastes, nullum esse in orbe tam lautum conuiuium, nullas tam opiparas dapes, quæ tantum animæ nostræ palato, atque hæ funebres epulæ, sapere debeant. Sed sequamur porrò Sapientis nostri vestigia, ludicra seriis, iucunda seueris posthabentis.

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 4. Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.

5. Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia.

6. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.

7. quia ſicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub ollâ, ſic riſus ſtulti: ſed & hoc vanitas.

METRICA PARAPHRASIS.

VT regno pluuij Iouis
Nimbis turgida nubila
Arctoi Boreæ rigor
Acri flamine diſſipans
Detergit liquidum æthera;
At contrà imbricitor Notus
Leni murmure ſibilans
Subtexit nebulis polum,
Aſtrorumque operit faces:
Sic frons triſtior adſpici,
Et riſu potior, graui
Regnans ore ſeueritas,
Obiectu ſcelerum hiſpidis
Tergit nubila mentibus,
Nec Suadæ eloquio eſt opus,
Vt per praua ruentium
Frænet præcipites gradus.
Sat cenſore oculo increpans,
Mutâ voce loquacibus
Maieſtate ſupercilI
Pondus nutibus adiicit.
At vultus hilares nouum
Semper parturiunt ſcelus,
Dum laus dira patrantibus
Blanda interuenit obſtetrix,
Applauſuque alitur nefas.
Quis vos, ô ſtolidi, furor

Hor-

Hortatur puerilibus
Mentem pascere risibus?
Quis ludos gerulæ, & iocos,
Et plausus melimelaque,
Sectarique crepundia?
Nescitis, sapiens quibus
Sese deliciis beet?
Virtus lætitiæ insolens
Rebus pascitur arduis.
Per lugubria funerum,
Per ludibria temporum,
Præclarisque laboribus
Iunctas inuidiæ faces,
Affectat sapiens polos.
Illi pectora circuit
Custos iustitiæ rigor:
Illi gaudia parturit
Luctus lætitiæ parens.
At cor stultitiæ dapes
Inter & Bromium natat:
Nil dignum fatuus viro
Molitur, nihil arduum
Designant resides manus.
Per lusus, veneres, iocos,
Æuum degener exigens,
Hoc se suspicit vnico
Regum culminibus parem,
Si stultum populi fauor
Fausto murmure luserit.
Quam non perniciem ingerunt
Voces blanda canentium,
Venalisque loquacitas,

Cùm

Cùm dant auribus omnia,
Nil cordi? O Procerum luem,
Sceptrorumque potentium!
Hoc fastigia Principum
Fido subsidio carent,
Libertate monentium;
Et queis omnia suppetunt,
Vna hos destituit fides.
Ah! ne me similis furor
Vulgi flatibus incitum
Per ludibria fluctuum
Turpi naufragio obruat.
Discerptum potiùs iuuet
Flagris à Sapientiæ
Vitam ducere vulnere,
Quàm popysmate decipi
Stulto stulta canentium.
Nam quid blanditiæ obstrepunt
Casso iudicij sono?
Vt flammæ populans fragor
Imbellem stipulæ struem,
Spinarúmve loquacium,
Nil præter strepitum ciet;
Sic fucata loquacitas,
Quæ passim vitio fauens
Puluillos cubito adsuit,
Aures iustitiæ indigas
Casso murmure verberat.
An non hæc quoque vanitas?

PROSA

PROSA EXEGESIS.

ALIVD ad institutionem nostram paradoxum è proximo sumit Ecclesiastes: paradoxum, inquam, si verborum corticem potiùs quàm nucleum spectemus. Quid enim attinet iram præ risu lætitiaque commendare, si, vt infrà docet, *ira in sinu stulti requiescit?* Versu 10. aut, vt priscus Cato, iratus non nisi tempore distat ab insano? Sanè si Senecam audimus, nihil moderatum suadet hic affectus: totus in impetu doloris est: armorum, sanguinis, suppliciorum minimè humanâ furens cupiditate: dum alteri noceat, sui negligens, in ipsa irruens tela, & vltionis secum multa tracturæ auidus. Quidam, inquit, è sapientibus iram dixere breuem insaniam; æquè enim ac illa sui impotens est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in id, quod cœpit, pertinax & intenta, rationi consiliisque præcluſa, vanis agitata causis, ad despectum æqui verique inhabilis, ruinis simillima, quæ super id, quod oppressere, franguntur.

Ira breuis insania est.

Sen. lib. 1. de Irâ, c. 1.

Quare magnopere succenset Aristoteli asserenti, necessariam quandoque esse iram, nec quidquam sine illâ expugnari posse, nisi illa impleat animum, spiritumque succendat. Itaque illam pro armis esse iis qui benè vtantur. Quod, inquit, verum foret, si velut bellica instrumenta sumi ponique posset inuentis arbitrio. Hæc autem arma, quæ virtuti dat Aristoteles, ipsa per se pugnare, nec expectare manum. Adde, quòd ad ardua quælibet capessenda satis ipsâ ratione est instructa natura, nihilque stolidius excogitari potest, quàm hanc ab iracundiâ petere præsidium: rem stabilem ab incertâ, fidelem ab infidâ, sanam ab ægrâ. Sed neque ad corri-

An opus sit irâ ad ardua suscipienda.

Idem c. 16.

piendum aut increpandum irarum ſtimulis eſt opus: nam & verborum acrimonia, à ratione quàm ab irâ profecta, pungit vehementiùs; multoque certiùs ſedatus animus, quàm turbulentus, ſceleribus ſupplicia decernit. Vnde Hieronymus, Rectè, inquit, laudatur illud Architæ Tarentini, qui cùm villico ſuo iratus eſſet, Iam te, inquit, cæderem, niſi iratus eſſem. Itaque ſi noxio præcidenda ceruix, aut inſuendus in culeum parricida, ſedebit pro tribunali Iudex non furens aut frendens, ſed vultu ipſius legis, quæ iis quos non nouit, imò numquam futuros ſperat, iraſci non poteſt: & illa ſolemnia verba, *Lege age*, ſeuerâ magis & graui, quàm rabidâ voce concipiet. His ſimilia pro Stoicâ ſuâ apathiâ diſputat Seneca.

Hieron. in Ioëlem.

Sed ſiue hæc vera ſunt, & omnis iræ affectus à correptione fraternâ eliminandus eſt, ſiue moderatio potiùs affectuum adhibenda, & immodica tantùm in vitio habenda ſunt (quod magis conforme eſt Philoſophiæ Chriſtianæ) ad mentem Eccleſiaſtæ nihil intereſt, qui eamdem hîc iram vocat, quam Seneca ſeueritatem: & hoc vnum contendit, ſeuera ac triſtia ſapientum monita lætis ac ſuauibus adulatorum ludibriis præponderare. Nam, vt alibi docet, *meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* Plutarchus hoc inter monita amicorum, & aſſentatorum plauſus intereſſe ſcribit, quod inter vnguenta & pharmaca: quemadmodum enim vnguenta tantùm ad oblectationem luxumque comparata ſunt, pharmaca ſalutem & incolumitatem ſpectant; ſic adulatores auribus tantummodò lenocinantur, ſapientes autem & amici cordati hoc agunt,

Seuera ac triſtia lætis blandisq; præferenda

Prou. 27, 6.

Plutarch. de Diſcrim. adul. & amici.

Iuuenalis Sat. 10.

——— *vt ſit mens ſana in corpore ſano.*

Quis

Quis autem dubitet, vtilia dulcibus, seria ludicris, solida adumbratis anteferre? Quis tali gaudeat oblectatione, quam pernicies consequatur? aut quis illam repudiet acerbitatem, quâ salus animique vigor instauretur? Aiunt vespas oleo immersas confestim emori, eastdem verò mox aceto dilutas reuiuiscere. Sic acria plerumque ingenia blanditiis & adulationibus deprauantur: quæ si paulò seueriùs tractentur, & vigent iucundiùs, & proficiunt vberiùs. Quare magnopere mihi semper arrisit illud Regij Prophetæ votum, *Corripiet me iustus in misericordiâ, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vtrumque sapienter, cùm ex hoc extrema pernicies, & illo fructus incredibilis redundet.

Basilius in Hexaëm. Hom. 8. Vide Caussinum Polyhist. Ps. 140, 5.

Dico pernicioſum esse *stultorum adulatione decipi.* Ac geminam quidem hac in re perniciem deprehendo, extremam scilicet iudicij cæcitatem, vel potiùs dementiam, & morum corruptelam. Quod ad dementiam animique cæcitatem attinet, opportunè monet Antisthenes, minùs pernicioſum esse in coruos quàm in adulatores incidere: quòd hi viuentibus, illi mortuis oculos eruant. Cùm enim nimiùm sibi quisque placeat, facile est adulatoribus amori proprio fucum facere, vt non tantùm propriis laudibus, quarum vix vmbras habet, ornari se quisque patiatur, sed etiam arroget alienas atque indebitas. Quid, obsecro, Xerxem Persarum regem bellum Græcis inferentem dementauit, ac in exitium impulit, nisi stulta Principum adulatio? cùm alius diceret, non laturos nuntium belli, & ad primam aduentus eius famam terga versuros: alius, illâ mole non vinci solùm Græciam, sed obrui posse, verendum ne vacuas vrbes desertasque inuenirent, &, profugis

Stobæus Serm. 11. *Adulatio mentem excæcat.*

Sen. lib. 6. de Beneficiis, c. 31.

hoſtibus, vaſtas ſolitudines, non habituri vbi tantas vires exercere poſſent: alius, illi vix rerum naturam ſufficere; anguſta eſſe claſſibus maria, militi caſtra, explicandis equeſtribus copiis campeſtria, vix patere cælum ſatis ad emittenda omni manu tela. Sed quàm vana dederint adulatores iſti gaudia, mox tanti exercitus diſpendio, & illâ Scriptorum omnium monimentis decantatâ clade cognouit. Nimirum *ſicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub ollâ*, inquit Sapiens, *ſic riſus ſtulti*: quemadmodum, inquam, ignis è leui ſpinarum ſtipulâ lebeti ſubiectus impar eſt coquendis carnibus, aut ſolido calori ſuppeditando, ſic adulatio planè futilis eſt & inefficax, vt ab illâ ſolido gaudio cor incaleſcat.

Adulatio morum corruptelam inuehit.

Alterum exitij genus eſt morum corruptela. Sequitur hæc peſtis eam, quam modò dixi, animi cæcitatem. Cùm enim honeſtiſſimum, quod eſt in vitâ, corrumpat adulatio, id eſt veram laudem, iuſtiſſimum virtutis præmium; & ſuppoſito, vt ita dicam, aurichalco, auream ſapientiæ monetam adulteret; facilè vitia pro virtutibus obtrudit. Libenter enim nobis ipſis indulgemus, & quidquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit, tamquam debitum vſurpamus. Optimos nos & ſapientiſſimos affirmantibus aſſentimur, cùm ſciamus hæc auribus dari. Nec deſunt qui indebitas laudes admittant, etiam cùm maximè contraria faciunt. Mitiſſimus ille in ipſis ſuppliciis audit, in rapinis liberaliſſimus, in ebrietatibus ac libidinibus temperantiſſimus. Et quis ambigat, quin vitia virtutum nominibus ita palliata latiùs ſerpant, & faciliùs propagentur? Quis credat Neronem in tale ac tantum naturæ monſtrum euaſurum fuiſſe, niſi tot paraſitos vitiis ſuis applaudentes inueniſſet? Cùm enim vix hominum numero cenſeri poſſet,

posset, inuenit Tiridatem Armeniæ Regem, qui Neronem suum Deum & sua fata diceret. Nempe à Corbulone in regnum restitutus erat, & vicies centena aureorum millia acceperat, vt Cæsarem hoc fuco adulationis ornaret. Tac. lib. 13.

Adulatores quos laudant, irridet.

Et verò, quid aliud propositum est parasitis, sycophantis, ceterisque adulatoribus, nisi vt illos ludibrio exponant, quos immodicis in cælum laudibus extollunt? Ne credas, inquit Hieronymus, laudatoribus, immò irrisoribus ne aurem libenter accommodes: qui cùm te adulationibus fouerint, & quodammodò impotem mentis fecerint; si subitò respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curuari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam. Hieronymus Epist. ad Rustic.

Quantò optabilior est amica sapientis reprehensio? quæ, vt ait Clemens Aiexandrinus, veluti chirurgia quædam est affectionum animi: vti etiam medicæ potioni quandoque similis est probri insimulatio, quæ resoluit affectiones quæ iam occalluerunt, impudicæque & libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastumque ac superbiam deprimens, verum sanumque hominem sibi reddit ac Deo. Quàm opportuna fuit B. Monicæ acerba illa ancillæ exprobratio, cùm meribibulam vocaret? non tantùm fortassis ad morum conformationem seria cohortatio valuisset. Clc. Alex. lib. 1. Pædagog. c. 8.

Reprehensio adulatione potior.

Augustinus lib. 9. Confess. c. 8.

Hæc autem reprehensio nemini magis optanda, quàm cuius felicitati passim omnes adulantur. Rarò felici vera contingit amicitia: plerique fortunam eius colunt: & cùm operosâ adulatione in eius se beneuolentiam insinuent, non cogitant quàm facile sit gratiam referre felicibus. An quæris, quâ potissimùm ratione?

Sincera reprehensio felicibus optanda.

Sene.lib.6. de Benefic. c.33. Dic illis, ait Seneca, non quod volunt audire, sed quod audisse semper volent. Plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret. Effice ne felicitati suæ credant. Parúmne in illum contuleris, cui fiduciam permansuræ semper potentiæ excusseris, docueriſque mobilia esse quæ dedit casus, & maiore cursu fugere quàm veniunt? Nescis quantum sit pretium amicitiæ, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum.

Etiam inimici reprehẽsio quandoq; vtilis. Sed ne inimici quidem admonitio aut reprehensio semper repudianda est. Quid enim refert quâ manu medicum mihi poculum porrigatur, dummodò optata sanitas inde consequatur? Rectè dictum est ab Antisthene apud Plutarchum, ad salutem & incolumitatem tuendam opus esse aut amicis ingenuis, aut acribus inimicis: quòd illi, dum admonent peccantes, hi, dum maledicunt, à vitiis reuocant. Sed quoniam hoc tempore ad liberè loquendum pænè vocem amisit amicitia, loquax autem est assentatio; supereſt vt ab inimicis verum audiamus. Nam vt Telephus, cùm Medicum nanciſci non posset, vulnus hostili lanceæ submisit: sic ij, quibus non adest beneuolus admonitor, maleuoli inimici verba ferant oportet, quæ ipsorum delicta castigent. Quæ res cùm inciderit, reprehensionem ipsam spectare conueniet, non animum maledicentis. Quemadmodum enim is, qui Prometheum Thessalum cogitabat occidere, casu tuber ita percussit atque dissecuit, vt seruaret hominem, ruptoque tubere, periculo & fœditate liberaret: ita non rarò fit, vt conuitium per odium & simultatem impactum medeatur animi morbo vel ignorato vel neglecto.

Plutarchus lib. de Vtilit. capiend. ex inimicis.

Quæ tametsi præclarè à Plutarcho animaduersa sunt, & promiscua reprehensio subinde ad salutem conducit,

ducit, multum tamen interesse docet Ecclesiastes, quis reprehendat, dum ait, *Melius est à sapiente corripi.* Nam & adulatores nonnumquam assumptâ seueriori personâ corripiunt, sed in nugis tragœdias excitant. Et quemadmodum in Menandri Comœdiâ falsus Hercules inducitur clauam gestans, non grauem, nec rigidam, sed molle quoddam & inane figmentum: sic assentatoris libertas mollis est & inefficax, & reprehensio futilis, carpens scilicet res quasdam leuiculas, & grauissima animi vulnera dissimulans. Hunc in modum adulatores olim Ptolemæo (cùm discendi cupidus videretur) de linguâ, de versiculo, de historiolâ digladiantes, ad mediam vsque noctem reluctabantur; at verò fœuienti, tympanis vtenti, vectigalibus populum opprimenti, nullus ex omni numero resistebat.

Adulator quandoque personam sumit monitoris, sed in nugis.

Deinde non semper opportuna est inimici reprehensio: non rarò etiam mentem exasperat, pudorem pessumdat, odia & vindictam excitat. At sapiens in occasionem excubat, & opportunis occurrit remediis: nec lapsis continuò insultat, sed ipse per ambages in animum sese insinuat; obseruans illud B. Nili: Cùm aberrantem corrigis, verba misceto commiserationis: sic enim aures emolliuntur, & cordi lumen accenditur. Certè nutrices pueris in lutum inconsideratè cadentibus non accurrunt, vt verberibus illos aut maledictis onerent, sed erigunt, abluunt, consolantur; sed postmodum tandem obiurgant & castigant. Nec pueris tantùm conuenit ea reprehensionis ratio, sed viris etiam grata est atque opportuna per ambages in animum delapsa insinuatio: imò Regibus inprimis ac Magnatibus, qui tantò minùs reprehensionis sunt capaces, quòd omnia sibi concessa arbitrantur. Enituit hac

Sapiens opportunè reprehendit.

Nilus Episcopus Decad. 11. Paræneſi 17.

hac in parte ſingularis induſtria Prophetæ Nathan; qui Dauidem adulterij ſimul atque homicidij reum ſeuerâ oratione caſtigaturus, quàm appoſitè in animum eius ſeſe inſinuauit? Nempe velut aliud agens commiſerationem mouit erga hominem vnicâ ouiculâ, quam ad ſolatium ſuum nutrierat, ſpoliatum, & furorem aduerſus diuitem eiuſdem ouiculæ raptorem. Cumque eò Dauidem adduxiſſet, vt in improbum illum excan-
2. Reg. 12, 5. deſcens, exclamaret, *Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc*, ita ſuo ipſius præiudicio damnatum aggreſſus eſt: *Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ego vnxi te in Regem ſuper Iſraël, & dedi tibi domum domini tui, & vxores domini tui in ſinu tuo: & ſi parua ſunt iſta, adiiciam tibi multò maiora. Quare ergo contempſiſti verbum Domini, vt faceres malum?* & quæ deinceps ſummâ vehementiâ perorat. Quid plura? tam potenter in animum Regis penetrauit, vt ſummâ pœnitudine compunctus exclamarit, *Peccaui Domino.* cui Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* Tam certum ſalutis præſidium in opportunâ ſapientis reprehenſione conſtitutum eſt. Procul hinc igitur cum fucis ſuis ac figmentis adulatio: quam ſatis proſcripſit Eccleſiaſtes, cùm eam in lucem protraxit, & cum amicâ ſapientis correptione in contentionem adduxit. Sed ne quid hac in parte intactum aut inexploratum prætereat, diſcuſſo periculo, quod ab adulatorum blanditiis impendet; nunc ad oppoſitum vitium digreſſus, quantopere ſapientis animum aperta calumniantium improbitas perturbet, ſubiungit.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 8. Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.

METRICA PARAPHRASIS.

NON sic furenti tumida deprensam salo
Ratem procella quassat, aut turbo implicat,
Cùm Zephyrus Euro certat, & Boreæ Notus,
Dubiáque pendet vnda quem dominum vocet:
Non sic aquoso fulmen elisum sinu
Cerauniorum culmina adflatu quatit;
Vt maior vndis, sæuior telo Iouis,
Calumniarum turbo sapientem rotat.
Miseranda virtus! præmium quoties sui,
Quoties laboris munus exhausti refert
Linguæ impotentis spicula, & fædâ lue
Opprobriorum petitur immeritum caput.
Non illa vanis plausibus quidem tumet,
Sed nec secures publicæ sperat rei
Popularis vrnæ calculo: fuco procul.
Adulterino, luce claresçit suâ.
Sed neque probrorum fæce virtutis decor,
Aut obsoleſcit sparsus infami luto
Mendaciorum. Lingua, necquidquam furis.
Liuore nemo teste censetur nocens.
Sed tamen vt atrâ nube condensus vapor
Prætexit astra, & Solis auricomi iubar
Vitale terris inuidet; sic luridis

Dum fœta probris odia virtutum decus
Calumniarum nubilant caligine,
Hebescit acies lucis, & Sophiæ nitor
Radios resorbet: fructus hic vitæ interit
Prodesse cunctis: robur oppressum iacet,
Pronisque habenis rapidus, ac metæ imminens,
Sufflaminatus gloriæ cursus perit.
Quis tanta segni mente prætereat mala,
Vt non labantem iustus expugnet dolor?
Tutetur vsque pectus æs triplex, tamen
Pereat necesse est cordis infracti vigor.
Fertur pudicus Atticæ Hippolytus decor,
Dum se nouercæ extricat incæstis plagis,
Furiis amantis actus, & diris patris,
Flexisse biuges littore Ægæo rotas:
Cùm subitò in astra turgidum creuit mare,
Ac tauriforme Tethys è grauido sinu
Monstrum profudit. Ilicet rupto iugo
Sonipes vterque soluit imperia, & viam,
Quà terror aperit, deuio carpit gradu.
Hic tandem habenis victus Hippolytus ruit,
Tenerumque frænis corpus implicuit miser,
Raptusque per virgulta, per acutos rubos,
Laceris cruentas artubus sparsit vias,
Omnique trunco corporis spolium dedit.
Miserande iuuenis, quo (malùm!) freto edita
Serena pristis ora fœdauit tibi?
Lacerum cadauer clamat atque insons cruor:
Calumnia, & non pristis, hoc monstrum fuit.

PROSA

PROSA EXEGESIS.

VERE calumnia, & non monstrum aliquod marinum, Hippolyti famam vitamque lacerauit? quamquam non iniuriâ Mythologi hanc monstri alicuius lineamentis & coloribus adumbrari posse crediderunt. Quod enim monstrum tam crudeliter vmquam in obuios quosque sæuiisse compertum, quàm calumniatoris lingua in perniciem generis humani grassata est? Quid dico monstrum vnum? ne exercitus quidem numerosissimi tantum sanguinis humani profuderunt. Nemo peritorum existimet, inquit Augustinus, quòd minus sit periculum in verbis linguâ mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo. *Multi ceciderunt in ore gladij*, ait Siracides, *sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* Si multi per linguam suam, infinities certè plures per alienam; cùm vnius calumniatricis linguæ spiculo magnam sæpè stragem editam lugeamus. Valeriæ cuidam Dentatæ (sic dictæ, quòd cum dentibus nata esset) illud fatale esse aruspices pronuntiarunt, quòd exitium allatura esset illi ciuitati, in quam deportaretur. Et vaticinio respondit euentus in Suessâ Pometiâ florentissimâ tunc ciuitate, in quam deportata est. Ego verò exitium illud Valeriæ adscriptum fortuiti potiùs casus, quàm fatalis alicuius noxæ esse dixero. Illud tamen minimè fortuitum est, quòd in quemcumque hominum cœtum Dentata calumnia irruperit, omnia tumultu ac dissensione misceat, ac tandem certam ei perniciem moliatur. Vt non immeritò cum stomacho exclamauerit D. Bernardus: Proditores fiunt, quicumque in hoc Domini castrum inimicos eius introducere moliuntur, quales sunt vtique detra-

Calumnia quàm pernicioſa.

Augustinus citatus 11. q. 3. c. Nemo.

Eccli. 28, 22.

Plin. lib. 7. c. 16.

Bernard. 6 Serm. 3. de Dedic. Eccles.

ctores Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordiâ locum fieri diabolo manifestum est. Non miremini, fratres, si duriùs loqui videor; quia veritas neminem palpat. Omnino proditorem se nouerit, si quis fortè, quod absit, vitia quælibet in hanc domum conatur inducere, & templum Domini speluncam facere dæmoniorum.

Calumnia in aulis Principum maximè versatur.

Sed rariùs in Religioso cœtu grassatur hæc pestis: in aulis ferme Principum sedem figit, & in illis optimum quemque sibi victimam designat. Cùm enim ex inuidiâ alienæ dignitatis aut eminentis cuiusdam virtutis calumnia nascatur (miseris enim & abiectis nemo inuidet) aut maioris alicuius depressione eminere conatur, aut alienæ probitatis atque innocentiæ obtrectatione virtutis opinionem aucupatur. Denique magnum sit oportet & illustre quod æmulationem prouocet, è quâ deinde calumniarum seges vberrima nascatur.

Calumnia vix compescitur.

Et quis compescat maledicas has linguas, quibus non minùs familiare est calumniam, quàm spiritum ipsum alterno pulmone diffundere? Nemo certè, nisi qui vitæ spiritum intercluserit. Faciliùs enim ventos vtribus clauseris, faciliùs imbres in ipso nubium sinu colligâris, quàm inimico in pectore calumniam.

Nonnulli calumnias superbè contemnũt.

In hac tantâ calumniandi libidine quæri potest inprimis, quo animo sapiens calumniis circumuentus esse debeat. Si Stoicos audierimus, Instar rupis, inquient, quæ rabidis Oceani pulsata fluctibus, nullum assiduæ percussionis ostendit vestigium. Eodem modo hæc

Seneca de Const. sapientis, c. 9.

sapienti libertas quæritur, ait Seneca, non vt vobis facere non liceat iniuriam, sed vt ille omnes iniurias inultus dimittat, patientiâque se ac magnitudine animi defen-

defendat. Sic in certaminibus sacris plerique vicere, cædentium manus obstinatâ patientiâ fatigando. Ex hoc puta genere sapientem, eorum qui exercitatione longâ & fideli robur perpetiendi, lassandiqúe omnem inimicam vim sunt consecuti. Et post pauca haud paulò arrogantiùs: Itaque nec prudentiæ quidquam in se esse, nec fiduciæ ostendit, qui contumeliâ afficitur. Non dubiè enim contemptum se iudicat: & hic morsus non sine quadam animi humilitate euenit, supprimentis se ac descendentis. Sapiens autem à nullo contemnitur: magnitudinem suam nouit, nulliqúe tantum de se licere, renuntiat sibi; & omnes has, quas non miserias animorum, sed molestias dixeris, non vincit, sed ne sentit quidem. Eâdem superbiâ Demetrius, magni apud Stoicos nominis, dicere solitus est, eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. Quid enim, inquit, mea refert, sursum illi an deorsum sonent? Quantæ dementiæ est, vereri ne diffameris ab infamibus? Ita fastuosi illi Stoici: qui sæpè incredibilem animi sui magnitudinem verbis in immensum efferunt, re totâ destituti; in vmbrâ Pyrgopolynici, in Sole ac puluere Thersitæ simillimi.

Ibid. c. 10.

Seneca E. pist. 92.

Alij contrà calumniâ lacessiti tam deiecto fractoque animo fuerunt, vt non publico tantùm caruerint, verùm etiam ignominiam quouis supplicio acerbiorem iudicantes, lucem ipsam vitamque fugerint. Alexandro Regi charus in paucis videbatur Dioxippus: non tulerunt id Proceres. itaque vt æmulo calumniam struerent, poculum aureum clàm sublatum sub puluino absconderunt: quâ contumeliâ tantum doloris ille concepit, vt scriptâ priùs epistolâ, quâ innocentiam

Alij calumniis planè deiiciuntur.

Diodorus lib. 7.

ſuam teſtatam relinqueret, violentas ſibi manus intulerit. Et ne quis hoc viro Principe ac generoſo pectore dignum arbitretur, ſubiiciam alterum huic geminum in abiectiſſimâ fortunâ. Noui ego Antuerpiæ puellam infimæ ſortis, cui cùm procus inter pocula temerè obiiceret, eſſe eam proſtitutæ pudicitiæ, proindeque nihil ſibi cum illâ negotij in poſterum fore profiteretur; illa contumeliæ impatiens, hauſto, quod penes ſe habebat, veneno, vulnus à petulanti linguâ inflictum æternis tormentis permutaſſet, niſi Medicus animam agenti rebus planè deſperatis ſuperueniens, audaci quadam ſolertiâ, vltima remedia expertus, miſeram ab inferorum cruciatibus vindicaſſet.

Calumnias moderatè ferenda.

Hæc in calumniis ferendis extrema ſunt: quæ ſic vitabit ſapiens, atque ita temperabit affectus, vt neque prorſus animo concidat, neque arrogantiâ turgidus, nihil ad ſe pertinere exiſtimet, quid de ſe quiſque ſentiat. Cùm enim non nobis tantùm nati ſimus, ſed etiam parentibus, amicis, patriæ: ac denique cùm ceteri omnes, qui religionis vinculo nobis copulati ſunt, ortus noſtri partem aliquam ſibi vindicent; non immeritò *calumnia conturbat ſapientem*, dum videt fructuoſos ſuos ad ſalutem Reipublicæ bonorumque inſtructionem ſuſceptos labores, improborum maleuolentiâ ſufflaminari. Non ignoro, ſapientem rectè factorum conſcientiâ ſe poſſe conſolari: neque ſum neſcius, altiori in ſolio ſedere virtutem, quàm vt ad illam maleuolentiæ tela poſſint pertingere; ſed aliud quiddam ſapienti propoſitum eſt, dum quamplurimis prodeſſe deſiderat. Itaque illud etiam attendit, tametſi nullæ nubes Solem inficiant, ſed ille ſuo ſemper ſplendore fulgeat, impedire tamen, quò minùs terra amœniſſimis eius radiis,

Non tam ſuo quàm aliorum damno commouetur Sapiens.

&

& vitali calore, ceteroque influxu perfruatur. Nec aliter se res habet in splendore fructuque virtutis; quæ tametsi semper sui similis sit, nec alienis sordibus obsoleſcat, aut calumniarum nebulis inficiatur; faciunt tamen hæ nubes, ne splendor ille passim intuentes ad vitæ reformationem amoremque virtutis inuitet. Itaque non potest hanc communis boni iacturam sapiens non grauiter persentiscere, aut leuia ducere tot aliis quasi per latus suum inflicta vulnera. Iniquè dicimus, ait D. Bernardus, Leuis res sermo; tenera, mollis, & exigua caro, lingua hominis, quis sapiens magni pendat? Leuis quidem res est sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit, sed graúiter vrit. Meritò igitur his tantis rebus perturbatur absque sapientiæ bonæque existimationis suæ dispendio: nisi fortè aut parum prudentis aut parum constantis animi notam inurimus Apostolo, qui spirituali proximorum damno commotus aiebat: *Quis infirmatur in vobis, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Bernardus de Triplici custod. 2. Cor. 11, 29.

Quid igitur censes? inquiet aliquis, si nullâ virtute aut industriâ maledicorum ora sapiens obstruere, si nullis vitæ meritis calumniam potest amoliri, an idcircò mœrori se tradet? aut contrà vano aduersus obtrectatores furore debacchabitur? Minimè verò. Sentiet ille quidem non tam sua quàm proximorum vulnera, & eorum causâ, quantam poterit, existimationis suæ rationem habebit, memor Platonici illius dicti, qui audiens nomen suum calumniis ac maledictis proscindi, At ego sic viuam, inquit, vt illis non habeatur fides. Sin etiam animi submissione cum maledicentiâ certare maluerit, præcipientem audiet Epictetum. Si quis nuntiarit, quempiam tibi maledicere, ne refuta quæ dicta *Sapiens virtute calumniam superabit.* Epictetus Enchirid. c. 48.

dicta sunt, sed respondè, illum nescisse cetera tua vitia alioqui non illa sola fuisse dicturum. Si verò sic etiam frustrà se laborare sapiens animaduerterit, vitæ præclarè institutæ conscientiâ fretus, & Deo teste ac vindice contentus, illud D. Iustini vsurpabit: Per me licet cuiuis, qui malè asseuerat, cogitet me aut perperàm sentire, aut nolle aut non audere contradicere; modò propter bonam conscientiam mihi præstò sit lætitia & quies. Et erit procul dubio: neque enim magnopere formidanda sententia est, vbi qui damnandus est damnat. Talem nobis Christum maledictis lacessitum, vel in ipsâ morte securum fides exhibet. Talem nobis innocentem Susannam post Danielem repræsentat Ambrosius, quæ calumniis circumuenta, & ad mortem raptata, *flens suspexit in cælum. Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Quam demiratus Ambrosius, Quid de Domino omnium virtutum loquor, inquit, cùm nec mulier Susanna sexus infirmitate turbata, cùm se ad periculum mortis cognouit adductam, vocem emiserit. Accusabatur, & tacebat. Ducebatur ad mortem, & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem. Intra se tamen loquebatur Deo, qui eam magis audiuit tacentem. Cordis enim affectus, ait Hieronymus, & mentis pura confessio, & bonum conscientiæ, vocem eius fecerunt clariorem. Vnde magna erat exclamatio eius Deo, quæ ab hominibus non audiebatur. Prudenter sanè in Deo spem salutis ac famæ repositam habebat, qui certissimus esse solet iudex & vindex innocentiæ. Talem postliminiò Ioseph expertus est, quamuis per calumniam Ægyptio carceri mancipatus: talem mulier illa septies icta apud D. Hieronymum; sed in ipsâ, vt ita dicam, morte præsens Dei Numen experta: talem Cunegundis

Iust. Mart. Epist. ad Zenam Presbyt.

Daniel 13.

Ambrosius Tom 4. in Psal. 37.

Hieron. in Danielem.

Genes. 39, 20.

Hieron. Epist. ad Innoc.

dis Henrici Imperatoris vxor falsò adulterij insimulata, quæ nudis pedibus ferrum candens illæsa calcauit: talem, vt infinitos præteream, Narcissus Episcopus Ierosolymitanus, cuius calumniatores horrendam Dei manum vindicantis experti sunt. vt non immeritò bonis omnibus aduersus quascumque calumnias satis in solo Deo præsidij ac solatij constitutum esse dicamus. Sed nunc vnde digressi sumus cum Ecclesiaste reuertamur, & fraternæ reprehensionis (de quâ mox egimus) acerbitatem nonnullo etiamnum fructu, vt Sectione quintâ cœpimus, condiamus.

Euseb li. 6. Histor. c. 7.

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 9. Melior est finis [a] orationis, quàm principium.

[a] *Septuaginta & Syriaca habent* sermonis,

METRICA PARAPHRASIS.

Ne temne eloquium, quo sapiens tibi
Aurem subinde vellicat,
Palantesque gradus tramite deuio
Virtutis in gyrum vocat.
Censores oculos vir sapiens amat:
Nam nemo sat sibi sapit.
Si verba exagitent principio acriùs,
Fructu dolorem condies.
Quandoque in pretio est asperior manus:
Et virga lictorum placet
Tum, cùm supplicio culpa reciditur.
Et fulmen afflati colunt.

Si te corripiens duriùs increpat,
Et crimen obiectat palàm;
Finem reſpiciens da ſpatium tibi,
Nec oderis Machaonas.
Ægris deſipiunt pharmaca mentibus;
Sed læta ſuccedit ſalus.
Si, quæ deteriùs Colchidis oderas
Nocente pocla toxico,
Cenſuræ patiens funditus hauſeris;
Guſtabis Hyblæos fauos.

PROSA EXEGESIS.

Eccli. 38. SAPIENTER illud à Siracide dictum eſt, *Honora Medicum propter neceſſitatem.* nam qui illum medicinæ gratiâ colat aut in pretio habeat, niſi me fallit opinio, inueniemus neminem. Cùm enim inter mala neceſſaria numeretur medicina, neque per ſe malum ſit expetendum, reſtat vt propter neceſſitatem tam medicina quàm Medicus expetatur, quem alioqui pleriſque mortalium inuiſum medicinæ reddit acerbitas. Quod autem corporibus eſt medicina, hoc reprehenſio eſt & fraterna correptio mentibus. Et quamuis liquidò probatum ſit, melius eſſe *à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi* (vt vnde digreſſa eſt, eódem cum Eccleſiaſte reuertatur oratio) rarus tamen eſt, qui æquis auribus reprehenſiones accipiat. Inimiciſſimi exiſtimantur qui vera monent, ſi verba duriùs ad aures acciderint. Videas multos, ait Bernardus, ſincerâ licet intentione & benigno accedant animo, leuiter dicere quod grauiter audiatur. Volat irreuocabile verbum; & quod ſanare debuerat, quia mordacius fortè videtur, exaſperat magis & exulcerat. Non tamen idcircò vir probus

Rarus eſt qui reprehenſiones amet.

Bernardus Serm. 2. de Reſurrect. Domini.

&

& cordatus fraternæ correptionis officium deserit, neque ingrato succenseat; sed, vt ait Ambrosius, sicut bonus pater phrenetici filij, dum ab eo verberatur & iniuriis afficitur, non suam sed ægroti deflet ærumnam: & contumeliam dolet, non quòd sibi sit irrogata, sed quia per furorem, quid faciat, æger ignorat: ita vir bonus cùm videt peccantem non agnoscere quadam peccandi insaniâ, quàm indecora & inhonesta committat, quasi morituram dolet, & quasi desperatum à Medicis ingemiscit. Et vt bonus Medicus, primò monet, deinde, vt ille ægrum, etsi cædatur, sustinet; sic etiamsi maledicatur, non relinquit. Hæc ille. Molestus quidem est Medicus, ait Augustinus, furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem istos negligant, & perire permittant, ista potiùs falsa mansuetudo & crudelis est. Quod tunc maximè verum est, cùm is cui ratione dignitatis aut officij salutis alienæ cura concreditur, videt alterum suo silentio in interitum ruere voluntarium. Quàm seriò enim his talibus hoc munus à Deo sit commendatum, euidenter eius verba declarant apud Ezechielem: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: ... Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à viâ suâ impiâ, & viuat; ipse impius in iniquitate suâ morietur, sanguinem autem eius de manu tuâ requiram. Si autem annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate suâ, & à viâ suâ impiâ; ipse quidem in iniquitate suâ morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Ad hoc enim, ait Augustinus, speculatores, hoc est populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, vt obiurgando peccata, non parcant.

Vir bonus etiam inuitum monet. Ambros. in Psalm. 118. Serm. 7.

Augustinus Epist. ad Bonifac.

Ezech. 3, 17.

Augustinus lib. 2. de Ciuit. c. 9.

Quæ cùm ita sint, quis ei meritò indignetur, qui sub

Æquo animo ferenda est reprehensio.

tantâ diuinæ vindictæ interminatione iniunctum sibi à Deo munus exequitur? Imò quis omnino sapienti cuilibet deprehensas vitæ labes notanti iure succenseat?

Epictetus lib. 2. c. 14. ad Nason.

Nemo certè speculo irascitur, ait Epictetus, quando suam deformitatem repræsentat: nemo à Medico se iniuriâ affectum arbitratur, si dixerit: Age, febris te vexat; abstine à cibis, hodie aquam bibas: At, proh dolor! si cui dixeris, Inflammatæ sunt tuæ libidines & abiectæ, appetitus naturæ non congruentes, opiniones temerariæ & falsæ; egressus confestim clamat, Ille me iniuriâ affecit. Ad hanc Epicteti sententiam alludens Isidorus Peluſiota, Si sermones mei, inquit, turpes vestras actiones arguunt, tamquam speculum fœdo ac deformi, ac Medicus ægrotanti reperior. Quamobrem aut deformitatem mutate, ac sanitatem reuocate, aut speculum vobis ac Medicus perpetuò fuero. Ex iis quæ hactenus à me dicta sunt, quis non manifestò perspiciat, neminem iure reprehensoribus irasci? Nam siue alienum à se nouit quod reprehenditur; quare se læsum putet, cùm ne tangatur quidem? siue ea in se vitia recognoscit; cur non hæc à suâ sibi conscientiâ potiùs exprobrari, quàm à linguâ existimat alienâ? Itaque verissimum est illud D. Hieronymi: Quando sine iniuriâ contra vitia scribitur, qui irascitur, accusator sui est. Prudentis hominis fuerat, etiamsi dolebat, dissimulare conscientiam, & cordis nubilum frontis serenitate discutere.

Isid. Pelus. lib. 1. Epist. 382.

Hieronymus.

Sed non hoc ago tantùm, vt iram dissimulet is qui reprehensione se læsum existimat: æquum animum requiro, & erga hos animorum medicos beneuolum: qui hanc spiritualem chirurgiam non inuitus admittat: qui vstionem ac sectionem vltrò salutis causâ deposcat.

Vt

Vt corpus redimas, ferrum patieris, & ignes,
Arida nec sitiens ora leuabis aquâ:
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Ouidius de Remedio amoris l. 1.

Perfer igitur, & obdura: neque existimes nihil è correptione præter amaritudinem expectandum, nec quidquam ad animi solatium fructumq; salutis posse redundare. Longè aliter se res habet. *Melior*, inquit Ecclesiastes, *est finis orationis* parænetica, *quàm principium:* siue quia id quod animo inopinatâ reprehensione perculso, vitiisque præoccupato durum atque intolerabile videbatur, tandem, vanis opinionum ac vitiorum nebulis discussis, in suauissimum animæ pabulum vertit ac solatium: siue quod reprehensio sementis instar post hiemes ac tempestates in optatam virtutum messem suo tempore pullulat. Sin autem correptionis impatiens, & primis statim verbis turbatus, censorem fueris auersatus, tantumdem facies, inquit Plutarchus, atque ille, qui post sectionem fugit Medicum, neque vulnus obligari patitur. is enim eam Medici operis partem, quæ dolorem adfert, pertulit, eam quæ sanat, magno suo malo aspernatus. Pari modo, inquit, qui orationem illam, quâ stultitia ipsius lancinata & sauciata fuit, non patitur etiam persanare vlcus, & ad cicatricem perducere; is læsus, & dolore affectus, nullo percepto commodo à Philosophiâ recedit. Vt grauiora etiam damna ac pericula silentio inuoluam; quid profuit Achabo ac Iesabeli à Deo missa per Eliam reprehensio, cùm per calumniam innocuum illum Iesraëlitem paternâ simul hereditate vitaque spoliarunt? Nónne magno stetit vtrique correptionis despectus, cùm ille incerto teli iactu confossus est, hæc etiam à canibus

Reprehensionis fructus.

Plutarch. de Audit.

3. Reg. 21.

nibus deuorata? Certè si Prophetæ monitis obsequentes, pœnitudine facinus eluissent, numquam ad funesta illa fortunæ ludibria tragicosque casus deuenissent. Quid Anastasium Orientis Imperatorem commemorem? qui si Hormisdæ Romani Pontificis monita, quibus eum ab hæresi ad Ecclesiæ gremium reuocabat, placido animo, vt par erat, accepisset; non tam seuerum diuinæ vindictæ fulmen expertus fuisset. Quantò consultiùs Imperator Theodosius post crudelem illam Thessalonicensium cladem, acerbam pastoris sui Ambrosij reprehensionem non æquo tantùm, sed etiam submisso animo accepit, &, ad æternam pœnitudinis suæ memoriam, ex eiusdem præscripto legem tulit, vt in posterum sententiæ de capite aut proscriptione ciuium per triginta dies suspenderentur, ne quid in executione præceps peccaret furor. Quo facto immortalem apud posteros gloriam, omniqúe diademate illustriorem est consecutus. Hanc in reprehensionibus æquitatem animi nobis persuadere conatur Ecclesiastes, dum monet, vt finem orationis fructúmque præstolemur. Quod vt faciliùs nobis persuadeat, ad vniuersum genus excurrens, geminam nobis deinceps virtutem, huic intentioni suæ peropportunam, patientiam scilicet aut animi submissionem (nam vtraque arrogantiæ aduersatur) & mansuetudinem iræ contrariam commendat. Ac de patientiâ quidem sic habet.

Vrspergensis in Chronico.

Baron. anno Christi 390.

SECTIO

SECTIO OCTAVA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 9. Melior est patiens arrogante.

METRICA PARAPHRASIS.

QVISQVIS *irarum potiens, superbi*
Pectoris sæuos retudit furores,
Maior Alcide domitor ferarum,
Se quoque vicit.
Rectiùs viues nimios premendo
Spiritus, quàm si rationis exsors
Eximas legum tabulis sacratis
Impia colla.
Degener magni Gedeonis heres,
Notus in fratres animi cruenti,
Turgidas sceptris animi procellas
Morte piauit.
Accolæ Nabal riguæ Maonis
Corde Ießiden tumido increpanti
Horror incussus Sypili reuinxit
Pectora saxo.
Isai contrà generosa proles,
Sortis infestæ pila, sæuientem
Prouocat sortem patiens, sibi ipse
Dulce trophæum.
Concoquens iram tacitus Saulis,
Probráque & sannas Semei procaces,
Maior à linguæ furiisque Martis
Sceptra recepit.
Quamlibet sortem superat ferendo

Con-

Consili parmâ benè præparatum
Pectus, & cordis domiti furores
Sub iuga mittens.
Ille ceu maior nebulis Olympus
Solis innubi fruitur sereno,
Cui latus frustrà pluuiæ malusque
Iuppiter vrget.
Ille ceu rupes pelago æstuanti
Fixa, pugnaces regerens procellas,
Ridet imbelli fremitu minaces
Æquoris iras
Cùm Dionæam comitata concham
Alcyon clausâ fouet æde prolem,
Africum ponti iaculantem in astra
Despicit vndas.
Tela quid frustrà geminant tyranni
Corde mansueto furias domanti?
Tuta stat virtus, stabilemque mentis
Occupat arcem.
Exulem in terras domibus negatas
Liuor ableget, dabit vrna testæ
Quolibet cælo proprios penates,
Bustaque tellus.
Dissipet celsâ licet arce fulmen
Tortili flammâ nebularum inane:
Corruat rupto Scythici Bootæ
Cardine mundus;
Inter astrorum patiens ruinas
Fulciet Phœbi titubantis orbem: aut
Obuium fatis dabit, & paratum in
Funera pectus.
Euge fortunæ domitor, tuique!

Laurus

Laurus æternet tibi destinatæ
(Siue eris, seu fata volent fuisse)
Præmia famæ.

PROSA EXEGESIS.

Patiens est fortunæ suiq; domitor.

NON iniuriâ fortunæ domitor nuncupatur, quisquis inexpugnabili patientiæ clypeo pectus obuallauit: nec fortunæ tantùm, sed & tyrannorum, & inuidiæ, & maledicentiæ, & cuiuscumque acerbitatis, & ad extremum etiam sui. Cùm enim patiens animum rectæ rationi subiecerit, id est seipsum sibi, an est quidquam siue fortuitorum casuum, siue externorum siue domesticorum hostium, quod eum de statu mentis deiicere possit? Et cùm motus internos composuerit, nónne facili negotio foris circumstrepentes bellorum tumultus contemnet? Itaque sicut lapidum quorumdam inexpugnabilis ferro duritia est, ait Seneca, nec secari adamas, aut cædi deteríve potest, sed incurrentia vltrò retundit: & quemadmodum quædam non possunt igne consumi, sed flammâ circumfusâ, rigorem suum habitumque conseruant: denique quemadmodum proiecti in altum scopuli mare frangunt, nec ipsi vlla sæuitiæ vestigia tot verberati sæculis ostentant: ita patientis animus solidus est, & id roboris collegit, vt tam tutus sit ab iniuriâ, quàm illa quæ retuli. Nec satis, sed & domitorem dixi fortunæ, & cuiuscumque rei aduersæ; vsque adeò, vt eam veriùs sibi laudem vindicet, quàm Herculi ferarum monstrorumque domitori fabulosa adscripsit antiquitas. Reuerà tamen certi sunt domitores ferarum, qui sæuissima animalia, & ad occursum exterrentia hominem, docent pati iugum; nec asperitatem excussisse contenti, vsque ad

Seneca lib. de Cōstant. sap. c. 3.

Idem Epistolâ 85.

contubernium mitigant. Leonibus magiſter manum inſertat, oſculatur tigrim ſuus cuſtos, elephantem minimus Æthiops iubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem. Sic & ſapiens artifex eſt domandi mala. Dolor, egeſtas, ignominia, carcer, exilium (addo quæ præmiſit Eccleſiaſtes, iratus ac ſeuerus vultus, acerba reprehenſio, importuna calumnia) & quæcumque horrenda, cùm ad hunc peruenêre, manſueta ſunt.

Arrogantes ignaui ſunt & abiecti.

Quid ſimile eſt arrogantis? quem cum patiente in contentionem adducit Eccleſiaſtes, & vulgus hominum etiam potiorem ac digniorem exiſtimat. Quid inquam ſimile eſt arrogantis? Si externam ſpeciem obiter fueris contemplatus, Herculem aliquem eſſe iudicabis, ſed qualem, vt alibi dico, in ſcenam producunt hiſtriones, clauâ exteriùs aſperâ, ſed intus ſuffultâ paleis, inſtructum. Si verò totum hoc genus penitiùs introſpexeris, ignauiſſimos hominum & abiectiſſimos reperies, quorum corpora inclementis cæli aura perturbat, quorum mentes aduerſæ fortunæ flatus in furorem agit; quibus ſi quod aſperius verbum ad aures acciderit, in nugis tragœdias excitant. Si quid in vitâ acciderit, quod ægrè illis faciat, neſciunt in quem potiùs excandeſcant: nunc Deum culpant, nunc homines accuſant, & hoc ſolum Herculis imitantur, quòd quemadmodum Hercules furens in coniugem, in proles, in amicos, in parietes; ſic illi in obuium quemuis incurrunt. Quos ſi magnos, ſi generoſos, ſi potentes eſſe contenderis, magnos eodem iure phreneticos & amentes vocaueris, qui plerumque ſe Reges eſſe & ſomniant, & loquuntur. Extendant igitur arrogantes, quàm latè voluerint, imperij ſui fines, & elato ſupercilio ceteros præ ſe deſpiciant: ego viles & abiectos exiſtimabo, ſi doloris

loris,iræ,desiderij, ceterarumque cupiditatum motibus succubuerint. Alexander quidē Macedo Persas,& Hyrcanos, & Indos,& quidquid gentium vsq; in Oceanum extendit Oriens, vastarat fugaratque, sed ipse modò occiso amico, modò amisso iacebat in tenebris, aliàs scelus, aliàs desiderium suum mœrens, victor tot Regum atque populorum ab irâ tristitiaque subiugatus est. Id enim egerat vt omnia potiùs haberet in potestate, quàm affectus.

Patiens verè Rex virtutibus incedit stipatus.

Patiens contrà hoc secum reputans, imperare sibi esse maximum imperium, in hoc totus est vt animum excolat, eumque verè Regium, id est affectibus omnibus superiorem reddat. Hic cùm in publicum processerit,non vanæ ostentationis pompam trahit, non armis aut clypeis circumcinctus incedit; sed virtutum omnium comitatu stipatus. Nam ceteræ virtutes patientiam velut nutricem,obstetricem ac magistram amplectuntur, huic incrementum suum acceptum referunt & profectum. neque enim virtus, nisi exercitatione, comparatur; neque virtutis vmquam molle documentum est.

Lucan. l. 9.

—— *Serpens, sitis, ardor, arenæ* (ait Poëta)
Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris.
Lætius est, quoties magno sibi constat honestum.

Theodorus Stud. Sermon. Catech. 19.

Plus etiam audet Studita, cùm ait: Tolerantia virtutum summa perfectio est. Certè Seneca in eo, qui fortiter patitur,virtutum omnium chorum agnoscit,quamuis vna emineat patientia.Ceterùm,inquit, illic est fortitudo, cuius patientia, & perpessio, & tolerantia rami sunt. Illic est prudentia, sine quâ nullum initur consilium, quæ suadet, quod effugere non possis, fortissimè ferre. Illic est constantia, quæ deiici loco non potest,

Seneca Epist. 67.

& propoſitum nullâ vi extorquente dimittit. Illic eſt indiuiduus ille comitatus virtutum.

Arrogantia externo fuco ac tumore ſupra virtutem caput erigit.

Quid hîc rurſus arrogantes? Virtutem, quâ carent, mentiuntur; & inſtar fucorum, cùm nullâ mellificandi arte polleant, apes tamen & corporis tumore & alarum ſtrepitu ſuperantes, in contemptum adducere nituntur. Sic olim Æginetæ, cùm erubeſcerent ſe abfuiſſe à prælio Platæenſi, ſuis mortuis, qui nulli erant, ſumptuoſi operis ſepulchrum excitarunt, vt apud poſteritatem fortitudinis laudem captarent. Sed fruſtrà ſunt, dum vanâ animi elatione virtutis opinionem aucupantur. Norunt vel ipſi ruſtici, quantum ſit diſcrimen inter inanes plenoſque culmos, tametſi inanes inter ceteros emineant. Igitur quemadmodum illis periucundum eſt ſpicas videre nutantes, fructuque in terram depreſſas, contrà verò eas, quæ ob leuitatem ſurſum tendunt, & caput extollunt, velut inanes auerſantur: ita cordati quilibet patientiâ depreſſos ac ſupplices, & virtutum meritis graues, quo par eſt affectu complectuntur; arrogantes verò re totâ deſtitutos, & externo faſtu dignitatem, quâ carent, captantes, non aliter explodunt, quàm muſcam illam, quæ ita ſe iactat in Apologo:

Herodian. lib. 9.

Phædrus Fabulâ 81.

Vbi immolatur, exta prægusto deum;
Moror inter aras, templa perlustro omnia,
In capite Regum sedeo, dum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula.

Ludibrio paſſim habetur Plautinus ille Pyrgopolynices, qui ſe exercitum hoſtilem vno ſpiritu diffiare poſſe profitetur. Sed quid ad Comica figmenta diuertimus, cùm verum Pyrgopolynicem ſacra nobis hiſtoria repræſentet? Quid enim aliud de Roboamo ſtatuam? qui

Plautus Milite glor.

qui populi postulatis non sanè iniquis impatienter abnuens, & monita seniorum auersatus, iuuenili arrogantiâ respondit: *Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei..... Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Sed quid misero profuit arrogantia? mox decem tribuum secessione, ac tantùm non regni totius ruinâ multatus est. 3. Reg. 12, 10.

Deo scilicet hominibusque semper inuisa fuit arrogantia: & ita quidem hominibus, vt eam Romani ne in ipsâ quidem Reipubl. seruitute ferre potuerint. Audite Pacatum in Panegyrico: Ita maiores nostros semper arrogantiæ pertæsum est, vt grauiorem putauerint seruitute contemptum: eiusque impatientiâ coacti sint post bellatores Tullos, Numasque sacrificos, & Romulos conditores, regnum vsque ad nomen odisse. *Arrogantia Deo hominibusq; inuisa.* Pacatus in Panegyr.

Sed atrociùs etiam Deus arrogantiam in impio Nicanore vindicauit: qui cùm, impatiens moræ, die sabbati prælium committi iuberet, tergiuersantibus & excusantibus Iudæis, cum fastu interrogauit: *Si est potens in cælo qui imperauit agi diem sabbatorum?* & mox subiunxit: *Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia Regis impleri.* O miserum! cui magnifica illa verba nihil profuerunt, cùm non ita multò pòst, Deo pœnas reposcente, impia illa lingua, minutatim concisa, auibus in pabulum cessit. 2. Machab. 15, 3. Vers. 5.

O quantò præstabilior est patientis conditio, qui magnâ submissione animum rationi subiicit ac Deo! qui neque actione offendit, neque maleuolentiâ deiicitur, neque inopinatis casibus perturbatur. Nónne eius animum meritò cum Olympo comparauimus, nullis nubibus hispido, nullis tempestatibus inquieto? Sed non temerè, neque primo statim passu ad hoc per- *Patiens semper tranquillus.*

fectionis culmen aſcenditur. A paruis igitur auſpicare, ait Epictetus. Oleum effunditur? villum ſurripitur? Subiice te tibi. Tanti vænit tranquillitas, tanti conſtantia; gratis autem nihil acquiritur. Cùm verò puerum vocas, fieri poſſe cogita vt præſtò non ſit; & vt ſit, nihil agat ex animi tui ſententiâ. Neque verò illi tam benè eſt, vt perturbationibus tuis ad amuſſim correſpondeat. Porrò, inquit, ſi quid proficere vis, nihil recuſa quò minùs ob res externas fatuus & amens habearis. His gradibus paulatim eò pertinges, vt cum fortunâ poſſis in arenam deſcendere: nec vllis rerum fortuitarum incurſibus perturberis, cùm te hominem eſſe memineris, nihilque humani à te alienum eſſe duxeris: neque miraberis ad te propiùs aliquando accedere pericula, quæ ſemper oculis tuis oberrare videris. Denique hoc tandem conſequêris, vt animus patientiæ malleo, & crebris contrariorum aut incurſantium malorum ictibus contritus & comminutus, inſtar pulueris ſe Deo ſubiiciat, eiuſque voluntati in omnibus obſecundet. O beatum! iterumque ac ſæpiùs beatum! qui ſe non patienti tantùm aut æquo animo, ſed etiam hilari, æternis fatorum legibus accommodat. Audeo ſpondere, tam illum Deo charum fore, quàm exoſi ſunt arrogantes. *Excelſus enim Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* Vſque adeò autem reſpicit humiles, vt eos in domicilium ſibi deligat, & quidem domicilium cum ipſo cælo conferendum. Non hæc mea coniectura eſt, ſed certa Dei apud Iſaiam ſententia, apud quem ſic amplificatâ priùs maieſtate ſuâ, *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*, ſubiungit: *Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt vniuerſa iſta, dicit Dominus.*

Epictetus c. 17. & 18.

Pſ. 137, 6.

Patiens ſiue humilis Deo charus.

Iſaiæ 66, 1.

nus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Nihil habeo quod addam promissis tam magnificis ad commendationem patientiæ ac submissionis animi; itaque pergo cum Ecclesiaste ad affinem illi virtutem mansuetudinis.

SECTIO NONA.

ECCLESIASTES.

VERS. 10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.

METRICA PARAPHRASIS.

ALTERNA sceptri iura Etheoclea
Negasse fratri credimus hospiti,
Ensesque, Adrasteasque turmas
Ogygiis pepulisse Thebis;
Tu sceptra cordis ne violentiæ
Cæci furoris trade: nec igneo
Vis impetu mentis fatiscens
Præcipitem trahat in ruinam.
Quicumque primis sanguinis obstitit
Ebullientis motibus, hic sui
Iræque victor, contumaces
Eripuit furiis habenas.
At quisquis imis in penetralibus
Receptat hostem, succubuit iugo,
Legesque, disruptis lupatis,
Indomiti subiit furoris.
Qui mentis ægræ turbine concitus

Se

Se rupe ab altâ præcipitem dedit,
Libratus incaßùm laborat
E medio reſilire lapſu.
Sic ira victis cordibus imperans
Iniurioſò quos pede proruit,
Hi fræna ruperunt, ſuíque
Arbitrium tenuere nullum.
Quæ ſic procellas Scylla regurgitat?
Quis entheatos incola Pythius,
Myſtasque torquet Dindymene,
Baſſaridúmve rotator Euan,
Triſtes vt iræ? Scimus vt artibus
Theſeus nouercæ flammiuomâ prece
Dirisque ſpem ſtirpis necarit
Gnoſſiaco furiatus æſtro.
Verùm ille falſò dum ſceleri ſcelus
Adiecit vltor credulus, heù! citò
Improuidum damnans furorem,
Sanguineæ Hippolyti ſauillæ
Salſis parentat flebilis imbribus.
Sic ira præceps dum temerarios
Ebullit in cordis vapores
Mox reſidem Metanœa dextrâ
Vltrice frænat. Si grauis intonat,
Flammasque & enſes parturit, illicò
Poſt fulminum truces fragores
In lacrymas furiæ liqueſcent:
Quod patrat irâ Phoſphorus auſpice,
Hoc expiabit ſupplicio Heſperus:
Factumque & infectum furoris
Vna dies volet eſſe crimen.
Quàm cæca nubes pectoribus ſedet,

Queis

Queis promptus arcet consilium furor?
Quicumque mox damnanda patrat,
Hic Sophiæ negat esse alumnus.

PROSA EXEGESIS.

NON potuit Ecclesiastes mansuetudinis virtutem efficaciùs nobis commendare, quàm cùm contrarium illi vitium stultitiæ condemnans ait, *Ira in sinu stulti requiescit.* Tametsi enim

Quisque suos patimur Manes, — &
— *semel insaniuimus omnes;*

nullum tamen est conuitium quod hominem pungat vehementiùs, quàm si seriò alicui, & non tantùm per iocum, stultitia exprobretur. Et tamen, vt Arnobij verbis vtar, Quid aliud est irasci, quàm insanire, quàm furere? Quid stultius esse potest canibus in rabiem actis, ait D. Basilius, qui saxa mordere solent, quando iactantes consequi non possunt? Atqui non minor, inquit, est tua stultitia, qui fratri irasceris, eumque maledictis laceras, cùm dæmonem, à quo ille, vt tibi noceret, in fraudem impulsus est, insectari nequeas. Deinde, quid stultius pueris: qui si ceciderint, irati terram verberari volunt, & sæpè ne sciunt quidem cui irascantur, sed irascuntur sine causâ, & sine iniuriâ, non tamen sine aliquâ iniuriæ specie, nec sine aliquâ pœnæ cupiditate. Deluduntur itaque imitatione plagarum & simulatis deprecantium lacrymis placantur; & falsâ vltione falsus dolor tollitur. Et non maior irarum in magnis dementia est, dum leuissimæ noxæ ferro ac flammâ, cædibus ac venenis, vrbium cladibus, ac totarum gentium excidiis expiantur? dum ob vitrum fortè confractum, seruum murænis deuorandum tradit Pollio?

Arnobius lib. 1. contra Gentes.

Basilius Serm. 10. *Irasci nihil aliud est quàm insanire.*

Senec. li. 1. de Irâ, c. 2.

Plin. lib. 9. c. 23.

Curtius l 8. dum propter liberius verbum, ne dicam familiarius, amiciſſimum ſuum inter pocula trucidat Alexander? Sueton. in Nerone. dum Nero virtutem ipſam, id eſt Thraſeam Pœtum, quia numquam ſibi applauſerat, tantæ virtutis impatiens exſcindit? dum Antoninus Caracalla ob iocos Xiphilinus & Herodianus. neſcio quos infenſus Alexandrinis, pacis ſpecie euocatam in campum iuuentutem militi tradit obtruncandam, pariſque ſæuitiâ in reliquam multitudinem vſus, 1. Reg. 22. frequentiſſimam vrbem prorſus exhaurit? dum Saul propter panes aliquot per Achimelechum innocenti Dauidi traditos, Noben ciuitatem Sacerdotum, eiuſque incolas omnes ad ipſa vſque bruta animalia, internecione deleuit?

Ira damna. Et verò quando non ſtulta eſt bilis efferueſcentia, cùm vix vmquam tanta eſſe poſſit iraſcendi cauſa, vt cum damnis emergentibus poſſit æquiparari? Cùm Ambroſius Precation. 2. ad Miſſam. enim vltra modum furor efferbuerit, inquit Ambroſius, atrociter mentem exulcerat, ſenſum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumque corpus perturbat. Hinc protinus rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, blaſphemiæ ſuſcitantur. Et quid tandem? Triſtis poſt ruinam ſuccedit pœnitentia. Nam, vt Horatius ait,

Horat. li. 1. Epiſt. 2. —— *qui non moderabitur iræ,*
Infectum volet eſſe, dolor quod ſuaſerit. ——

Irati turpis forma. Sed quid argumentis opus eſt ad exprobrandam iræ ſtultitiam? ipſa ſe ſatis in vultu habituque corporis manifeſtat. Vidiſtis aliquando maniacos oculis extuberantibus, & in diuerſa diſtortis, liuidis genis, capillis erectis, atque horridis, ore contorto, ſpumiſque madido: talis iratorum adſpectus eſt. Liquit decor omSenec. li. 2. de Irâ, c. 35 nis iratos, ait Seneca; ſi capillorum naturâ vel arte iacen-

centium non informis est habitus, cùm animo inhorrescunt, tumescunt venæ, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendit; tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio. Qualem intus putas esse animum, cuius externa imago tam fœda est? Tantumdem habet D. Gregorius. Iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies igneſcit, exasperantur oculi. Lingua quidem clamorem format, sed sensus, quid loquatur, ignorat. Quo igitur hic talis ab arreptitiis distat, qui actionis suæ conscius non est. Profuit iratis quibusdam adspexisse speculum: perturbauit illos tanta immutatio sui; velut in rem præsentem adducti, non agnouerunt se. Et quantum ex verâ deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? Animus si ostendi ac perlucere posset, intuentes nos confunderet ater, maculosus, æstuans, distortus ac tumidus.

Gregorius lib. 5. Moral. c. 31.

Seneca supra c. 36.

Si tanta est huius affectus deformitas ac turpitudo; quid est quòd hominum plerique tam proni in iram tamque præcipites feruntur? Nullam aliam video rationem, quàm quòd stulta quædam persuasio mortalium animis insedit, iram indicium esse generosi animi, eamque magnos & magna professos inprimis decere; neque posse nos vel audere quidquam eximium absque hoc virtutis velut excitamento. In quo tamen grauissimè hallucinantur. Neque enim virtutem instruit ira, quæ vitiis nihil eget; sed segnem aliquando animum & ignauum nonnihil alleuat. Quid quòd, si bonum esset ira, perfectissimum quemque sequeretur? Atqui secùs se res habet: iracundissimi enim infantes, senesque & ægri sunt; & inualidum omne, naturâ querulum est.

Ira non est eos virtutis.

Sen. li. 1. de Irâ, c. 13.

Manſuetudo magnos decet.

Contrà verò, magnam fortunam magnus animus decet: qui niſi ſe ad illam extulerit, altiorque ſteterit, illam quoque ad terram deducit. Magni autem animi eſt proprium, placidum eſſe tranquillumque, & iniurias atque offenſiones ſupernè deſpicere. Muliebre eſt, furere in irâ: ferarum quoque, nec generoſarum quidem, permordere & vrgere proiectos. Elephantes leoneſque tranſeunt quæ impulerunt. Non decet Regem fæua & inexorabilis ira: non multum enim ſupra eum eminet, cui ſe iraſcendo exæquat. at ſi dat vitam, ſi dignitatem periclitantibus, & meritis amittere, facit quod nulli niſi rerum potienti licet. Quamuis apes pro corporis modulo pugnaciſſimæ ſint, vt iratæ etiam aculeos in vulnere relinquant; Rex tamen ipſe ſine aculeo eſt: non exiguo in exiguis naturæ documento, magnos inprimis manſuetudinem decere; vt quantò illis auctoritas & poteſtas nocendi maior eſt, tantò voluntas ſit minor. Intuere ipſa cæleſtia corpora, quàm æquabili motu, quantoque ſilentio mouentur? & ferè in vnoquoque genere magna quietiora ſunt. Et quoniam cæleſtium meminimus, Deum ipſum Principibus viris in exemplum, cui conformentur, exhibeamus. Quid videtur? expedítne inexorabile peccatis atque erroribus habere Numen? expedítne vſque ad vltimam infeſtum perniciem? Quòd ſi Deus placabilis & æquus, ait Seneca, delicta potentium non ſtatim fulminibus perſequitur; quantò æquius eſt, hominem hominibus impoſitum miti animo exercere imperium, & cogitare, vtrùm mundi ſtatus gratior oculis pulchriorque ſit, ſereno & puro die, an cùm fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant? Atqui non eſt alia facies quieti moderatique imperij, quàm ſereni

Senec. li. 1. de Clem. c. 7.

&

& nitentis cæli. Sanè hunc de Deo conceptum nobis exhibent sacræ Litteræ. Cùm enim Iesabelis iram fugeret Elias, & in spelunca delitesceret, sic eum compellauit è beatis Mentibus nonnemo: *Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis & subuertens montes, & conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* Sic tandem magnus ille Deus suaui sibilo auræ tenuis Eliæ sese repræsentauit: & nos miseri terræ vermiculi turbinem, furorem, fulmina ac tonitrua concipimus? 3. Reg 19. 11.

Quid ergo, inquiet aliquis; numquámne omnino licebit irasci? Quid ergo sibi vult Propheta Regius, dum ait: *Irascimini, & nolite peccare?* Vtinam ita potentes iræ essemus, vt numquam, nisi ex causâ, & ad virtutis augmentum, non dico efferuesceret, sed emicaret! aut efferuescens, è vestigio compesceretur! Coquus magnum ahenum (vt priscis Titinnij verbis vtar) quando feruit, paullâ confutat truâ: vtinam hoc modo quilibet ebullientis animi motus, aquâ sapientiæ salutaris iectâ, quantocyùs complanaret! Sed quoniam id paucorum est, & optandum magis, quàm sperandum; proximum certè est, vt consilium Ecclesiastæ audiamus, *Ne sis velox ad irascendum.* Itaque, vt rectè monet D. Gregorius, solerter animus ante actionis suæ primordia cuncta debet aduersa meditari; vt semper hæc cogitans, thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit, prouidus superet, & quidquid non accesserit, lucrum putet. Si verò, inquit alibi, ira animum inuadit; mentem edoma, vince teipsum. Differ tempus furoris: & cùm tranquilla mens fuerit, vt placet, vindica. Psal. 4, 5. *Moderatè & cum ratione irascendum.* Gregorius lib. 5. Moral c. 33. *Ira non sit velox.* Idem lib. 8 Reg. c. 5.

Ira enim in vindictâ malorum sequi debet rationem, non præire: vt quasi ancilla iustitiæ post tergum veniat, non ante faciem dominæ lasciua prorumpat. Itaque instar omnis consilij & remedij est vnicum illud Sapientis verbum, *Ne sis velox ad irascendum.* Qui enim hoc à se impetrat, vt remoram furori iniiciat; iam de superato animo suo, iraque prostratâ trophæa meditari incipit. Tales fuerunt olim nonnulli, quorum animi moderationem celebrauit antiquitas. Ferunt Gentiles, ait D. Ambrosius, & cum illo D. Hieronymus (vt in maius omnia extollere solent) Architæ Tarentini Philosophi dictum, qui villico suo: O te infelicem! iam te verberibus enecassem, nisi iratus essem. Sed quid hoc, ait Ambrosius, si cum Dauide conferatur, qui dexteram etiam armatam in indignatione compressit? Cùm enim Semei acerbissimis illum maledictis incesseret, iamque Abisai totus in eius necem exæstuans diceret, *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput eius;* mansuetissimâ illum oratione, simulque animum suum composuit.

Ambrosius lib. 1. Offic. c. 21. Hieron. Epist. 9. ad Saluian.

2. Regum 16, 9.

Sed hæc omnia velut minora sunt sidera, si Solem iustitiæ, Deum inquam & Christum, in medium produxero. Accipite ergo, quæ præclarè Cyprianus expendit. Si nobis Dominus & Deus & Pater est, sectemur patientiam Dei pariter & Patris: quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. Qualis verò in Deo & quanta patientia, quòd in contumeliam suæ Maiestatis instituta ab hominibus profana templa & sacrilega patientissimè sustinens, super bonos & malos æqualiter diem nasci præcipit, & lumen Solis oriri? & cùm imbribus terram rigat, nemo à beneficiis eius excluditur. Omnibus promiscuè videmus tempora obse-

Dei & Christi mansuetudo. Cyprian. de Bono Patientiæ.

obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere, grandescere messium copiam, fructus mitescere venearum; & plura in eamdem sententiam. Christum verò ita nobis imitandum proponit Augustinus: Tu, ô Christiane, de aduersario tuo æstuas, anhelas, festinas vindicari? Attende Christum medicum ægritudinis tuæ. Propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus; & tu vindicari desideras, & non potiùs talem ac tantum Magistrum imitari? Ideò pati voluit, vt tibi patientiæ suæ monstraret exemplum. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum conficientem. Vide pendentem, & tibi de ligno tamquam de tribunali præcipientem, vt audias precantem, *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Augustinus Serm. 2. de Sanctis. Luc. 23.

SECTIO DECIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 11. Ne dicas: Quid putas causæ est, quòd priora tempora meliora fuere, quàm nunc sunt? Stulta enim est huiuscemodi interrogatio.

METRICA PARAPHRASIS.

QVAE plectra vatum, quæve barbiti fides
Docto canoræ pollice,
Siluere priscis aureæ ætatis decus
Nomenque clarum fabulis?
Quis non in illis ingeni expleuit sitim
Mellis liquati riuulis?

Quis

Quis non ab illo nemore felici abstulit
Apollinarem lauream?
Cùm dulce nectar ilicis cauæ sinu
Apis recluſit artifex:
Oueſque fœtæ præbuerunt obuiis
Mulgenda dextris vbera:
Tellusque prægnans fruge ditauit lares
Illæſa dente vomeris.
Non limes agro poſitus ambiguo lapis
Lites diremit arbiter:
Non matris almæ Dite contempto fames
Suffodit auri viſcera:
Nec iura ponti rupit audaci rate
Mercis latentis inſtitor.
Quiuis parentum nouerat confinia,
Nec quidpiam vltrà nouerat.
Tunc abſque legum prole ſat virgo Themis,
Et iura dictabat Pudor,
Candorque morum, & cana pectoris fides
Conſopiebant iurgia.
Pax alma terris, & beata fauſtitas
Mauortis arcebant metum.
Hæc ſæcla votis mille, mille feruidis
Paciſcimur ſuſpiriis:
Priſcasque ſtulti ruminamus fabulas
Præſentium faſtidio.
Auri metallo tempora ornamus patrum:
Sequiore noſtra cudimus.
Fruſtrà impudentes vitia temporibus damus
Hominum imputanda moribus.
Nec riuus olim fluxit illimis, neque
Sol fulſit innubi æthere:

Nec

Nec vitia nostris orta tartareo specu
Posuere cunas sæculis.
Dudum impiatis luridæ partus stygis
Afflauit auras pestibus.
Vt prima genitrix tradidit lucis iubar;
Nox insimul scelerum irruit,
Auri cupido cæca, bifrontes doli,
Liuor secundis anxius,
Nutrix Enyus ira, lymphatus furor,
Eruca luxus horrei,
Et cura mordens dente tabifico fibras,
Et fœda morborum lues.
Sed ista culpæ turba, non vitæ comes,
Æquæua sæclis omnibus.
Dies requiris aureo sæclo pares?
Sectare mores aureos.

PROSA EXEGESIS.

QVAERVNT plerique interpretum, quâ ratione versus hic cum præcedentibus cohæreat. Ego verò neque anxiè me torquebo, neque tamen nihil omnino adferam. Sed si omnium ac singulorum inter se versuum in hoc libro Sapientis assignanda connexio est (quamquam quid attinet in promptuario moralium præceptorum tam religiosè nexum vrgere?) hæc esse poterit non incongrua: quòd cùm dixerit versu præcedenti, iram in sinu stulti requiescere, quod ita exposuimus, vt iræ stultitiam inter cetera in eo consistere doceremus, quòd sæpè nullâ probabili ratione excandescat, vt nec iratis quidem satis exploratum sit quâ de causâ irascantur: nunc huius stultitiæ specimen aliquod subiiciat in iis qui temporibus suis irascuntur, ac de iis assiduas

texunt querelas, quasi vitium aliquod iis insit, aut quasi diuina prouidentia non æqualiter quouis tempore bona malaue dispenset. Non incongrua videtur hæc expositio, ratioque nectendi; proximeque ad eam accedit, quam tradit eruditissimus noster Pineda, & ex parte Moringus. Stulta, inquam, est hæc indignatio, *stulta huiusce modi interrogatio*: tum quia falso nititur & futili fundamento, tum quia vitia potiùs nostra, quàm tempora in crimen vocanda sunt.

Vide Pinedam hoc loco.

Falsum itaque inprimis est ac futile, priora tempora fuisse meliora. Nemo enim nouas esse dixerit & inusitatas horum temporum calamitates, nisi qui in historiarum monimentis hospes sit atque peregrinus. Et quid omnino hîc homini potest esse nouum, nisi ipse nouus sit ac nouitius in rebus humanis. Prudenter illud Crantor idemtidem vsurpabat: *Heu me! quid heu me! Humana perpessi sumus.* Sed tamen infelicissimum, inquiet aliquis, hoc nostrum est æuum. Vetus ista cantio est. Quod vmquam fuit tempus, quod non teneris infirmisque mentibus displicuerit? Idem suo tempore decantatum ostendit Ecclesiastes, idem aui atauique dixerunt, idem dicturi sunt & nepotes. Insitum hoc nimirum à naturâ est humano ingenio, vt præsentia magis expendat; & læta præteriens, ad tristia potiùs oculos conuertat. Vt muscæ & eiusmodi insecta læuibus politisque locis non diu insident, sed scabris potiùs ac fœdis adhæresc unt; sic querula ista mens meliorem sortem leuiter transuolat, asperam non dimittit. Tractat idemtidem, inspicit, expendit, & maiora veris opinione metuque comminiscitur. Atque vt amantes in suâ dominâ numquam non inueniunt, cur eximiam illam ante omnes habeant; sic dolentes, in suo luctu.

Iniqua est de temporibus nostris querela.

Vide Lipsi. lib. 2. de Constant. cap. 20.

Sed

Sed age, ducamus orationem per quædam præcipua malorum capita. Nihil est quod in oculos nostros incurrat magis, quàm præsentium bellorum calamitas: & quidem tanta, vt in bello nati & enutriti, assiduo tamen armorum terrore pænè exanimemur? Quid ergo? nullane apud priscos bella? quinimò cum nato orbe nata esse non ignoramus, nec finem acceptura nisi cum illo: ac tanta quidem, tamque horribilia, vt ludus ac iocus hæc nostra censeri possint, si cum priscis illis conferantur. Obeamus paulisper, si placet, nationes exteras (nam Belgium nostrum, totis quingentis annis, vix breuibus interuallis respirasse, parum est) electum inprimis à Deo populum contemplemur. Quantum hic ab Ægyptiacâ centum quinquaginta annorum tyrannide, quantum in illo septuaginta annorum apud Babylonios & Assyrios exilio sit perpessus, cuilibet è diuinis Litteris haurire promptum est: ad extrema eius, tamquam ad funebres gentis exequias, accedo. Dico, non totis septem annis (præter innumeros qui fame, exilio, miseriis confecti sunt) partim ciuili, partim externo bello extincta esse duodecies centena & quadraginta hominum millia. Rationes subduxit Iosephus. Descendamus in Græciam, quam Plutarchus ita perpetuis bellorum cladibus exhaustam scribit, vt vniuersam affirmet suo æuo non fuisse conficiendis tribus millibus militum. Iam Romanos & Italiam perlustremus. Vnum bellum Punicum secundum in solis Italiâ, Siciliâ, Hispaniâ, non totis annis septemdecim supra quindecies centena hominum millia consumpsit. Et quid bella recenseo plurium auspicio gesta? Vnus ecce C. Cæsar (ô pestem perniciemque generis humani!) fatetur, & quidem glorians, vndecies centena & nonaginta duo millia hominum diuersis à se

Bella omni tempore fuerunt.

Antiquæ bellorum calamitates.

Vide Lipsi. lib. 2. de Constant. c. 21. 22. & 23.

Plutarchus de Defectu oraculorũ.

præliis occisa ; atque ita, vt non veniat in rationem strages ciuilium bellorum. Quo tamen maior etiam hac parte ille Magnus, qui in delubro Mineruæ inscripsit, fusa à se, fugata, occisa, in deditionem accepta hominum vicies semel centena octoginta tria millia. Quid dicam, paucos Iberos, auorum nostrorum memoriâ in vastas illas ac nouas Mexicani ac Perüani orbis terras delatos, amplissimis illis regionibus pænè solitudinem intulisse? Mens stupet, hæret lingua, dum hæc commemoro: & video nostra omnia, si cum illis conferantur, non aliud esse quàm palearum cassa, vt Lipsius ex Comico, aut gurguliunculos minutos.

Seruitus apud antiques.

Quid si nunc ad cumulum reliquarum calamitatum crudelem seruitutis legem adiecero, quâ nihil in veterum bellis fuit acerbius? Homines ingenuos, nobiles, pueros, feminas, virgines abripiebat victor: & quis scit, an in æternam seruitutem? certè seruitutem, quam Iure Burgundico Belgicoque vetitam, tamquam Christianis indignam, nihil miror.

Pergo nunc ad reliqua temporis nostri mala. Dolemus Belgicam nostram totis his decem annis vix à contagione pestis immunem fuisse. Fateor, triste malum est. Sed num toto decennio triginta aut quadraginta hominum millia consumpsit? Atqui in vnâ Iudææ pestis sub Dauide Rege vnius diei spatio septuaginta millia confecit. Sub Gallo autem & Volusiano Imperatoribus pestis ab Æthiopiâ exoriens omnes Romanas prouincias per quindecim annos continuos incredibiliter exhausit. Sæuior tamen illa, & impete maior, quæ Byzantij finitimisque locis grassata est Iustiniano Principe, cuius vis tanta, vt in singulos dies quinque millia funerum daret, interdum etiam decem: omitto alia nihilo his inferiora.

2. Reg. 24.

Pestis olim sæuiùs grassata.

Vide Lipf. libro 2. de Constant. c. 23.

Iam

Iam quod ad annonæ caritatem attinet, perpetua hæc æui noſtri querela eſt. Sed nónne ridicula videatur, ſi cum priſcis ſæculis comparetur? Certè ſub Honorio Imperatore Romæ tanta caritas & raritas omnis annonæ fuit, vt homines hominibus iam imminerent, & in circo palàm audita ſit illa vox: Pone pretium humanæ carni. In totâ Italiâ, vaſtantibus eam Gothis, iterùm tanta, vt in ſolo Piceno quinquaginta hominum millia fame perierint: & paſſim in vſum ciborum verſæ ſint non carnes ſolùm humanæ, ſed humana excrementa.

Fames olim quàm nunc maior. Lipſ. ibid.

Dicet aliquis fortaſſe: Si tam horrendis calamitatibus memoriæ conſignata ſunt antiqua ſæcula, quænam eſt ergo ætas illa aurea, tot Poëtarum encomiis celebrata? Hìc ego primùm illud reponam, nihil eſſe cur illis inuideamus, quos Poëtarum licentia mendacio felices facit. Quemadmodum enim fabuloſa fuit illa ætas, ita fabuloſa felicitas. Quid quòd Pherecrates apud Athenæum talem deſcribit auream ætatem, qualem Mahometes ſuorum beatitudinem, vt homine liberali prorſus indigna ſit? tota enim ad coquinam & ventris ingluuiem refertur. Ibi, inquit, plena Pluto omnia: ibi nigri iuris flumina, & in iis tuceta bullientia loco oſtreorum, piſceſque condíti natabant: ibi turdi benè cocti circum ora volabant, & ſupplices edi rogabant. Sed demus, his fabulis veram voluptatum ac deliciarum adfluentiam ſignificari; an ideircò aurea dicenda erunt hæc ſæcula? Quid enim in his omnibus homini ad æterna nato expetendum? quid illâ cæleſti mente ac diuinitatis capace dignum? Brutorum eſt iſta felicitas, & ad Æſopicum releganda ſæculum. Illud aureum Chriſtianis eſt ſæculum, quo virtus floret, quo iuſti-

Ætas aurea Poëtarum. Athenæus.

Ætas aurea Chriſtianorum.

iuſtitia principatum obtinet, quo non Saturnus aliquis, ſed verus Deus regnat, & cordis noſtri ſolio potitur: ibi ius dicit circumſtantibus vndique & ad nutum obſequentibus animæ noſtræ facultatibus: ibi tam inferiores quàm ſuperiores animæ vires ſic ad ſe rapit, vt nulla reſideat rationem inter ſenſumque dimicatio: ibi affectus omnes nihil iam carni pecoriſque affine ſapientes longè ſolidiori pabulo longeque diuiniore delectat.

Ætate noſtrâ maiores delicię.

Et hæc quidem à me ſic diſputantur, quaſi omnes aurea illa Poëtarum ætas protulerit voluptates, hæc autem ad penuriam rerum omnium nos redegerit. Sed profectò, ſi operæ pretium me facturum ſperarem, facilè docerem, priſcâ illâ ætate ruſticas exſtitiſſe delicias, brutaſque voluptates, nunc autem politiori æuo, ac politioribus hominum ingeniis, etiam exquiſitiſſimas delicias lectiſſimaſque voluptates faſtidiri: adeò vt ſi ex merito ætatibus nomina imponimus, hæc noſtra aurea Regiaque, illa verò Poëtarum lutea ruſticaque vocari poſſit.

Natalis Comes l. 2. Mytholog. c. 1.

Ætas aurea olim nihil aliud quàm Reſp. benè conſtituta.

Quare peritiores Mythologi repudiatis his nugis, nihil aliud auream ætatem eſſe volunt, quàm Rempubl. optimis legibus & inſtitutis ad omnem virtutem conformatam, in quâ reluceat morum candor, in quâ vigeat legum obſeruantia, in quâ pax floreat ac libertas, in quâ lepores cum canibus, agni cum lupis, id eſt probi cum improbis, legũ præſidio tuti, impunè verſentur.

Videamus nunc igitur, quàm ſancta, quamque illibata fuerit olim ætas aurea, ad quam hac fæce temporum noſtrorum tantopere ſuſpiramus. Duo potiſſimùm tempora reperio, quibus præcipuè ætatis aureæ decus poſſit adſcribi: alterum ante vniuerſalem mundi

cata-

cataclysmum, alterum reparato iam mundo habitabili, circa regnum Saturni. Quî potest maior vitæ sanctitas morumque innocentia excogitari, quàm in primis illis humani generis progenitoribus? Quò enim propiùs aberant ab omnis innocentiæ fonte Deo, eò minus terrenæ fæcis & contagionis in eorum mores irrepserat: & tamen ab ipsis mundi incunabulis Caini posteritas, semper carni rebusque terrenis immersa, Deum in postremis habuit. Quinimò ipsis etiam Sethi posteris, circa Enochi tempora, cum Caini progenie matrimonio iunctis, superstite etiam tum per trecentos annos Adamo, Deique nunc bonitatem ac beneficia, nunc maiestatem ac terrorem frustrà inculcante, tanta morum corruptela vniuersum hominum genus inuasit; vt tandem pertæsus tot scelerum ac flagitiorum Deus, in has voces eruperit: *Pœnitet me fecisse eos.* nec alios inuenerit dignos, quos à communi generis humani internecione eximeret, præter exiguam Noë familiam. Vbi nunc ille morum candor? vbi aureæ ætatis decor?

Ætas aurea sub Adamo vitiis non caruit.

Genes. 6, 7.

Alterum tempus, quod & plerique aureæ ætati assignant, est regnum Saturni. Sed quo pacto aurea illa ætas vocari potest, cùm eo ipso tempore tum à Sarug Abrahæ proauo, tum maximè à Belo superbissimo Assyriorum Rege, inuectum sit in orbem, in despectum veri summique Numinis, infandum scelus idololatriæ, nec ita multò pòst apud Græcos infelici contagione propagatum? Quid autem flagitij hic veri Dei contemptus in orbem non inuexit? Audite Apostolum hac de re accuratissimè differentem, & eos grauissimè accusantem, qui *cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Mutauerunt* enim

Ætas aurea sub Saturno omnibus vitiis inquinatissima. Vide Salianum Tomo 1. Annal.

Rom. 1, 21.

enim *gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium*. Sed quæ merces huius tantæ impietatis? *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, & in reprobum sensum; repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, auaritiâ, nequitiâ, plenos inuidiâ, homicidio, contentione, dolo*, & quæ plura ibidem enumerat. Sed omnis supplicij instar est quod præmittit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis*, subiungens abominanda Sodomitarum flagitia. Vultis huius rei non obscura documenta? Dabo ex vnico Laërtio Philosophos nonnullos, quos tamquam virtutis ac sapientiæ specimen suis proponit antiquitas. Periander, inquit, Crateâ matre suâ propriâ abusus est: Socrati Alcibiades in deliciis fuit: Theodorus ait, sapientem publicè & absque pudore cum scortis congressurum: Plato non vnius scorti amore captus fuisse notatur: Aristoteles Hermiæ concubinam amauit, eique sacrificauit: Demetrius Phalereus à Cleone turpiter passus est: Diogenes & Zeno communes in Republicâ vxores statuebant. Omitto cetera infandæ Veneris mancipia. I nunc, & aureæ ætatis mores in immensum extolle; & sanctum crede, quidquid antiquitatis charactere signatur. Certè nec virtus nec vitium temporibus alligantur. Fastidientium est ista querela, quorum animus cùm in nullâ re acquiescat, res præsentes ac tempora culpat, cùm se potiùs vitamque debeat ad conscientiæ tribunal vocare. Stultum etiam est, virtutum ac vitiorum causas in temporum vices aut astrorum motus referre, quorum imperio ac ditioni minimè obnoxium est humanum arbitrium. Denique quæuis tempora bona sunt,

Laërt. variis locis.

sed

sed benè vtentibus: & auream ætatem aurei reducunt mores. Itaque damnatâ hac de temporum diuersitate querelâ (cùm omni tempore bona promiscuè ac mala proueniant) res ipsas nos potiùs attendere iubet Ecclesiastes, tribus proximis Sectionibus docens, quid boni potissimùm optandum sit, & quomodo animus lætis tristibusque sit aptandus.

SECTIO VNDECIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 12. Vtilior est sapientia cum diuitiis, & magis prodest videntibus Solem.

13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.

METRICA PARAPHRASIS.

DIVA quæ fines regis Antiatum,
Quam colit vasti domitor profundi,
Quæ rotæ mundum volucris citato
Turbine versas;
Nil agis, firmum quoties minaci
Territas robur sapientis arcu, aut
Mentis excelsæ clypeo proteruâ
Fronte duellas.
Ille ceu rupes maris Adriani
Temnit imbelles Aquilonis iras,
Temnit vndosæ Thetidis furores
Spumea tela.

Inclytum firmans adamante pectus,
Sortis excussas petulante dextrâ
Filias Cressæ recipit pharetræ
Non sine risu.
Seu nouercali laceret procellâ
Naufragam puppim, canit expeditus
Sarcinis vitæ, mediis in vndis
Dulce celeuma:
Siue maternam faciem serenans,
Sicanâ iustum Libycaque messe
Ditet, ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos.
Temperat sortem sapiens vtramque:
Dum negat risu faciem proteruo,
Dum negat turpi violare fletu
Nubilus ora.
Sed magis splendet Sophiæ venustas
Protegens nummis decus omne vitæ,
Diuite accedit quoties profuso
Copia cornu.
Non secùs fetu grauidam Cybellen
Diuitat Phœbi rutilantis aurum,
Dum redux puros leuat Amphitrites
Gurgite currus.
Luce vitali recreat nouales:
Pingit in pratis genus omne florum:
Splendidum cunctis radiosus adflat
Rebus honorem.
Sic opes vitam sapientis ornant,
Quem beatorum è numero relegat
Dissidens plebi tenuique virtus
Tecta lacernâ.

Rore

Rore si puro Sophiæ iuuentus
Crescit in culmos melioris ævi;
Dextra pupillos locupletis aureo
Irrigat imbri.
Si penu seros Sophiæ viatico
Instruit canos; nihil hoc senectam
Gaza sustentans meriti minoris
Ambit honorem.
Ne tamen fallax Sophiam doloso
Turba venalem licitetur auro;
Néve virtutum pretiosa mutet
Æra lupinis;
Obruit splendor sapientis, aurum:
Ut greges perdunt Hyadum decorem
Luna fraterno quoties ab ore
Concipit ignem.
Hoc habet magnum Sophia, inuidendos
Mentis excelsæ penetrat volatu
Siderum tractus, via quà perennis
Ardua vitæ.
Proterens gressu morientis ævi
Busta, vivacem generosa famam
Scribit heredem, tumulo sibique
Facta superstes.

PROSA EXEGESIS.

POST explosam stultorum querelam de sui temporis calamitate,& vana suspiria ad auream illam priscorum ætatem transmissa,opportunè subiungit Ecclesiastes, quid nobis potissimùm in votis esse debeat. Nam tempora quidem,quæ semel dilapsa sunt, frustrà reuocantur : si quid autem in iis eximium exstitisse,

aut mortalibus expetendum fictis fabulis memoriæ proditum est; id ferè auri siue diuitiarum adfluentiâ, aut aureis moribus, id est virtute & sapientiâ, continetur. Atqui vtrumque votis nostris ac desideriis suggessit Ecclesiastes, dum ait: *Bona* siue *vtilis est sapientia cum diuitiis*. Sed quemadmodum his verbis mortalis huius vitæ beatitatem complecti videtur, ita dum diuitias necessitudine quadam cum sapientiâ copulat, imò etiam præ paupertate sapienti exoptandas asserit, animos nostros non mediocriter perturbat. Primùm enim,

Ita LXX. *legunt, & alij.*

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci.

Ouid. Epistolâ 9. Heroid.

Quid commercij diuitiis cum sapientiâ? Deinde, quorsum toties vel hoc ipso Libro commendata paupertas, multoque frequentiùs castigata diuitiarum cupiditas, si magis opportunæ sapienti sunt diuitiæ, quàm paupertas? Sed nimirum scopus eius oculis nostris debet obuersari: quem si contemplati fuerimus, nihil hîc peregrinum, nihil à ratione alienum dixisse conuincetur. Neque verò id agit Ecclesiastes, vt diuites magis ingenio pollere quàm pauperes contendat: nam contrà potiùs Athenienses diuites more suo παχεῖς, id est pingues siue stupidos appellarunt. Diogenes verò oues (stultitiæ symbolum) aureo vellere vestitas. Sed neque maiores in diuitiis opportunitates, aut maiora ad comparandam sapientiam præsidia vult inueniri, cùm Crates Thebanus, alijque complures generosissimè diuitias abdicarint, vt tantò expeditiores ad philosophandum redderentur. Denique nec sapientiam ab auro splendorem mutuari suum aliquem arbitratur: id enim esset virtutem à fortunâ perfici, lucem à tenebris splendorem accipere, rem nobilissimam ac pulcherrimam à vanâ futilique commendari.

Diuitiæ non aquiparantur sapientiæ.

Suidas in Παχ. Laërt. li. 6.

Hoc

Hoc vnum ergo docet Eccleſiaſtes, dum ait, vtiliorem eſſe ſapientiam cum diuitiis, maiores ſcilicet illam habere opportunitates ad vſum vitæ communis ac ſocialis: & ad hoc plurimum conferre diuitias, vt vberior ſapientiæ fructus ad alios potiſſimùm deriuetur. Cùm enim vtiliorem dixit eſſe ſapientiam cum diuitiis, vſum vtriuſque proculdubio præcipuè ſpectauit. Neque enim tam mali ominis aut deſperatæ famæ ſunt diuitiæ, vt ſi ad ſapientis manus peruenerint, non poſſint virtuti materiam ſuppeditare, aut ſtudioſis actionibus honeſtari. Sed, vt ait Ariſton, quemadmodum ab eodem vino alij contumelioſi, alij benigniores fiunt; ſic à diuitiis alij aliter afficiuntur, & ij quidem qui benè vtuntur, inde viaticum virtutis accipiunt; qui verò ſecùs, nequitiæ. Pythagoras equo generoſo diuitias comparabat. Quemadmodum enim ille periti gubernatoris fræno coërcitus, non rarò ſaluti fuit, imperitos verò in perniciem præcipitauit; ita plurimis ſaluti aut exitio fuêre diuitiæ.

Sapientia iuncta diuitiis eſt magis opportuna vitæ communi.

Stobæus Serm. 92.

Ibid.

Diuitiæ non ſunt culpandæ, ſed abuſus.

Diſcant igitur, inquit Ambroſius, qui diuitias accuſant, non in facultatibus crimen hærere, ſed in his qui neſciunt vti facultatibus. Nam diuitiæ vt impedimenta improbis, ita bonis ſunt adiumenta virtutis. Quod alibi rurſus inculcans, Licet, inquit, in pecuniariis copiis multa ſint lenocinia delictorum, pleraque tamen ſunt etiam incentiua virtutum.

Ambroſ. in Lucæ c. 19, 2.

Idem in Lucæ c. 6, 24.

Hoc fundamento poſito, reſtat vt huic Eccleſiaſtæ pronuntiato veritatem adſtruamus, doceamuſque, nec tantum poſſe diuitias abſque ſapientiâ, nec ſapientiam abſque diuitiis, quantum hæc vtraque, ſi ad vnius alicuius felicitatem cumulandam conſpirauerint.

Diuitiæ sine sapientiâ infirmæ sunt.

Ac inprimis infirmas esse diuitias, & ad benè beateq; viuendum egenas, nemo infitiabitur, qui attentè perpenderit, quàm numquam satis cuiquam dederit fortuna, cui nimium dedit; quamque famelicos semper, quibus fauet, relinquat. Habent quidem diuitiæ nescio quid eminens, & quod vulgus hominum tamquam maius conditione humanâ suspiciat; sed infinito tamen interuallo dissitum ab huius vitæ beatitate, quæ in virtute sapientiaque consistit. Prudenter olim Hippomachus alipta, quibusdam hominem procerum, tamquam pugilum certaminibus aptum, laudantibus, Sanè, inquit, si corona è sublimi suspensa manibus esset detrahenda. Idem fermè apud eos licet vsurpare, qui pulchros fundos, ampla palatia, immensam vim pecuniæ cum stupore admirantur, & in iis felicitatem constituunt: rectè scilicet eos iudicaturos, si venalis esset auro beatitas. atqui nullo pretio venalis est doloris vacuitas, magnitudo animi, constantia, fiducia, vita tota ex se apta, sibique consentiens.

Plutarchus de Cupidit. diuit.

Quemadmodum autem nihil ad benè beateque viuendum possessori conferunt diuitiæ sapientiâ destitutæ, ita nec vitæ sociali vtiles sunt, sed potiùs pernicioſæ. Quid enim aliud amicis & consanguineis, quàm superbiæ, comessationis, libidinis fomitem ac materiam subministrant?

Sapientia sine diuitiis ad vsum vitæ communis minus accommodata.

Sed & sapientia diuitiarum præsidio destituta prorsus infirma est, & publicè despecta. Quemadmodum enim terrâ deficiente amplissima quæque palatia corruunt; sic magni quoque spiritus terrenis opibus non suffulti. Videmus enim plerumque istiusmodi sapientes non audere se publico lucique committere, quos rei familiaris inopia intra tugurij sui cespites coërcet.

Sem-

Semper enim egestati annexum fuit opprobrium, & pudor, & latebræ:

Nec facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi. ——— Iuuenalis Satyrâ 3.

Quod vsque adeò verum est, vt quidam Græcorum fuerit ausus affirmare,

——* εἰ δὲ μὴ ὁ Ζεὺς
Ἦν ὅπῃ γῆς πτωχὸς, κ' αὐτὸς ἐπεῖχεν ὕβρεν.

* *Si & ipse Iupiter esset in terris pauper, & ipse contumeliam pateretur.* Pallad. Anthol. lib. 2. c. 49.

Quod ne Poëticis hyperbolis annumeretur, prohibet Euangelica veritas. Cùm enim Christus humanæ salutis assertor, ac noui Testamenti legislator, deniq; Deus-homo, conciues suos docere aggressus esset, mox à fastuosis ac pauperum fastidiosis explosus est his verbis: *Nónne hic est fabri filius?* Et quid tandem? Certè hic paupertatis eius despectus omnem pænè sapientiæ fructum subuertit. Subiungit enim Euangelista: *Scandalizabantur in eo.* IESVS *autem non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.* Scio quid obiici possit ex Apostolo, qui velut de superbiâ sui sæculi prostratâ triumphans ait: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia ..... vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Sed & illud noui inter diuinæ virtutis prodigia recensèri, sapientiam à stultitiâ, Regum fastum à paupertate & abiectione in triumphum ducta. Nos autem hîc non ea quæ inusitatam Dei potentiam in terris commendant, allegamus, sed quæ conformia sunt moribus humanis. Inter homines autem sapientiæ ac virtutis efficacia paupertatis despectu retunditur, & auctoritas abiectæ fortunæ tenebris obfuscatur; vt meritò hîc vsurpari possit illud Poëtæ:

Paupertas vulgò contempta. Matth. 13, 55.

1. Cor. 1, 27.

Vile latens virtus. quid enim demersa tenebris

Claudian. Paneg. de 4. Conf. Honorij.

Pro-

Proderit? obſcuro veluti ſub remige puppis,
Vel lyra quæ reticet, vel qui non tenditur arcus.

Diuitiæ aliquid auctoritatis conciliant ſapienti.

Optabit igitur ſapiens diuitias (ſi voti copiam Deus fecerit) quæ ſapientiæ apud promiſcuam multitudinem nonnihil publicæ lucis atque auctoritatis adiiciant: & viciſſim à ſapientiâ ad quæſtuoſiſſimum virtutis & gloriæ mercatum transferantur. Quis enim ignorat, viri locupletis orationem ac ſapientiam certiùs & efficaciùs in hominum animos illabi quàm pauperis? *Eccli.13, 28.* *Diues locutus eſt*, ait Siracides, *& omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent. Pauper locutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic? & ſi offenderit, ſubuertent illum.* Nolo huic veritati ſtabiliendæ in medium producere populares illos applauſus, vel adulationes potiùs, cùm Herodi Agrippæ pro concione verba facienti acclamatum eſt: *Act.12,22.* *Dei voces, & non hominis*. neque enim ſapiens mendaci plauſu fucoque delectatur. Illud potiùs aſſeram, iſtiuſmodi ſapientem, qualem voto formamus, olim fuiſſe Moyſem, qui in aulâ Pharaonis educatus, ſapientiam diuinitus acceptam cum dignitatis exiſtimatione opibuſque Madianiticis coniunxit, cùm ad Dei populum legatione functus eſt. Talem etiam fuiſſe accepimus Abrahamum, qui in Mambræâ conualli Theologiam profeſſus, hoſpites primùm liberaliter apud ſe habebat (vt erat inter ſuos locuples & copioſus) ac deinde pronis auribus ſalutis monita, verique Dei notitiam & colendi ritus ingerebat.

Sapientia plus etiam confert diuitiis.

Nec ſapientia diuitiis minores officij vices rependere conſueuit, quas ad omnem honeſtatam virtutemque traducit. Huic enim latiorem in diuitiis quàm in paupertate campum patere, nemo eſt qui ambigat. Senecam, ſi placet, audite. Quid eſt, inquit, dubij, quin maior

Seneca de Beatâ vitâ c. 22.

mate-

materia sapienti viro sit animum explicandi suum in diuitiis, quàm in paupertate? cùm in hac vnum genus virtutis sit, non inclinari, nec deprimi; in diuitiis & temperantia, & liberalitas, & diligentia, & dispositio, & magnificentia campum habeant patentem. Itaque sapiens, vt ait Philo, & liberalitatem exercebit erga amicos pauperes, & munificus erit in patriam, & pauperum parentum filias frugali dote augebit, & tantùm non in medium sua proferens, quotquot eâ gratiâ digni fuerint, inuitabit ad fruendum. Quid multa? Velut mortalis aliquis πανδοκεύτωρ sapientiâ simul ac munificentiâ Deum hominesque sibi deuinciet. Philo de Profugis.

Nam virtus coniuncta auro, virtutibus aurum,
Quæ voluere valent, quæ valuere volunt.

Sed ne Sapiens tam felici combinatione diuitias impensiùs, quàm par est, commendasse videatur, subiungit id quod sapientiam in immensum extollit, & quod mortali potissimùm est expetendum: *Hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.* Vitam, inquam, siue beatam quamdam ac diuturnam in terris, vt exponit Arboreus, siue beatiorem alteram atque æuiternam in cælis, vti Campensis magis probat. An etiam illam dicemus, quam tanti faciunt eruditi, nominis immortalitatem? An ad hanc etiam respexerit Ecclesiastes, non satis liquet. Illam certè vel maximè consequi sapientes & eruditos, nemo dubitabit, qui vel Poëtam audierit in suis scriptis exultantem: *Sapientia vitam & immortalitatem tribuit.*

Non totus moriar: magnaque pars mei Horat. li. 3. Odâ 30.
Vitabit Libitinam. & rursus:
——— Non ego, quem canis Idem li. 2. Odâ 20.
Dilecte Mecænas, obibo,
Nec stygiâ cohibebor vndâ.

Sen. Consolat. ad Polybium c. 37.

Hanc nominis immortalitatem spectare Polybium iubet Seneca, dum ait: Immerge te studiis tuis altiùs. Hoc vnum est in rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat, quòd nulla consumat vetustas: cetera quæ per constructionem lapidum, & marmoreas moles, aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propagabunt longam diem: quippe & ista intereunt. Immortalis est ingenij memoria. Sed ego semimortuam hanc nominis immortalitatem veræ virtutis ac sapientiæ canditatis, ac præsertim Christianis, pro nihilo ducendam semper existimaui: quibus vita melior, & felicior æternitas his Prophetæ verbis addicitur: *In memoriâ æternâ erit iustus.* Hæc igitur sunt, è quibus aurei sæculi fructum aliquem decerpere possumus, & horum temporum fastidia solidorum bonorum gustu condire. Quibus expositis, ea contrà mala proponit contemplanda, quæ patientiam nostram exercent: iubetque nos æquo animo diuinæ prouidentiæ consiliis & operibus acquiescere.

Psal. 111.

SECTIO DVODECIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 14. Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.

METRICA PARAPHRASIS.

QVI sola terrarum lustras, cælumque profundum,
Et architecti nobilem laudas manum,
Orbe vago spectta dextræ monimenta Tonantis,
Amesque multa nosse: sed ne quid nimis;

Ne

Ne tibi, si figas oculos in lampada Phœbi,
A luce nimiâ lucis oriatur minus.
Inuenies gelidi glacialia climata Plaustri:
Frustrà hîc Sicana moliare Eloria.
Inuenies Libyamque arentem, & inhospita tesqua:
Frustrà hîc Fauoni suaue delicium expetas.
Inuenies Sodomæ turgentia mala fauillis:
Frustrà propinquæ Segoris affectent decus.
Inuenies funesta lues quos temporis adflat,
Manusque sæuæ pertinax sortis premit.
Quid memorem indociles animos, distortaque monstra,
Natura clausit queis nouercalem manum?
Non auro tantùm pateræ gemmisque rigentes
Palatiorum splendidos abacos struunt:
Quandoque & Samias auro iuuat addere testas:
Vilique potis est vase maiestas coli.
Nec minor in minimis auctoris nota potestas:
Nec inquinatur sordibus mundi, artifex.
Quorsum operam ludens informes lambis aborsus?
Aut corrigis distorta quæ tellus creat?
Sunt curuæ in terras animæ, & cælestium inanes,
Stellata quas ad templa nequidquam erigas.
Sunt queis dura silex animo, aut Marpesia cautes,
Quos nulla frangat suada, nulla mulceat.
Sin etiam esse velis, quibus incubet ira Tonantis,
Ignique tristes destinentur victimæ;
Ne fatum rimare poli, legesque repostas.
Suspicere fas diuina, scrutari nefas.

PROSA EXEGESIS.

NON ita perturbare nos debet hæc temporum noſtrorum (vt nobis quidem videtur) iniquitas, aut ſi quid in hac mundi ſenectute viribus infirmum, defectu mutilum, turpitudine deforme, malitiâ peruerſum, conditione deſpectum videatur, vt mox diuinam prouidentiam in crimen & culpam vocemus, aut inutiles querelas de temporum rerumque prauitate texamus: ſed cùm ſciamus, omnia Dei opera ſummâ ſapientiâ conſtituta; quæ non capimus, ſuſpicienda ſunt; & quæ ad guſtum noſtrum non faciunt, æquo animo ferenda. Quis enim operum ſuorum aut iudiciorum rationem à Deo exiget, cuius voluntas lex eſt, cuius nutus imperium, cuius maieſtas abſolutiſſimum in res omnes creatas dominium. *Qui ſi ſubuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei? O homo, tu quis es,* ait Apoſtolus, *qui reſpondeas Deo?* Reſpondere enim non poſſe Deo conuincitur, ait Gregorius, qui homo nominatur, qui per hoc quòd de humo ſumptus eſt iudicia ſuperna diſcutere dignus non eſt. *Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eâdem maſſâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ. Numquid dicet lutum figulo ſuo: Quid facis, & opus tuum abſque manibus eſt?* Nec verò iure quiſquam infinitæ illi maieſtati ſuccenſeat, quòd

Operum Dei non eſt exigenda ratio.

Iob 11,10.

Rom.9,19.

Gregorius lib.9. Moral.c.8.

Rom.9,20.

Iſaiæ 45,9.

——*non omnis fert omnia tellus,*

quòd quædam mundi climata pænè perpetuo gelu, & ſemeſtri quotannis nocte damnata ſunt, alia nimio Solis ardore ſterileſcunt, alia in exhauſtis obſeſſa paludibus,

dibus, alia nudis & inacceſſis rupibus inhoſpita. Et inter ipſos homines nemo ſanæ mentis miratur alios omnino barbaros & agreſtes inueniri, alios profligatâ perditaque valetudine, alios trunco mutiloque corpore, alios extremâ inopiâ laborantes. At inquies: Otiosè quidem hæc talia contemplantur, quibus ex voto cedunt omnia: ſed durum eſt, in mediâ barbarie vix tenuem ſubinde diuinæ lucis ſcintillam percipere: durum eſt, aſſiduè cum aduersâ valetudine luctari; durum, ab improbis adfligi; durum, cum inſuperabili rei familiaris inopiâ conflictari. Ita ſe res habet,

Durum; ſed leuius fit patientiâ,
Quidquid corrigere eſt nefas.

Horat. l. 1. Odâ 24.

Et eſt ſanè cur libenter acquieſcamus diuino conſilio in iis quæ in operibus diuinis nobis diſplicent: & æquo animo feramus ea, quæ velut aduerſa perhorreſcimus. Nam, vt rectè notat D. Auguſtinus, ex his & ſimilibus conſiſtit huius vniuerſitatis admirabilis pulchritudo. In quâ illud etiam, quod malum dicitur, benè ordinatum, & ſuo loco poſitum, eminentius commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora ſint, dum comparantur malis. Nec enim Deus omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi vſque adeò eſſet omnipotens & bonus, vt benefaceret etiam de malo. Quidquid igitur verâ tibi ratione melius occurrerit, ait idem alibi, ſcias id feciſſe Deum tamquam bonorum omnium conditorem. Non eſt autem vera ratio, ſed inuidiæ infirmitas, cùm aliquid meliùs faciendum cogitaueris, iam nihil aliud inferius velle fieri; tamquam ſi perſpecto cælo, iam nolles terram vmquam eſſe factam. Aut ſi perfectâ rotunditate com-

Auguſt. in Enchirid. c. 10. & 11.

Quæ in mundo imperfecta & praua videntur, ad eius ornatum pertinent.

Auguſt. l. 3. de Libero arbitr. c. 5.

prehensâ ſtomacheris quòd talem in nuce non inuenias: aut quia præſtantior eſt videndi ſenſus quàm audiendi, quatuor oculos eſſe velis, nullas aures.

Idem li. 11. de Ciuit. c. 18.

Itaque Deus hunc rerum ac ſæculorum ordinem quaſi pulcherrimum carmen quibuſdam velut antithetis honeſtauit: & quemadmodum contraria contrariis oppoſita ſuam habent in oratione venuſtatem, ſic in hac non verborum, ſed rerum eloquentiâ ex oppoſitione contrariorum ſæculi quædam pulchritudo conſurgit.

Accedit & alia ratio, quæ nos operibus diuinis iubet acquieſcere; quòd nimirum fruſtraneus eſt omnis emendandi conatus. *Nemo poteſt corrigere*, ait Eccleſiaſtes, *quem* (vel *quod*, vt alij legunt) *ille deſpexerit.* ſiue quod ita exigit rerum natura, vt iam diximus, & totius vniuerſi proportio, vt non eadem ſit rerum omnium perfectio (nam vbi omnia eminent, omnino nihil eminet) ſiue quod vindicta diuina nonnumquam occultis, ſed ſemper iuſtis de cauſis quaſdam ſeu nationes, ſeu regiones, ita deprimere perſeuerat, vt vana ſit omnis contrà nitentium induſtria; adeoque reipsâ expreſſum videamus, quod in excidio Troiano variis fabulis adumbrauit Horatius, dum apud eumdem Iuno ſic fata Romanis enuntiat:

Vide Pinedam in Parallelis hîc.

Homo corrigere non poteſt opera Dei.

Horat. l. 3. Odâ 3.

——— *Ne nimiùm pij*
Rebuſque fidentes auitæ
Tecta velint reparare Troiæ.
Troiæ renaſcens alite lugubri
Fortuna triſti clade iterabitur,
Ducente victrices cateruas
Coniuge me Iouis, & ſorore.
Ter ſi reſurgat murus aheneus

Aucto-

Auctore Phœbo, ter pereat meis
Excisus Argiuis, ter vxor
Capta virum puerosque ploret.

Sic ille priscas historias fabulosè repetens. Sed quid prohibet fictis fabulis vera mortalium fata, & seuera Numinis iudicia repræsentari? Certè minimè fabulosum est, quod huic planè geminum Deus apud Malachiam pronuntiat: *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui, & posui montes eius in solitudinem, & hereditatem eius in dracones deserti. Quòd si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus quæ destructa sunt: hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus vsque in æternum.* Ita Deus Idumæos primò per Chaldæos grauiter adflixit; deinde ad antiquam felicitatem postliminio adspirantes, partim per Iudam Machabæum, partim per Hircanum, eiusdem ex Simone nepotem, grauissimis cladibus contriuit: hic enim per vim circumcisos, ad Iudaicos ritus transtulit; donec tandem sub Tito ita reliquiæ gentis profligatæ sunt, vt ne vestigium quidem Idumæorum aut posteritatis Esau reperiatur. Malach. 1. 2.

Sed hæc tolerabilia videri possunt, quæ terrarum ac regionum calamitatibus continentur, neque animam vulnerant, cùm vix extimam corporis cutem leuiter perstringant. Illa grauiùs afficiunt, animosque percellunt, quæ Caluinus, alijque eiusdem farinæ ex hoc similibusque sacræ Paginæ locis conantur elicere, quosdam scilicet à Deo ante omnem culpam sic despici, &, vt vocant, obdurari, vt nullo labore, nullaque industriâ possint ad virtutem probitatemque pertingere; tamque insuperabili fato æternis cruciatibus destinari, vt omnis *An aliqui à Deo ante omnem culpam despiciantur.*

nis irritus sit ad salutem conatus. Istiusmodi despectus & obdurationis exemplum in Pharaone nobis exhiberi contendunt, quem irrefragabili fato velut ad certamen cum Deo volunt excitatum (quemadmodum in arenâ Threx cum Myrmillone componitur) vt indomitâ ceruice diuinis imperiis obluctaretur, ac tandem ineuitabilis rebellionis pœnas viuus mortuusque lueret atrocissimas. Sed amabò, quænam esset hæc tam dira tamque inaudita tyrannis, quæ ferreâ necessitate inextricabilibus peccatorum laqueis homines irretiret, vt iisdem damnatis, reorum se suppliciis oblectaret?

Quî posset Deus vsquequaque iustissimus hanc iustitiæ laudem sibi vindicare, si ab iis pœnas exigeret, quos idcircò in scelus impulisset, ne fatale sceleris decretum effectu frustraretur? Sanè iustitia iusta non erit, ait D. Fulgentitus, si puniendum reum non inuenisse, sed fecisse dicatur. Maior verò erit iniustitia, si lapso Deus retribuat pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam. Si homo à Deo despectus, necessariisque ad virtutem subsidiis destitutus, imò occultâ quadam vi in facinus impulsus, nihil in salutis aut damnationis suæ negotio liberè agit, sed agitur potiùs vt globus à proiiciente, vt securis à secante, vt lutum à figulo, quibus nullum sui arbitrium est; cur non accusatur potiùs ille plus quàm Stoicus fatorum impulsus, quàm ineuitabilis miserorum necessitas dicam veriùs quàm culpa? Non iniuriâ sic olim cum Ioue expostulabat quidam: Si Parca omnium rerum est causa, ergo si quis patrem occiderit, Parca in culpa est. Si Minos rectè velit vti iudicio, multò æquius Fatum pro Sisypho puniet, & Parcam pro Tantalo. Quid enim illi iniustè egerunt, quando Parcæ dicto audientes fuerunt?

Fulgentius lib. 1. ad Monimũ c. 22.

Lucian. in Ioue confut.

Va-

Valeant igitur, valeant hæc Nouatorum deliria: non ea mens est hagiographorum, cùm obdurari aliquem, desp ici, in reprobum sensum tradi affirmant, vt eos omni velint aut ad virtutem excitamento, aut ad salutem auxilio destitutos; sed non parem omnibus diuini fauoris & gratiæ affluentiam asserunt communicari. rara tantùm ac tenuiora subsidia, grauissimorum peccatorum meritis subinde sic exigentibus, volunt suppeditari. Neque cùm dicit Ecclesiastes, *Nemo potest corrigere quem Deus despexerit*, omnino de vitæ reformatione putat esse conclamatum (nihil enim vetat, eum qui iam despicitur, reconciliatâ postliminio gratiâ charum acceptumque reddi) sed familiari Scripturæ phrasi impossibile dicit, quod arduum ac difficile esse conuincitur: quia nimirum par non est, eos peculiaribus amoris illecebris à Deo præueniri, qui se potiùs despectu dignos reddiderunt; nec facile est eos ex imâ scelerum abysso emergere, qui Deo manum subinde porrigenti per ludibrium insultant. At, inquies, non vult Deus *mortem impij, sed vt conuertatur impius à viâ suâ, & viuat*: cur non igitur congruis quibusdam, & ad cuiusque genium & ingenium appositis animi motibus, quibus nouerit nullum cor durum reluctari solere, aberrantes in viam reuocat? & cùm omnium salutem seriò & ex animo desideret, cur in tantâ mediorum copiâ ea tantùm salutis præsidia proponit, quæ (vtpote futurorum omnium ab æterno conscius) pertinaciter viderit esse repudianda? Hîc aliud quod reponam non habeo, præter illud Apostoli: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Illud tamen vnicuique persuasum

Quid sit aliquem obdurari aut à Deo despici.

Ezech. 33, 11.

Rom. 11, 33.

esse cupio, neminem vulgaris improbitatis hominem à Deo despici, & ad hanc cælestium bonorum penuriam redigi: sed quemadmodum peccator *cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit*; sic eumdem in pœnam plurimorum flagitiorum post despecta salutis præsidia vicissim à Deo contemni. Sed hæc tristia, & quæ, velimus nolimus, ferenda sunt, præteruecti, ad id quod residuum eratin horum temporum querelâ cum Ecclesiaste veniamus; pauciſque doceamus, quomodo animus in omni temporum varietate lætis æquè ac tristibus sit aptandus.

Prou. 18, 3.

SECTIO DECIMATERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 15. In die bonâ fruere bonis, & malam diem præcaue. sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, [a] vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias.

[a] LXX. & *Hebræa lectio habent*: vt non inueniat homo quidquam post ipsum.

METRICA PARAPHRASIS.

Non semper Plias inserena nimbos
Latè depluit hispidos in agros.
Interdum liquido volans apricos
Titan æthere concitat iugales.
Non rarò Boreas Noto duellans
Imi concitat æquoris procellas:
Nec rarò Æolidum furore Nereus
Sternit compositò serenus æquor.
Nunc densum nemus horridus December
Frondenti spoliat comarum honore:

Nunc

Nunc cultus nemus induit superbos,
Vitali zephyro euocante frondes.
Sic magnus iubet arbiter polorum
Alternare vices genus Promethei,
Luctum lætitiâ, diesque vitæ
Dulci tempore temperans amaros,
Dulces tempore temperans amaro.
Nunc post funera recreant triumphi,
Nunc & funera dissipant triumphos.
Nunc sortis rota vertitur benignæ,
Nunc sortis rota vertitur nouercæ.
Nunc lessi citharas premunt loquaces,
Nunc lessos citharæ premunt loquaces.
Hac re quis superis ciere litem
Ausit, vel stolidam mouere sannam?
O Mome insipiens & inficete!
An non conspicis, vt putrescat vnda,
Quam nullis agitat Notus procellis?
Et quibus minus est beatitatis,
Quàm quibus nimium est beatitatis?
Et quos sors nimio fauore stringens,
Suetis ludere, delicatulisque
Elisit placidâ manu vigorem?
Tu si quid sapis arduum, tuique
Numquam dissimilis, tuisque semper,
Temet temporibus tuis adapta.
Et si lux tibi fulserit serena,
Frontem nubibus eximas serenam,
Curarum nebulis valere iussis,
Mœroris lacrymis valere iussis.
At si sors caperans iniqua frontem,
Funestet stygiis diem tenebris;

Æquam tu modò temperato mentem,
Splendorem elicies vel è tenebris.
Quæ te cumquè igitur vices manebunt,
Excelsâ ſtabiliſque ab arce mentis
Fortunæ dubium intuere vultum.
Quin Dei magis intuere vultum.
Qui ſi blandior, hanc puta ſalutem:
Sin contractior, hanc puta medelam.

PROSA EXEGESIS.

CONCLVDIT hîc Eccleſiaſtes iniquam illam de temporis iniquitate querimoniam; docetque in omni temporum ac fortunæ viciſſitudine diuinæ prouidentiæ conſiliis acquieſcendum, animumque rebus ac temporibus cum quadam moderatione accommodandum. Nam ſiue fatorum ſeriem, ac diuinæ prouidentiæ decreta ad placitum tuum torquere conatus fueris, ipſe potiùs velut Euripi cuiuſdam æſtu rapieris inuitus; ſiue cælum lamentis impleueris, dolore nil profuturo cruciaberis. Perennabit hæc rerum temporumque conuerſio, &

Bonorum ac malorũ in mundo viciſſitudo.

——*veniet poſt nubila Phœbus,*

ſed & Phœbus ipſe noua ſuget nubila: æſtas hiemem pellet, ſed hiems victa victorem proſcribet: alternas mutabunt vices tempeſtas ac ſerenitas, & mutato ſubinde nomine diem reducet *dux noctis Heſperugo*. Ita velut pilæ mortales iactamur inter læta & triſtia, inter mœrorem & ſolatium, bellum & pacem, paupertatem & diuitias, honorem & ignominiam, vitam & mortem. Nónne ex ſummo rerum humanarum faſtigio ad rogum vſque deturbatus eſt Crœſus? Nónne infeliciorem etiam exitus vitæ fuit Cn. Pompeij præſtantiſſimi viri, poſt

Velleius lib. 2. c. 53.

post tres Consulatus ac totidem triumphos, domitumque terrarum orbem? intantum in illo viro à se discordante fortunâ, vt cui modò ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Contrà verò nónne Seruius Tullius ex ergastulo ad regni apicem conscendit? & Michaël Traulus, cuius alibi memini, ab extremo supplicio, legibus debito, ad Imperium peruenit, & aureum manu sceptrum priùs gestauit, quàm crura ferreis compedibus expediuisset? Suprà Capite 4. Sectione 5.

Si inter has rerum temporumque conuersiones vita nostra consumitur, aut, vt ait Bernardus, ex aduersis & prosperis, tamquam ex spinis & rosis, contexitur; nónne meritò nos hortatur Ecclesiastes, vt nos tempori submittentes, quod bonum est lucro apponamus, quod malum est vitemus? *In die bonâ*, inquit, *fruere bonis.* *Tempori aptari decet.*

Danda est interdum lassis remissio: & cùm res ac tempus inuitat, animus à mœrore curisque abducendus. *Animus interdum relaxandus.*

Indulgendum est animo, ait Seneca, dandumque subinde otium, quod alimenti ac virium loco sit, & in ambulationibus apertis vagandum, vt cælo libero & multo spiritu augeat attollatque se animus. Aliquando & mutata regio vigorem dabit, conuictusque & liberalior potio. Nonnumquam & vsque ad ebrietatem (hilaritatem dixero potiùs) veniendum: non vt mergat nos, sed vt deprimat. Eluit enim curas, & ab imo animum mouet: & vt morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur; Liberque non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini, sed quia liberat seruitio curarum animum, & asserit, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit. Sed vt libertatis, ita vini salubris moderatio est. Et Solonem & Arcesilaum indulsisse vino credunt: & Catoni ebrietas obiecta est: at faciliùs Seneca de Tranquill. anim. c. 15.

efficiet, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quàm turpem Catonem. Ita Seneca.

Bonis moderatè vtẽdum est.

Ego verò vt vini, ita voluptatis & felicitatis omnis moderationem arbitror esse salutarem: & quemadmodum parcè prouideque canis aquam Nili sorbillat, ita res prosperas moderatè cauteq; delibandas. Ita præcipit noster Ecclesiastes: *In die bonâ fruere bonis, & malam diem præcaue.* eiusque vestigiis insistens Siracides, *In die bonorum,* inquit, *ne immemor sis malorum.* Ita tranquillo mari crede, vt scias mox secuturam tempestatem; eodemque die, vbi lusere, nauigia mergi: ita felicitate vtere, vt memineris illam paruo interuallo à miseriâ distare. Omnium enim calamitatum scopus est homo diu felix. Nescit stare felicitas: & quoties vltrà nihil inuenit quò tendat, conuerso repentè gradu in præcipitium deuoluitur. Hæc animo præcipienda sunt, si tuti esse volumus. Neminem aduersa fortuna comminuit, ait Seneca, nisi quem secunda decepit. Illi qui munera eius velut sua & propria amauerunt, qui se propter illa suspici voluerunt, iacent & mœrent, cùm vanos & pueriles animos omnis solidæ voluptatis ignaros, falsa & mollia oblectamenta destituunt. At ille qui se lætis rebus non inflauit, nec mutatis contrahit, aduersus vtrumque statum inuictum animum tenet. Hæc magis etiam piè inculcat Bernardus: In die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Prophetâ, & dic: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Porrò tempore tentationis consolare, & dic cum sponsâ:: *Trahe me post te, in odorem curremus vnguentorum tuorum.* Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono prouidentia deerit: eriscque inter aduersa & prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, imò insigne

Eccli. 11, 27.

Sen. Consol. ad Heluiam, c. 5.

Bernardus Ser. 21. in Cantica.

Psal. 70, 9.

Cant. 1, 3.

insigne illud antiquum æterni Dei, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Hoc est quod nobis insinuat Ecclesiastes, dum ait: *Malam diem præcaue. Sicut enim hanc, sic & illam fecit Dominus.* Iac.1.

Dicat enim aliquis: Si diuinæ prouidentiæ nutu decretum est, vt mala bonis statо tempore succedant; frustrà cauebimus, quod vitare non possumus. Sed nimirum quemadmodum præclarè sibi consulit, multaque vitat pericula, qui galeâ, loricâ, clypeoque tectus in aciem descendit: ita nos tolerabiliùs huius mundi mala susсipimus, ait D. Gregorius, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Minùs enim iacula feriunt quæ præuidentur. Et præcogitati mali mollis ictus venit, ait Seneca. ideò sapiens adsuescit futuris malis; & quæ alij diu patiendo, leuia facit diu cogitando. Nimirum hæc est præstans & diuina sapientia, ait Cicero, perceptas penitus & pertractatas humanas res habere: nihil admirari cùm acciderit; nihil, antequam acciderit, non euenire posse arbitrari. Grauiùs enim ea vulnerant, quæ improuisa sunt. Quod ab Homero sapienter animaduersum notauit Plutarchus, qui Vlyssem post vagos errores patriæ restitutum repentinæ morti canis sui scribit illacrymasse, vxori verò lacrymanti assidentem nullam rependisse lacrymam; siquidem, iam ante aduentum præsumpserat lacrymantis vxoris imaginem, canis verò inopinatâ morte perculsus est. Quisquis igitur prouidâ cogitatione animum in omnes aduersæ fortunæ casus præmiserit, nec facilè de tranquillitatis suæ possessione deiicietur, nec illibenter huic Ecclesiastæ sententiæ subscribet, quòd *non inueniat homo contra Deum iustas querimonias.* Quis enim iure queri potest se communi conditione mortalium viuere? Aut quis tantæ repe-

Mala præuisa minùs nocent.

Gregorius Homil. 35. in Euang.

Seneca Epist. 77.

Cicer. Tusc. 3.

Plutarchus libro de Tranquill. animi.

ritur

ritur impudentiæ, vt hunc rerum cursum ab Auctore naturæ præscriptum perturbari cupiat, vt sibi soli benè sit? aut Deo succenseat, quòd non perpetuò sibi blandientem experiatur? *Si bona suscepimus de manu Dei*, inquit Iob, *mala quare non suscipiamus*? Quid dico mala? De operibus diuinæ prouidentiæ querimur, in quibus tamen nihil est mali, nisi quòd querimur. Nam siue affectum consideremus cuncta decernentis aut permittentis Dei, siue effectum quem pariunt quæ vulgò mala nominantur, inueniemus non minorem nos Deo gratitudinem in aduersis quàm in prosperis debere. Et quid si etiam prospera magis quàm aduersa formidanda sint? Quàm rarus extitit, ait D. Bernardus, qui non vel modicè in prosperitate relaxarit animum à sui custodiâ? cui non incauto & incurioso disciplinæ, hoc fuit prosperitas, quod Solis radius ad niuem vel glaciem? Sapiens Dauid, sapientior Salomon fuit: sed blandientibus nimis prosperis, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Contrà verò Zenonem fractâ naui, quæ fortunas eius omnes vehebat, dixisse ferunt: Tunc secundis ventis nauigaui, quando naufragium feci: quia scilicet ad portum Philosophiæ naufragus appulerat. Nec minùs in aduersis triumphauit æmulator virtutum ac trophæorum Miltiadis Themistocles, qui cùm apud Persas exul, repentè diuitiis auctus fuisset, Perieramus, inquit, ô pueri, nisi periissemus. Quid Nabuchodonosorem dicam vtriusque fortunæ nobilissimum exemplum? Certè si stolidas hominum querelas de temporis ac fortunæ iniquitate audiret, grauiter illis succenseret, ac plus se Deo debere fateretur, quòd ad brutorum cónsortium proscriptus, quàm quòd ad regni solium fuerit euectus. Nam cùm sub diademate inter aulicos plausus ne se quidem nosset, inter

Iob 2,10.

Mala quæ vocantur interdum bonis præferenda.

Bernardus lib. 2. de Consider.

Diogenes Laërt. l. 7.

inter bruta etiam Dei notitiam est consecutus. Et quis dubitat, quin omnibus fortunæ donis optabilior fuerit Prophetæ Iobo sua calamitas? Sanè D. Chrysostomus affirmare non veretur, fimum illum, in quo sedebat Iob, omni tribunali Regio venerabiliorem sibi videri. Et multi nunc, inquit, transmarinam peregrinationem à terræ finibus suscipientes in Arabiam abeunt, vt fimum illum cernant: & conspicati terram, deosculantur, quæ illius victoris certamina & cruorem omni auro pretiosiorem excepit. Ex his cùm perspicuum sit, quàm iniqua sit hominis aduersus Deum de temporis iniquitate & rebus aduersis expostulatio; ad aliam querelam, quæ plus in speciem habet fundamenti, & ipsis interdum sapientibus excidit, cum Ecclesiaste pergamus.

Chrysost. Hom. 5. ad Pop. Ant.

SECTIO DECIMAQVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Iustus perit in iustitiâ suâ, & impius multo viuit tempore in malitiâ suâ.

17. Noli esse iustus multùm: neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.

18. Ne impiè agas multùm; & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

METRICA PARAPHRASIS.

ECCE alius vitæ scopulus probrosa minatur
Naufragia, & æstu pectus ancipiti rotat.

Summe Deus vastum nutu qui concutis orbem,
Aptasque rerum ac temporum alternas vices,
Nullone humanos libras examine casus?
Nullane nos in parte curarum locas?
Heu vidi, dum suspirans mea fata peregi,
Vitaeque mimum vmbratilem in scenam dedi,
Vidi alacri vultu ac rectâ ceruice nocentes,
Queis vna lex libido, queis nullum est iugum,
Qui innocuis ludunt iugulis, rapiuntque, feruntque,
Sceluscque nullum sceleribus pasti autumant,
Ducere inoffensos naturae tramite cursus
Aduscque seras capitis incani niues.
Nulla licet scelerum saties, neque cura pudoris
Malè feriatis limitem figat, tamen
Qui sola terrarum despectat ab aetheris axe,
Longam nefastis prorogat vitae diem.
Parte aliâ iustique tenax & cultor honesti
Paenè inter aras funus immeritum cadit.
Nil pietas, nihil cana fides, nihil inclyta virtus
Cohibere tela mortis indomitae queunt:
Sed veluti cùm vere nouo pubescere tellus
Incipit, & hortos primus inuestit color,
Aut tenera ad Boream declinant lilia culmos,
Aut verna pluuiis purpura exspirat Notis,
Inuida fata piis mediae sic fila iuuentae,
Et quos coronant merita, prae cunctis secant.
En scopulum. Quid enim superis pia turba litamus,
Decreta sceleri paena si iustum premit?
Ah! caue ne fatis legem praescribere tentes,
Superumque placitâ lance mendaci exigas.
Neu nimiùm sapuisse velis, rebusque minorem
Aciem fatiges ingenI caelo abditis.

Vt Phœbi radiis caligant luminis orbes,
Sic tibi retusæ mentis obrepet stupor.
Impia sacrilego neu lingua regurgitet æstu,
Commenta stolidi cordis in Deum euomens,
(Otia ceu cæli sub cardine languida ducat,
Securus imas sors quid in terras vehat)
Ne tibi sidereâ fulmen iaculetur ab arce
Crudoque vitam funere abrumpat Deus.
Sit licet vsque pius, serasque ardescat in iras,
Et ad nocentem laneo adrepat pede;
Si tamen in cælum blasphema resolueris ora,
Celeres in iras læsa maiestas ruet.

PROSA EXEGESIS.

NOVVS hîc lapis offensionis obiicitur, noua querelarum seges ac materia: & in speciem quidem priori illa vulgi quiritatione solidior, reuerà tamen ad cumulum miseriarum huius vitæ pertinens (quæ, vt insinuat Ecclesiastes, non tantùm vanitatis est plenissima, sed etiam ipsa vanitas) quòd nimirum iusti in medio ætatis flore, dum se Deo vel maximè probant, immaturâ morte succidantur; impij verò, dum in omnium scelerum colluuione volutantur, etiam vltra metam votorum suorum vitam voluptatesque producant. Cùm enim de Deo eiusque prouidentiâ nihil nisi iustum sanctumque concipere fas sit; mirantur & indignantur non pauci, eam in hac vitâ iustorum atque impiorum sortem videri, quam ad æquitatis lancem reuocare vix possint. Sanè, si Boëtium audimus, mala fieri in regno scientis omnia, potentis omnia, sed bona tantummodò volentis Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri. Et tamen vix orbe condito innocentis Abelis sanguine terra

Iustis interdum breuissima, impiis longa vita conceditur.

Boëtius lib. 4. de Consol. Prosa 1.

imbuta est: quem cùm impius Cain in primo iuuentutis flore demessuisset, ipse vitam contaminatissimam supra sexcentos octoginta annos protraxit. Et quot pios Principes in medio virtutum cursu vita destituit, cùm immanes illas belluas, Diocletianum & Maximianum, tot Sanctorum sanguine ebrias, tandem vitæ & imperij saturas, quasi in sinum quietis amœnissimi ruris prata susceperint? His olim similia demiratus, pænè cespitauit Propheta Regius, quamuis debitæ erga Deum reuerentiæ non immemor. *Quàm bonus*, inquit, *Israel Deus his qui recto sunt corde! Mei autem pænè moti sunt pedes, pænè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.*

Baron. anno Christi 304.

Psal. 72, 1.

Hactenus admirari licet occulta diuinæ prouidentiæ consilia: sed caue ne vltrà proueharis in altum hoc & periculosum mare, in quo gemini occurrunt scopuli, alter nimiæ iustitiæ, alter nimiæ impietatis: alter, inquam, illorum naufragiis infamis, qui plus æquo sibi sapientes, & imprudenti zelo succensi, iustitiam, quam sibi adscribunt, in diuinę prouidentiæ operibus requirunt; alter eorum, qui hac mundi ataxiâ offensi, omni timore Numinis prorsus repudiato, si quid palato suo minùs gratum acciderit, ad blasphemias & impia maledicta reuoluuntur.

Priores illos, quos error potiùs quàm malitia transuersos agit, ita monet Ecclesiastes: *Noli esse iustus multùm; neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* Neque existimes hominem à Deo negligi, propter quem tam multa illi curæ sunt & cordi. Porrò si quæsieris, quæ sit illa iustitiæ ratio, vt nec iustis vitam iustitia producat, nec impiis impietas abrumpat; sed his potiùs longa senectus contingat, illos immatura mors auferat; interro-

Iudicia Dei nõ sunt curiosè examinanda, nedum carpenda.

gabo

gabo & ego viciſſim cum Apoſtolo: *Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Vnum ſcio, conſtare Deo facti ſui rationem, etiam cùm de eâ nihil nobis conſtat: nec meliùs hæc ratio conſtat, quàm ſi nulli reddatur, cùm rationis omnis inſtar ſit voluntas ſupremi Numinis. Quemadmodum enim Poëta pro arbitrio alios in ſcenâ diutiùs detinet, longamque fabulam exhibere permittit, alios oſtendit tantùm, & nullo carmine recitato reuocat: ita in huius vniuerſi theatro hunc vario munere aut actione Deus in ſcenam mittit, Rom. 11, 34.

Hunc tantùm terris oſtendunt fata, nec vltrà
Eſſe ſinunt. Virg. l. 6. Aeneid.

—— Aut quemadmodum peritus hortorum cultor plantas quaſdam, priuſquam degenerent, in vſus ſuos euellit, quoſdam etiam fructuum præmaturè decerptos, in mel & ſaccharum recondit, alios ad putredinem vſque in arboribus relinquit: ita mundani huius horti cultor alios aliosque carpit aut reſeruat, omnes in vſum gloriæ ſuæ, & ad aliquod clementiæ iuſtitiæque ſpecimen exhibendum.

Quid, quòd ne ipſis quidem hominibus attendendum eſt, quamdiu, ſed quàm benè vixerint; neque quàm citò, ſed quàm ſanctè naturæ debitum ſoluant? Quid enim? vſque adeóne mori miſerum eſt, vt ſupplicij loco id ſit habendum? aut in præmiis reponenda eſt vita hæc mortalis, quam velut conceptorum in vtero carcerem cenſebant Indorum Gymnoſophiſtæ? Sanè non eſt poſitum vitæ bonum in eius ſpatio, ſed in vſu; nec morâ beatior fit vita, ſed longior. Quid enim lucri facimus, ſpatio, niſi vt plura mala partim videamus, partim patiamur, partim fortaſſis etiam faciamus; ac tandem nihilominùs tributum naturæ debitum pendamus? Aut quid

Vitæ bonũ non in longo ſpatio, ſed recto vſu conſiſtit. Nazianz. Orat. 10.

magnopere sapienti deperit, si momentaneæ huic vitæ aliquot momenta decerpseris? Certè nihilo se minoris æstimat sapiens, quòd virtutes eius spatio breuiore claudantur. Vtcumque illi vita ceciderit, siue senectus longa obtigerit, siue citra senectutem finitus fuerit, non eadem idcircò virtutis erit mensura, quæ fuit ætatis. Vtrùm maiorem an minorem in arenâ circulum scribas, ad spatium eius pertinet, non ad perfectionem. Et quamuis alter diu manserit, alterum statim obduxeris, & in eum, in quo scriptus est, puluerem solueris, nihil idcircò perfectioni addideris aut detraxeris. Denique non ea longa vita ducenda est, quæ momentis circumscribitur: ea verè longa est, cuius, postquam transierit, propter rerum cum laude gestarum conscientiam æternùm iuuat meminisse. Hoc voluit Martialis, cùm dixit:

Vita longa est, cuius æternum iuuat meminisse.

Martialis l. 10. Epig. 23.

Nulla recordanti lux est ingrata grauisque:
Nulla fuit, cuius non meminisse velit.
Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus: hoc est
Viuere bis, vitâ posse priore frui.

Quæ cùm ita sint, quis, obsecro, diuina consilia sugillare aut iniustitiæ condemnare audebit, quòd nonnumquam iustis breuior vita contingat? Quàm leuis enim hæc iactura sit, cùm ea quæ dicta sunt, tum luculenter Sapiens ipse demonstrat, *Iustus*, inquiens, *si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Consummatus in breui expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio*

Sapient. 4, 7. *Cur iustorum vita nonnumquam sit breuior.*

dio iniquitatum. Satísne iam causæ videtur habere diuina prouidentia, vt breuiore curriculo iustorum vitam finiat? Vnde ergo tam prona est in querelas humana mens? Causam subiungit idem Sapiens: *Populi videntes,* Ibidem. *& non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia,* secùs atque oportet, de diuinâ prouidentiâ arbitrantur; dumque se iustitiæ zelo duci volunt videri, ipsi in Deum iniqui iudices esse deprehenduntur.

Alij hac dispari iustorum atque impiorum sorte offensi, maiore etiam impudentiâ, prorsusque sacrilegâ temeritate, aut nullum Numen agnoscunt, aut stultissimis blasphemiis eius maiestati obtrectant. Et hic alter est scopulus, in quem nonnulli præsertim Ethnicorum impingunt. inter quos Ouidius sic audet scribens de morte Tibulli: *Ethnici diuinæ prouidentiæ sine causâ obtrectant.*

Cùm rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor, nullos esse putare deos. Ouid. l. 3. Amorum Eleg. 8.

Et alius non minùs impudenter:

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo. Credimus esse deos? Varro in Epigram.

At quo tanto scelere sese hîc obstrinxit Numen, vt non solùm è mentibus hominum, sed prorsus è rerum naturâ istorum calculis exterminetur? An quòd Cn. Pompeium post tot triumphos in littore maris obtruncatum absque exequiis tumuloque destituit? Scilicet ille superbiæ & ambitionis apex peculiari Dei curâ ab iniuriâ vindicandus fuit, qui honorum cupiditati plus æquo indulgens, Romanam euertit Rempublicam: in quâ cùm Cæsar nullum pati superiorem posset, ille ne parem quidem. An quòd Tibullum in medio flore ætatis, vel potiùs libidinum succidit? nimirum nulla in cælo erit prouidentia, quia in gratiam infamis istius prostibuli

buli naturæ cursum non interuertit? En crimen, en causa, cur viles terræ vermiculi infinitam Dei maiestatem ludibrio habeant, nullamque virtutis aut meritorum à Deo rationem haberi somnient.

Impij Dei prouidentiam blasphemant.

Sed quid Ethnicos impietatis arcesso, quorum subinde tota vita blasphemia est? hoc potiùs admiratione dignum est, inter ipsos Abrahami posteros hanc tantam impietatem inueniri potuisse, vt auderent apud Malachiam in has voces erumpere: *Vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt.*

Malach. 3, 14.

Blasphemia ferè in hac vitâ etiam punitur.

Sed quò ruis abominanda temeritas? *Ne impiè agas multùm*, monet Ecclesiastes, *& noli esse stultus* in carpendis ac damnandis diuinæ prouidentiæ consiliis, *ne moriaris in tempore non tuo*, nec ad illam pertingas vitæ metam, quam tibi spe votoque destinaueras; aut ad illam etiam, ad quam te secundùm naturæ cursum peruenturum Deus ipse prænouerat, nisi blasphemiis tuis eum ad accelerandam vindictam prouocasses. Quamuis enim Deus in ceteris delictis conniuere diu soleat, nescio quos tamen eius furori stimulos addere videtur blasphemia. Nec mirum: nihil enim horribilius blasphemiâ, ait D. Hieronymus, quæ ponit in cælum os suum. Omne quippe peccatum, blasphemiæ comparatum, leuius est. Huius itaque criminis magnitudini supplicij quoque magnitudo respondet, & quidem exclusis induciis à diuinâ miseratione solitis concedi. Sensit hoc ingenti suo malo Sennacherib: qui cùm Ezechiæ Iudæorum Regi sic insultasset, *Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam; neque dicas, Non tradetur*

Hieron. in Isaiam.

4. Reg. 19, 10.

tur Ierusalem in manus Regis Assyriorum. tu enim ipse audisti quæ fecerunt Reges Assyriorum vniuersis terris. num ergo solus poteris liberari? Ezechias Deo supplex, propositâ rei indignitate, tantum perfecit, vt læsa Maiestas diuina has impio minas intentarit: *Insanisti in me, & superbia tua ascendit in aures meas: ponam itaque circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.* Nec facta dictis fuere mitiora. Eâdem *nocte illâ venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octogintaquinque millia.* Posterâ die, tantâ suorum clade consternatus Sennacherib, desertâ Ierosolymâ discessit Niniuen; ibique in templo Nesroch à propriis filiis obtruncatus est. Quid nunc attinet, post tam horrendam tamque præcipitem vindictam, illud in medium adferre, quod Epistolâ quadam narrat Cardinalis Petrus Damianus? fuisse scilicet Burgundum quemdam Clericum, qui cùm virtutem nihil iustis prodesse contenderet, palamque falsam esse pronuntiaret hanc Christi sententiam, *Qui se humliat, exaltabitur*; repentè gladio per os instar fulminis transfixus est. Sed impios illos missos faciamus, quos sua satis condemnat impietas, & ex hominum mentibus affectibusque proscribit. Illud potiùs cum Ecclesiaste nobis prouidendum est, ne, quod de indiscreto iustitiæ zelo à nobis dictum est, ad vniuersi generis præiudicium, aut aliquod veræ iustitiæ dispendium trahatur. Hæc itaque præcauens subiunxit Ecclesiastes:

Ibid. v. 28.

Petrus Damian. lib. 2. Epist. 15.

Matth. 23, 12.

SECTIO DECIMAQVINTA.

ECCLESIASTES.

[a] *Id est,* quod iustum est, *siue,* iustitiam,

VERS. 19. Bonum est te sustentare[a] iustum, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam : quia qui timet Deum, nihil negligit.

METRICA PARAPHRASIS.

Qvi palmæ fragilis decus
Ambit, puluere Olympico,
In luctas habiles toros
Crebro proluit vnguine :
Et nunc aëra verberans,
Librat pondera cæstuum ;
Nunc Bacchi laticem fugit,
Ne largus titubet meri ;
Nunc arcet Paphios iocos,
Ne membris pereat vigor ;
Nunc victum sibi subtrahit,
Vt cursu anteuolet Notos.
Mercator miseri laris
Questus indocilis pati
Vltra clima retorridum
Terræ munera diuitis,
Sectatur trabe Cypriâ,
Quâ gentes medius liquor
Arcet dissociabiles :
Quaque ignota Trionibus
Vitant sidera Nerea.
Venator nemorum accola,

Si

Si visa est catulis fera,
Aut rupit teretes plagas,
Blandæ coniugis immemor,
Pernox sub Ioue frigido
Densis saltibus accubat.
Coniux sedula coniugem
In partem thalami iuuans,
Vt dulcem sobolem educet;
Queis non artibus ingeni
Infert lucra penatibus?
Dum Sol apta laboribus
Lucis tempora digerit,
Culpat præcipites rotas.
Dum nox fusca silentibus
Terris otia diuidit,
Noctem addens operi, & colum
Multo vellere vestiens,
Exercet famulas manus.
Te quem cælicolum fauor
Ad maius stimulat decus,
Stellantemque domum ætheris
Tandem in præmia destinat,
Artis iustitiam decet
Vitæ stringere brachiis.
Hæc certa est animi quies,
Hoc lucrum, hic honor, hæc salus.
Hanc ne mens temerè abdicet,
Nec missam faciat manus:
Seu te dura necessitas
Tristi pauperie premat;
Seu te culmine lubrico
Sublimem populi fauor

Fauſtis plauſibus euehat.
Quem cæli ſtimulat metus,
Dum Numen venerans colit,
Nulli iuſtitiæ deeſt,
Ne deſit pariter ſibi.

PROSA EXEGESIS.

NIsi præcedenti Sectione nimiam iuſtitiæ affectationem condemnaſſet Eccleſiaſtes, ſuperuacua iam videri poſſet hæc ad iuſtitiam ſiue virtutem cohortatio. Quid enim attinet ad eam rem velis orationis remiſque perurgeri, ad quam prono naturæ æſtu torrentis inſtar abripimur? Quid tam naturale, quàm virtus? quid tam affectibus congruum, rationique conſentiens? Certè nulla lex, ait Seneca, amare parentes, indulgere liberis iubet: ſuperuacaneum eſt enim, in quod imus, impelli. Itemque nemo in amorem ſui cohortandus eſt, quem, cùm naſcitur, trahit. Ita ne ad hoc quidem exſtimulandus eſt, vt quæ per ſe honeſta ſunt petat. Placet enim ſuapte naturâ, adeoque gratioſa virtus eſt, vt inſitum ſit etiam malis, probare meliora. hoc enim proprium hominis ac genuinum bonum eſt: cetera adulterina ſunt, fucata, & adſcititia. Hoc vnum in terris mortali contingit immortale, cetera fluxa ſunt & caduca fortunæ ludibria. Hoc ſibi quiſquis perſuaſum habuerit, hunc actionum ſuarum ſcopum ſibi præfiget, huc omnes conatus ac ſtudia diriget, hoc vnum in omni vitâ ſemper intuebitur.

Ad virtutem naturâ impellimur.

Senec. li. 4. de Benefic. c. 17.

Sed quoniam illud quibuſdam euenit, vt quæ ſciunt, ea ſcire ſe neſciant; adhibenda quædam nonnullis eſt cohortatio, vt congruenter naturæ viuant, & inſita virtutum ſemina in herbam, florem, fructumque perducant.

cant. Quænam autem potior exhortatio, quàm vt, secundùm veriorem Philosophiam, summum bonum in animo constitutum esse meminerint? Obsolescit enim, ait Seneca, si ab optimâ nostri parte ad pessima transit. Non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda. Vidésne, vt reliqua omnia bono suo constent? Vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas ceruum. In homine quid est optimum? Ratio. hac antecedit animalia, Deum sequitur. Quid autem homini ad gloriam ac dignitatem contingere potest excelsius, quàm vt imitatione virtutis ac perfectionis in diuinæ naturæ possit transire consortium? Igitur non æreæ statuæ, inquit Isidorus Pelusiota, non Olympicæ coronæ, non opes, non pulchritudo, non robur, non Imperium, non Regnum, non aliud quidquam eorum quæ magna esse videntur, magnum est aut expetendum. Tempori enim id omne cedit, & extinguitur, & in obliuionem abit: sola virtus præclaram & numquam intermorituram dignitatem obtinet, quæ nec vetustati cedat, nec obliuione conteratur, nec instar floris marcescat, sed recentem semper vegetamque gloriam consequatur.

Seneca Epist. 74. *Bonum hominis in animâ reponendum.*

Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 286.

Si autem virtus, quidquid in terrâ est, velut fragile & caducum spernit, ait Lactantius, quid restat, nisi vt cæleste aliquid efficiat, & ad altiora nitatur, quia humilia despicit? Id verò nihil esse potest aliud, quàm immortalitas: cuius qui gustum aliquem cogitatione præceperit, næ ille virtutem quouis pretio rectè comparari iudicabit: nec laborem tantùm pro iustitiâ, sed sanguinem vitamque paciscetur, animo semper in difficultatibus expedito, in aduersis infracto, in doloribus ac tormentis hilari. Quid ego hîc generosos veri Dei athletas in arenam producam, quorum nihil interesse videba-

Lactantius lib. 3. *Virtus quouis pretio constat benè.*

tur, gaudióne exultarent, an in equuleo iacerent, ac tortores ſuos laſſarent? Auſus eſt aliquando Epicurus dicere, ſapientem, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce eſt, & ad me nihil pertinet. Potuit Arria Cæcinnæ Pæti vxor, pro iuſtitiâ mortis conſortium ferro præoccupans, maritum ſic exhortari: Pæte non dolet? Et miramur Cunegundem nudis pedibus candentes vomeres calcantem, inter roſas ambulare ſe conteſtari? Miramur Theodoram apud iudices mortem ſibi contentiosè depoſcere, repulſo milite, quem ſe non mortis vadem elegiſſe, ſed prædem pudoris optaſſe prætendebat? Miramur Ioannem Fiſcherum, illuſtriſſimum Angliæ Martyrem, cùm extremum ſupplicium ante oculos haberet, abiecto ſcipione ſic exultaſſe: Agite nunc mei pedes, munere veſtro fungimini; tantillum vobis reſtat itineris ad immortalitatem? Miramur denique D. Vincentium à Daciano in equuleo ſuſpenſum, Præfecto per ludibrium interroganti, Vbinam es Vincenti? generosè reſpondiſſe: In ſublimi conſtitutus ſum, vnde terrenâ te poteſtate ſuperbientem altior deſpicio? Omitto ceteros, qui non facto minùs quàm verbo docuerunt, quo pretio nobis virtus æſtimanda ſit.

Seneca Epiſt. 66. Martialis lib. 1. Epigram. 15.

Raderus Tom. 1. Bauariæ ſanctæ. Ambroſius lib. 1. de Virgin.

Sanderus libro de Schiſm. Anglic.

Auguſtinus Ser. 12. & 13. de Sanctis.

Itaque bonum eſt te ſuſtentare iuſtum, id eſt iuſtitiam, ait Sapiens; *ſed ab illo quoque ne retrahas manum.* Quaſi dicat: In ſtudio virtutis ac perfectionis aduerſo flumine ſurſum niteris, & æſtu ventoque repugnante cymbam trahis, ac deprauatæ naturæ vitio ſemper deorſum laberis: ſi vel ad breue tempus manum retraxeris, animique contentionem remiſeris; mox aduerſo fluminis æſtu abripieris, magnoque laboris & comparatæ virtutis diſpendio ad antiqua vitia deuoluêris. Si-

Virtus aduerſo flumine ſurſum nititur.

qui-

quidem, vt rectè notat D. Gregorius, in viâ Dei non progredi, regredi est. & Alcimus Auitus:

Si vires nullas virtus acquirit eundo,
Amittit rediens paulatim extincta priores.

Alcimus Auitus de Castitate.

Hoc igitur sit primum cunctis in commune mandatum, inquit Antonius eremicolas suos instituens, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit. Fit enim interdum, ait D. Basilius, vt nonnulli, se cum aliis longè deterioribus comparantes, quodammodò sibi de virtute blandiantur, progressum videlicet suum metiendo non tam spatio eius, quod restat, itineris, quàm interuallo quo alios post se reliquerunt. Et verò sic naturâ comparatum est, vt oculos libenter conuertamus ad ea quæ nos delectant, auertamus ab iis quæ offendere aliquo modo possunt. Et quemadmodum viatores, vbi tædere eos cœpit itineris, respectare solent quantum viæ confecerint: ita nos, simul ac virtutis ardor restingui, & industria frangi cœpta est, decursum spatium respicientes, facilè nos ipsos conferimus cum iis quos aut in voluptatis cœnum prolapsos, aut in auaritiæ dumetis hæsitantes, aut ambitioni & honori miserè seruientes à tergo reliquimus. Quamobrem metam perpetuò ante oculos habere conuenit, & quàm longè à perfectâ iustitiâ etiamnum absimus, etiam atque etiam videre, neque aut rei, aut operæ quidquam prætermittere, quod ad hanc consequendam momenti aliquid habere possit: *quia qui timet Deum, nihil negligit.* Quæ verba Ecclesiastæ duplicem habere videntur sensum: tum quòd nulla acquirendæ perfectionis occasio negligenda sit; tum quòd nulla iustitiæ materia, quantumcumque exigua, sit repudianda.

Athanas. in Vitâ Antonij. *Numquam remittendus est ad virtutem conatus.*

Basilius in Regul. fusius disputatis, c. 6.

Claudius Aquauiua Epist. de Renou. spiritus.

Occa-

Occasio virtutis captanda.

Occasionis inprimis magna est habenda ratio: ac tempus, quod plerisque aut nihil aut aliud agentibus elabitur, virtute sistendum, & æternitati transscribendum est. Proderit etiam breuem sibi quemque vitæ cursum circumscribere, & simul meminisse, quod perfectionis & gratiæ diuinæ non comparaueris in vitâ, id te comparaturum esse numquam: vitam autem ipsam, vt notat Nazianzenus, esse quasi mercatum, cuius dies cùm abierit, tempus amplius non sit emendi quæ velis. Hinc illa nostri Sapientis admonitio: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.*

Claudius Aquauiua ibid.

Nazianz. in Sentent.

Eccle. 9. 10.

Nihil parui faciendum quod ad magna conducit.

Sed nec in rebus ipsis quæ ad perfectionem conducunt, aliquid ita exiguum est, vt meritò contemni possit. Quin immò quâ ratione exiguum dici possit non video, quod ad rem tantam potest aliquid adferre momenti. Deinde cùm res etiam maximæ à paruis initiis ducant exordium, quis parua esse sentiat, sine quibus magna consistere non possunt? Alexander Macedo dum concionem ad milites haberet, nihil paruum affirmabat esse ducendum, in quo magnæ gloriæ seges est: atqui iustitiæ non alius est fructus, quàm gloriæ numquam intermoriturae, æternæque beatitatis secura possessio.

Curt. lib. 9.

In operibus Dei nihil paruum aut vile.

Quid dicam, ipsius Dei opera in minimis non minimam admirationem excitare? Quis non obstupescit in auiculis nidorum architecturam, in araneis textrinæ subtilitatem, in apibus fauorum cellulas opere pentagono cancellatas? Vt non immeritò Tertullianus in modicis despici vetet conditorem; qui, maximus, inquit, cùm sit artifex, animalia minutiora ingeniis ac viribus ampliauit. Quid animalia dico? cùm testas ipsas, maris excre-

Tertullian. lib. 1. cont. Marcion. c. 14.

excrementa,& vilium concharum receptacula, tam variâ multipliciqúe pulchritudine ad ſtuporem vſque exornarit? Tot ibi colorum differentiæ, ait Plinius, tot figuræ, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, læuibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo: iam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, canaliculatim, pectinatim diuiſa, imbricatim vndata, cancellatim reticulata. Nitor & puritas in pleriſque incredibilis, omnia vincens auri & argenti metalla, niſi longiſſimo æuo non obſoleſcens. Si Deus viliſſima illa marinæ fæcis excrementa tantâ varietate ac pulchritudine concinnat, *ſi fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, ſic veſtit*, ſi *capilli capitis* noſtri *omnes numerati ſunt*, ſi denique res omnes, quantumcumque exiguæ, non minùs illi quàm maximæ cordi ſunt; nos, quibus propoſitum eſt Deum ſequi, tantæqúe maieſtatis conſilia non tantùm ſuſpicere, ſed etiam æmulari, alienum à nobis eſſe ducemus etiam minima virtutis ac perfectionis momenta diligenter expendere? Sanè ſi Deo glorioſum eſt, magnum in rebus minimis ſuæ maieſtatis ſpecimen exhibere; nobis non tantùm glorioſum, ſed & fructuoſum erit, in rebus minimis maxima virtutum lucra ſectari. Quod qui fecerit, næ ille virtutis ac ſapientiæ numeros omnes explebit; tantoqúe perfectionis interuallo ceteros mortalium præcedet, quantum verſu proximè ſequenti declarat Eccleſiaſtes.

Plin. lib. 9. c. 35.

Matt. 6, 30

Matth. 10, 30.

SECTIO DECIMASEXTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 20. Sapientia confortauit ſapientem ſuper decem principes ciuitatis.

21. Non eſt enim homo iuſtus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet.

METRICA PARAPHRASIS.

DA virum, cuius generoſa virtus
Arcem pectoris occupat;
Cuius interdiu fouet alma curas,
Et ſomno vigil accubat;
Quem dies naſcens Sophiæ litantem
Et Phœbus moriens videt:
Non eum vulgi quatiet procella
Mentis de ſolidæ ſtatu;
Non truces vultus pauido tyranni
Vanos incutient metus.
Emicet fulmen nebulis, micabit
Virtus fulmine clarior.
Corruat moles operoſa cæli,
Iuſtus ſubiiciet caput.
Non Atlas illo potior labantem
Dexterâ ſiſtere patriam.
Dena non illum meritis adæquent
Vitæ, culmina ciuium.
Nam quibus virtus ita pectus ambit,
Nullo vt tramite ceſſitent?
Quis manus nullâ ſcelerum impiatas
Labe ad ſidera porrigit?

Ipſe

Ipse nonnumquam sapiens seueræ
Menti improuidus excidit.
Mercurî centeno oculo excubantem
Argum virgula sopijt.
Fortis interdum, Veneris furori
Factus ludibrium, cadit.
Degener terras meritis replentem
Alciden subigit colus.
Scimus vt nostri generis parentem
Cæli dotibus inclytum
Lusa periuri illecebris colubri
Pellax femina luserit.
Sed quid errores generis Promethei
Pennâ vindice persequor?
Ipse tot stellis radiatus æther
Sordet luminibus Dei,
Qui coruscantis proceres Olympi Iob 4.
Deprendit sceleris reos;
Et casæ viles luteæ stupemus
Spargi sordibus incolas?

PROSA EXEGESIS.

NON equidem miramur, homuncionibus ex argillâ lutum suum primigenium adhæresccre, testas de Samiis terræ non absque dispendio integritatis suæ subinde collidi, homines ex carnis sanguinisque coagulo concretos, ea quæ carnis sunt sapere: sed illud potiùs miramur, aliquem è cunctis hominum millibus istiusmodi sapientem ab Ecclesiaste describi, qui nulli virtutis occasioni desit. Hic enim talis supra humanæ conditionis fastigium euectus, verè prodigium hominis, Deoque quàm homini proprior videtur. Nam, vt rectè

Clemens Alexandrinus l.7. Stromatũ. *Descriptio viri iusti ac sapientis.*

notat Clemens Alexandrinus, imago planè diuina, Deoque similis est anima viri iusti. Hic est ille tot Stoïcorum laudibus ornatus, & omnibus tamen maior sapiens. Hic verè Rex est, magnum suiipsius administrans imperium. Hic verè beatus, cuius animi serenitatem, & perenne gaudium ex virtute natum, nulla mœroris nubes attingere, non magis quàm Solem, potest. Hic est verè diues, qui thesauris omnibus pretiosiores, nullique fortunæ obnoxias virtutes possidet. Hic verè liber est, tum quòd ergastulo corporis inclusus, spiritu tamen emicat, ipsumque cælum penetrat; tum quòd nulli vitio seruitute addictus est. Bonus enim, inquit Augustinus, etiamsi seruiat, liber est: malus, etiamsi regnet, seruus est; nec vnius hominis, sed, quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum. Denique hic verè fortis est: nam & animum vincit, & cupiditates domat, & tyrannorum tormenta despuit, & totum fortunæ regnum sub pedibus conculcat. Quid multa? Instar quadrati agminis aciem virtutum explicat, vt vbicumque infesti aliquid oritur, illic parata sint præsidia, & ad nutum regentis sine tumultu respondeant. Si paupertas, si luctus, si ignominia, si dolor impetum faciant, persistit in vestigio. Si coruus inauspicatum crocitat, inquit Epictetus, non percellitur, sed ipse mox secum discernit, & dicit: Nihil istorum mihi portenditur, sed aut corpusculo meo, aut reculæ meæ, aut existimationi, aut liberis, aut vxori; mihi autem fausta omnia portenduntur, si ego voluero. quidquid enim istorum acciderit, ex eo penes me est, fructum vt capiam. Hic est excelsus ille animus, & supra mortale fastigium eminens, quem Christiani quidem suspiciunt ac venerantur, Stoïci verò etiam aris lucisque sacrationem ac venerabilio-

Augustl.4. de Ciuit. cap.3.

Epictetus Enchirid. cap.24.

rabiliorem prædicant. Sic enim ex eorum numero Seneca: Si tibi occurrit vetuſtis arboribus, & ſolitam altitudinem egreſſis, frequens lucus, & conſpectum cæli denſitate ramorum ſubmouens; illa proceritas ſiluæ, & ſecretum loci, & admiratio vmbræ, fidem tibi Numinis facit. Magnorum fluminum capita veneramur: ſubita & ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium fontes, & ſtagna quædam vel opacitas vel immenſa altitudo ſacrauit. Si hominem videris interritum, intactum cupiditatibus, inter aduerſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum, ex ſuperiore loco homines videntem, Dei perfectiones æmulantem; non ſubibit te veneratio? non dices: Iſta res maior eſt altiorque, quàm vt credi ſimilis huic, in quo eſt, corpuſculo poſſit? Vis iſtuc diuina deſcendit. Animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minora tranſeuntem, quidquid timemus optamusque ridentem, cæleſtis potentia agitat. Non poteſt res tanta ſine adminiculo Numinis ſtare. Itaque maiore ſui parte illic eſt, vnde deſcendit. Quemadmodum Solis radij contingunt quidem terram, ſed ibi ſunt vnde mittuntur; ſic animus magnus & ſacer, & in hoc demiſſus vt propiùs diuina noſſemus, conuerſatur quidem nobiſcum, ſed hæret origini ſuæ. Illinc pendet, illuc ſpectat ac nititur; noſtris tamquam melior intereſt. vt non immeritò dixerit Eccleſiaſtes, hunc talem tamquam diuinum hominem eſſe ſupra omnem comparationem, vſque adeò, vt nec *decem principes ciuitatis*, id eſt, quantumcumque virorum illuſtrium numerum innuat cum eodem aut ſapientiæ ſplendore, aut animi robore, aut virtutum ornamentis, aut vllo genere laudis, poſſe conferri. Seneca Epiſt. 41.

Rationem hanc euidentem ſubiicit, quòd inter homines

Perfectè sapiens ac iustus nemo in hac vitâ reperitur.

mines nemo vnus inueniri possit, qui omnes virtutum numeros expleat. *Non enim est homo iustus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet.* Quis ex omnibus reperietur, qui se profiteri possit omnibus legibus innocentem? Atque vt hoc ita sit, quàm angusta innocentia est, ad legem bonum esse? Quantò latiùs officiorum patet, quàm iuris regula? quàm multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas sunt. Sed ne ad illam quidem non arctissimam innocentiæ formulam præstare nos possumus. Alia fecimus, alia cogitauimus, alia optauimus, aliis fauimus, in quibusdam innocentes sumus, quia non successit. Nemo tam circumspectus, cuius non diligentia aliquando sibiipsi excidat: nemo tam maturus, cuius non grauitatem in aliquod feruidius factum casus impingat: nemo tam timidus offensarum, qui non in illas, dum vitat, incidat. Quocumque nos fugâ receperimus, quamdiu nosipsos, tamdiu peccandi pericula circumferemus. Queritur D. Hieronymus, ille scorpionum in solitudine socius & ferarum, inter aspera rupium, & opaca siluarum, Romani luxus ideam sibi repræsentatam. Queritur D. Augustinus: Ecce in solitudine sumus, in eremo sumus, locus tamen non facit sanctos. Peccauit Angelus in cælo, peccauit Adam in paradiso, & tamen nullus locus sanctior illis erat. Quid igitur mirum, si nihil in terrâ à luto immune, nihil in vitâ à vitiis exemptum?

Seneca l. 2. de Irâ, cap. 28.

Idem l. 3. de Irâ, c. 25

Hier. Ep. 2. Ad Eustoch.

August. Serm. 27. ad Fratres eremi.

At inquies: Si nemo omnium à culpâ immunis est, ergo nec sapiens ille, quem tot laudibus exornasti, aliud quàm inane commentum esse videbitur. Celebris fuit hæc non solùm inter veræ fidei cultores, sed etiam inter Stoïcos olim disceptatio, An aliquando extiterit in rerum

rerum naturâ ille omnibus numeris absolutus sapiens. In quâ sic pronuntiat M. Tullius: Stoïci eam sapientiam interpretantur, quam adhuc nemo mortalis est consecutus. Alij paulò liberaliùs, fortassis instar phœnicis semel anno quingentesimo nasci, sed nasci tamen, arbitrantur. Arbitror ego verius, inter Ethnicos pronuntiasse plerosque Stoïcorum, verum sapientem numquam aut nusquam in orbe repertum, tametsi nonnulli magnos in virtute progressus fecissent, nec procul à vertice constitissent.

An perfectus sapiens existat, varia Stoicorũ opiniones. Cicero in Lælio. Seneca Epist. 42.

Inter veri Dei veræque pietatis ac iustitiæ cultores idem propemodum sentire possumus, quamuis nonnullos magnis in cælum laudibus efferamus, non tamen eos, quod natura hominis summum habet, fuisse consecutos. Magnum omnino Heroëm fuisse Dauidem, nemo infitiabitur, qui meminerit, eum, adstipulantibus sacris Litteris, virum fuisse secundùm cor Dei: & tamen quàm fœdè lapsus est in causâ Vriæ Hethæi? Magnus planè vir, & multarum virtutum clarus insignibus fuit Abraham, inquit Ambrosius, quem votis suis Philosophia non potuit æquare: minus enim est quod illa finxit, quàm quod iste gessit: maiorque ambitioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides. Quod enim pro magno inter Sapientum dicta celebratur, Sequere Deum, perfecit Abraham, factoque Sapientum dicta præuenit, & secutus Deum, exiuit de terrâ suâ. Et tamen illa ipsa tot encomiis celebrata peregrinatio non absque næuo fuit, dum Saram sororem potiùs quàm vxorem professus, eius pudicitiam manifesto periculo exposuit. Magnorum etiam virorum natales Christiana Religio festiuo cultu prosequitur, neminem tamen, quod in naturæ gratiæque donis extremum

Inter veros fideles nemo etiam purus homo perfectus. Actor. 13. 22. Ambr. l. 1. de Abrahã, cap. 2. Genes. 12. & 20.

mum est, assecutum esse profitetur. Vnicus fuit humanæ salutis assertor Christus, omni virtutis genere perfectissimus, vnus qui exemplar illud cæleste, quantum homini fas est, exprimeret; vnus qui dicere iure suo posset, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sed huic propter diuinæ humanæque naturæ, per vnionem, vt vocant, hypostaticam, consortium, eiusmodi à Deo perfectionis ac dignitatis prærogatiua concessa est, ad quam nemo mortalium vnquam possit adspirare. Proximè ab eius perfectione abfuit eius Mater sanctissima: quam etiam propter eximia diuinæ gratiæ subsidia, & exaggeratam virtutem ab omni peccati labe profitemur exemptam. Ceteris hominum perfecta sapientia non contingit, nisi apud inferos, vt aiebat Plato, id est, animo corporeis vinculis exsoluto, in illis æternitatis domiciliis, apud auctorem omnis sapientiæ.

Ioan. 8, 46.

Plato in Phæd.

At inquies: Quorsum perfectus ille sapiens ab Ecclesiaste describitur, quem ne decem quidem optimates virtute principes æquare possint, si talem natura non admittit? Verbo dicam: magnis exemplis nos ad virtutem excitare desiderat. Enimuerò non semper in exemplis, quid gestum sit, attenditur, sed species & idea quædam illius Summi proponitur, quò perpetuò nobis connitendum est. quò si non pertingitur, tamen conatus in laude ponendus est. Ita Plato Reipublicæ suæ formam litteris consignauit: ita Xenophon Cyrum suum tamquam perfecti Regis exemplar introduxit: non quomodo vixerint, sed quomodo viuendum sit, indicantes. Sed quid commentis ac figmentis opus est, cùm Christus ipse, doctor noster ac legislator, illud nobis exemplar vitæ præscripserit, ad quod nullus labor, nulla pertingere posset industria, dum ait: *Estote perfecti, sicut*

Magna nobis exẽpla proponuntur, vt saltem mediocria assequamur.

Matth. 5, 48.

&

& Pater vester cælestis perfectus est. Quam perfectionis normam quicumque sibi proposuerit, immortalem gloriam consequetur. Nam tametsi magno interuallo ab hoc perfectionis apice substiterit,

——— *magnis tamen excidet ausis.*

Et quid mirum est, ait Seneca, si non ascendunt in altum ardua aggressi? Viros suspice, etiamsi decidunt, magna conantes. Generosa res est, respicientem non ad suas, sed ad naturæ (dicam potiùs diuinæ gratiæ) vires alta conari, & mente maiora concipere, quàm quæ etiam ingenti animo adornatis effici possint. Nam bonis in rebus, ait quidam, conatus semper in laude, effectus quandoque in casu est. Hæc itaque summa est: Tametsi perfectionis apicem nobis proposuerit Ecclesiastes, operæpretium tamen se fecisse existimabit, si istiusmodi sapientem formauerit, qui conatus fuerit in secundis tertiisque consistere. Hunc verò talem porrò instituens monet, ne maledicæ linguæ conuitiis à statu mentis, animique moderatione dignâ sapiente deturbetur.

Sen. lib. 1. de Beatâ vitâ, c. 20.

Apuleius.

SECTIO DECIMASEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 22. Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne fortè audias seruum tuum [a] maledicentem tibi.

23. scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.

[a] *Verbum Hebraum etiam sonat* contemnere, & vilius de aliquo loqui.

METRICA PARAPHRASIS.

VITAE magistræ si sapientiæ
Consultus audis, atque animi potens,
E mentis excelsæ theatro
Despicis innumeros tumultus,
Dum fors probrorum turba salutior
Famam caninis dentibus atterit,
Ne lubricæ dicacitatis
Aure bibas auidâ susurros.
Nec, si probrum deprenderis impotis
Linguæ, furores indue. Quis, precor,
Rumusculos famæ procacis
Horrifico tonitru expiabit?
An, si iocoso te sale quispiam aut
Mordaci aceto defricuit, faces
Enseſque spirabis, nouamque
Materiem tragicis cothurnis?
Latrante pugnax stat sonipes cane
Immotus, acres nec tumidus leo
Obliquat adspectus, frementes
Dum rabiem geminant catelli.
Excelsa virtus vilia despicit,
Iraque viles degenerem probant,
Timorque, suspicaxque cura
Immeritis furiata pœnis.
Ah! ne susurris te malè credulum
Iráque cæcum hæc dedecorent probra:
Ne vernulas forsan frementes
In domini caput impotentis
Famamque crebris ictibus audias
Diuerberantes. Namque quid attinet

Flam-

Flammâque & vltrici machârâ
Tam faciles abolere culpas,
Quarum sub imo corde domestici
Te mille testes constituunt reum?
Quam proprio indulges pudori,
Cur aliis veniam negabis?

PROSA EXEGESIS.

DVPLICEM ex his Ecclesiastæ verbis cum Lorino sensum eruere posse videor. *Cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum*, nimirum non esse curiosè disquirendum sapienti quid de se quisque sentiat aut loquatur: deinde, si vltrò conuitia aut maledicta ad aures eius accidant, non esse illis toto pectore incumbendum, non esse acerbiùs illa ferenda, aut grauiore vindictâ persequenda. Nam & nimia curiositas, præsertim circa domesticos, in eorum fortasse cognitionem eum adducet quæ meliùs nesciret; & nimia in leues culpas animaduersio eum velut naturæ communis suæque fragilitatis oblitum, inhumanitatis accusabit. Vide Lorinum hoc loco.

Indignum prorsus est constantiâ sapientis, maledicentiæ rumusculos auidiùs captare, & internos animi tumultus vltrò accersere, cum testimonio conscientiæ suæ securo lætoque esse liceat. Quid enim attinet singulorum voces aucupari, obseruare nutus, ipsius denique cordis sensa rimari? Non expedit, inquit Seneca, omnia videre, omnia audire: multæ nos iniuriæ transeant, ex quibus pleraſque non accipit, qui nescit. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secretò habiti sint, eruit, ipse se inquietat. Magis autem, *Curiosè rumusculos de se captare, quietem animi perturbat.* Sen. lib. 3. de Irâ, c. 11.

si delatorum calumniis furori faces subiici patiatur.

Æquitas animi in ferendis conuitiis.

Pisistratum certè Athenienſium tyrannum memoriæ proditur, cùm multa in crudelitatem eius ebrius conuiua dixisset, nec deessent qui vellent manus ei commodare, & alius hinc, alius illinc faces subderent, placido animo tulisse, & hoc irritantibus respondisse, Non magis illi se succensere, quàm si quis obligatis oculis in se incurrisset. Non minorem constantiæ laudem sibi vindicat Pelopidas, apud quem cùm fortis quidam miles per calumniam delatus esset, tamquam ei conuitiatus fuisset, respondit: Equidem facta eius respicio, verba autem non audiui. Maiorem etiam à suis perfectionem exigit Epictetus, qui sic præcipit: Siquis nuntiarit quempiam tibi maledicere, ne refuta quæ dicta sunt, sed responde, eum nescisse cetera tua vitia; nam alioqui non illa sola fuisse dicturum. Quid C. Cæsarem dicam, illum qui victoriâ ciuili clementissimè vsus est? Maluit hic, cùm posset vindictæ materiam eruere, omnino nescire delicta. Itaque cùm serinia deprehendisset epistolarum ad Pompeium missarum ab iis qui videbantur aut in aduersis aut in neutris fuisse partibus, combussit: quamuis enim moderatè soleret irasci, maluit tamen omnino non posse. gratissimum putans veniæ genus, nescire quid quisque peccasset. Plurimum mali curiositas facit; & hoc inprimis, quòd susurris captandis domesticam pacem perturbat, & leuissimis de causis familiaritate in odium versâ, vitam reddit insuauem.

Stobæus Serm. 11.

Epictetus Enchirid. c. 48.

Sen. lib. 2. de Irâ, c. 23

Ita viuendum, vt nulla te conuitia tangant.

At inquies: Durum atque indignum est, à seruis & domesticis ludibrio haberi? At ego contrà, magna pars contemptus tollitur, si à contempto ignoratur. Deinde, ita viue, vt prudentum iudicio nulla te conuitia tangant,

gant,

gant, minùs lædant. Est hoc Satyrici consilium, sanè hoc loco non importunum:

Viuendum est rectè, tum propter plurima, tumque his Iuuenalis Satyrâ 9.
Præcipuè causis, vt linguas mancipiorum
Contemnas. nam lingua mali pars pessima serui.

Quamquam, si verum fatemur, dominorum fastus atque inhumanitas procaces ac dicaces seruos efficiat. Olim familiares dici solent iidem qui serui, & patres familias, qui domini. Sed enim dominorum superbia timeri à domesticis maluit, quàm diligi: & dum subditorum contempsit affectum, maluit antiquo prouerbio locum dare, Totidem esse hostes, quot serui. O stulta arrogantia, communis naturæ consortium repudiare conantium! At serui sunt. Quid ais? serui sunt? imò conserui, si cogitaueris tantumdem in vtrosque licere fortunæ. Itaque rideo istos, qui turpe existimant cum seruo suo cœnare. quare? nisi quia superbissima consuetudo cœnanti domino stantium seruorum turbam circumdedit. Est ille plus quàm capit, & ingenti auiditate onerat distentum ventrem, ac desuetum iam ventris officio, vt maiore operâ omnia egerat quàm ingessit. At infelicibus seruis mouere labra ne in hoc quidem, vt loquantur, licet; virgâ murmur omne compescitur. Et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus: magno malo interpolatum vllâ voce silentium luitur, nocte totâ ieiuni mutique perstant. Sic fit, vt isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. At illi, quibus non tantùm coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere ceruicem, ac periculũ imminens in caput suum auertere. In conuiuiis loquebantur, sed in tormentis tacebant.

Dominorũ inhumanitas dicaces facit seruos.

Macrobius lib. 1. Saturnal. c. 10. Seneca Epist. 47.

Dicacitas seruorum excusanda.

Denique si boni sunt serui qui conuitiantur, dolebis innotuisse tibi quod punias. Quare autem punias verbum temerè prolatum, & fortassis ab opinionis errore profectum? Sic enim excusat Epictetus. Cùm tibi quispiam, inquit, maledixerit, memento eum opinatum esse, id ex officio sibi fuisse dicendum. Neque verò fieri potest, vt id sequatur ille quod tibi videtur, sed quod sibi. Quòd si malè iudicat, is damnum incurrit qui decipitur. Sic animo comparatus, nòn iniquè feres conuitiatorem. nam ad singula dices, ita visum illi fuisse.

Epictetus Enchirid. c. 64.

Gregorius lib 13. Moral. c. 13.

Sæpè enim contingit, inquit Gregorius, vt ipsa quoque in nobis bona opera ab incautis hominibus reprehendantur: sed qui testem in cælo habet, reprehensiones hominum metuere non debet. Omnino enim sufficit, ait Bernardus, aduersus os loquentium iniqua, opinio bonorum, cum testimonio conscientiæ.

Bernardus Homil. 24.

Vindictæ cupiditas in dicaces refrænanda.

Deinde, quid prodest animo suo indulgere, & immodicâ vindictæ cupiditate leuissimas ob causas exardescere? Certè pertinaces iras non meretur, quod inconsultâ temeritate bonus seruus effutiuit. At vilissimus seruus est, emptumque de lapide mancipium. Esto sanè: sed laudabilis est etiam vilissimi sanguinis parsimonia. Et quis ego sum, qui serui mei hilarius respon-

Senec. li. 3. de Iîâ, c. 24

sum, & contumaciorem vultum, & non peruenientem vsque ad me murmurationem flagellis & compedibus expiem? Quis sum, cuius aures lædi nefas sit? Ignouerunt multi hostibus; ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Nunc primùm offendit? cogitemus quamdiu placuerit. Sæpè & aliàs offen-

Idem c. 22. & 23.

dit? feramus quod diu tulimus. Prætereà cogitemus, quantis viris impunè maledictum fuerit. Quid facilius

fuit

fuit Antigono, quàm duos manipulares duci iubere, qui incumbentes Regis tabernaculo, faciebant quod homines & periculosissimè & libentissimè faciunt, de Rege suo malè existimabant? Audierat omnia Antigonus, vtpote cùm inter dicentes & audientem palla interesset; quam ille leuiter commouit, &, Longiùs, inquit, abscedite, ne vos Rex audiat. Quid Philippum Macedonem commemorem? ad quem cùm inter alios Athenienſium Legatos Democharis quidam procacis linguæ veniſſet, auditâ benignè legatione Philippus, Dicite, inquit, mihi, quid facere possum quod sit Athenienſibus gratum? Excepit Democharis: Te vt ſuſpendas. Indignatio circumſtantium ad tam inhumanum reſponſum exorta eſt: quos Philippus conticeſcere iuſſit, & Therſitem illum ſaluum incolumemque dimittere. At vos, inquit, ceteri Legati nuntiate Athenienſibus, multò ſuperbiores eſſe qui iſta dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt. Omitto Dauidem acerbiſſimis Semei maledictis inconcuſſum. Omitto ipſum Dei Filium, nunc Samaritanum, nunc meribibulum, nunc dæmoniacum appellatum, ſemper tamen beneficio cum maledictis certantem.

2. Regum 16,5.

Ioan.8,52.

Conuitia moderatè ferenda.

Quæ dum memoriâ recolimus, nónne meritò nos viles animæ liberius aliquod dictum nobis impactum æquo animo tolerabimus? Sanè quemadmodum puſillo ſolatium in malis fuit, etiam magnorum virorum titubare fortunam, & æquiore animo filium in angulo fleuit, qui vidit acerba funera etiam ex Regiâ duci: ſic animo æquiore feret ab aliquo ſe lædi, ab aliquo contemni, cuicumque venerit in mentem, nullam eſſe tantam potentiam, in quam non incurrat iniuria. Denique ad ferenda moderatiùs conuitia illud nos efficaciſſimè

Senec.li.3. de Irâ,c.25

simè exhortatur, quod subiungit Ecclesiastes: *Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.* Cui illud pænè geminum adfert Seneca: Non facilè poterit irasci, qui sibi tacitus ad singula, quibus offenditur, dixerit: Hæc & ipse commisi. Quod qui candidè fuerit confessus, non facilè in aliis seuerè vindicanda iudicabit, qui eadem sibi benignè postulabit ignosci.

Idem ibid. lib. 2. c. 28.

Postquam hæc singularia vitæ secundùm rectam rationem instituendæ præcepta præscripsisset Ecclesiastes, tandem ad vniuersum se genus referens, dum omnes vitæ vias sapienter se iactat explorasse, tantò longiùs aberrasse se deprehendit à verâ sapientiâ, quantò fidentiùs eam sibi arrogauit: atque ita dum vanitatem sapientiâ duce vitare sese existimauit, non minorem in scopulum impegit alterius vanitatis. Sed hæc ab ipso Sapiente præstat audire.

SECTIO DECIMAOCTAVA.

ECCLESIASTES.

VERS. 24. Cuncta tentaui in sapientiâ. [a] Dixi: Sapiens efficiar: & ipsa longiùs recessit à me
25. multò magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam?

[a] *Syriaca habet:* Dixi me sapientem effici:

METRICA PARAPHRASIS.

SEV mea vita fretum est, feruensque Aquilonibus vnda,
Signat vbi liquidas nulla carina vias;
Seu labyrintheæ sinuosa volumina spiræ,
Dædale siue tuæ, siue Canope tuæ;

Seu

Seu mea vita palus Boreæ concreta pruinis,
Fallit vbi effusos lubrica testa pedes;
Seu mea vita via est densis perplexa vepretis,
Rupibus aut præceps, aut viduata die.
O mihi lapsantes per senta, per inuia, gressus,
O quis Phœbææ lampadis igne regat?
Quæ mihi, dum titubant per lubrica secta viarum,
Dextera præcipites firmet amica gradus?
Aut Ariadneo ducens vestigia filo
Ancipites doceat ire redire vias?
Quæ mihi sidereâ Cynosura coruscet ab arce,
Tutus vt in tumidâ net mihi linter aquâ?
Per mare, per terras, per inhospita tesqua vagamur,
Et vitæ ambiguum sollicitamus iter.
Viuere quis nouit? sed quis non viuere nouit?
Ars rara, ars vulgus quam malè nosse putat.
Viuere se iactet cerdo, ciceriśque propola:
Viuere vix summis res benè nota viris.
Hic nimis ampla suis extendit carbasa ventis:
Hic nimis obliquat in sua fata sinus.
Atque aliquis perijt nimiùm prouectus in altum;
Atque aliquis perijt littora curua legens.
Quis potis est animos fortunæ aptare volucri?
Prospera sors inflat, sors inimica premit.
Hos necat amplexu nutrix malefida voluptas;
Hos agit ad restes anxia cura penùs.
Hunc fallit minio fucata Calumnia vultum,
Illius exundat in sua damna furor.
Quin etiam pulchro si tramite curris honesti,
Suspensum ancipiti tramite siste gradum.
Virtutis cupidum ne ludat amabilis vmbra:
Quæque placent, nimiùm ne placuisse velis.

Virtus, si nimia est, vitij confinia tangit;
Cultorique potest iustitia esse nocens.
Et nimiùm rutilans hebetat sapientia sensus.
Tempore qui potuit desipuisse, sapit.
Scilicet est aliquid, placitis abducere mentem,
Rebus & immodicis imposuisse modum.
Nectar & ambrosiam mellis laticisque Lyæi
Commendant timidis pocula tacta labris.
Si nimius fueris, damnabunt iurgia Bacchum,
Dissutisque natans ebria lingua genis.
Hæc animo volui ambiguus vitæque viæque,
Nec, gressus vbi mens figere posset, erat.
Strictura dubiæ dederat sapientia lucis,
Nunc vultum obnubens, nunc iaculata iubar.
Ceu vibrant tremulas nictantia nubila flammas,
Nubila quæ trifidâ dissiliere face.
Ergo velut cæcâ deprensus nocte viator,
Aut errans nebulâ præcipitante diem,
Hæreo, nec cursum reuolubilis orbita signat,
Nec regit ancipites præuia flamma pedes.
Isacidas quondam per inhospita duxit Erythræ
Deuia sublustri pendula flamma polo.
Ast ego quos calles, quæ compita secta viarum,
Quæ sequar aut fugiam climata, lucis egens?
Rem scio: chara tuas sapientia fundar in vlnas:
Tu mihi blanda Helice, tu Cynosura mihi.
Hac duce vel Siculo scopulosa Ceraunia ponto,
Hac duce vel Libyes arida tesqua petam.
Illa mihi dudum castos vibrauit ocellos,
(Hoc satis, vt vinctum ducere posset, erat)
Illa mihi dudum teneros libauit amores,
Vixque meus fueram, compulit esse suum.

Illa velut nutrix gremio de matre cadentem
Fouit, &, Euge meus puſio, dixit, eris.
Illa rudi docuit collidere verba palato,
Blæſula, confuſo dimidiata ſono,
Et ſua non paribus veſtigia lambere plantis,
Et poſt ſe dociles præcipitare pedes.
Fas mihi poſt tantos nil deſperare fauores:
Reſpicit hæc capitis non minùs æqua niues.
Eſto, dies pereant, moriantur tempora, noſter
Non ideò ventos ſic quoque paſcet amor.
Ergo veni, mea vita veni, frontemque ſerena,
Euge vibra geminas ſidera noſtra faces.
Nunc ſolitos anima riſus, nunc vbera pande;
Nutricis liceat nunc habitare ſinu.
Diſpeream, ſi non immulgens vbera labris
Ebria diuino nectare corda geram.
Diſpeream, ſi non caſtis circumliget vlnis,
Teque mihi æterno fœdere nectat amor.
Sed nimis, heu! votis miſeri indulgemus amantes,
Et nimis in placidis credula turba ſumus.
Dum mea vota calent, ſapientia luſit amantem
(O quàm crudeli vulnere ſæuit amor!)
Conſtitit ante pedes: ſed mox dilapſa per auras
Par volucri ſomno, par leuibusque Notis.
Conſtitit ante pedes humanâ maior imago:
Siderei Diuam prodidit oris honos.
Non ſic pulchra ignes fuſcat Dictynna minores,
Non ſic Leucothoë ſpargit ab ore iubar.
Frontis ebur niuibus decertat, labra corallis,
Depinguntque roſis lilia mixta genas.
Ac veluti totidem radiis (Hyperionis inſtar)
Lambunt ambroſiæ lactea colla comæ:

Stellantem decorant regni diademata frontem,
Et niueis adamas lucet in articulis:
Dextram sceptra grauant, & pleno Copia cornu,
Hîc Arabum sordent, hic Orientis opes.
Vt stetit, obliquum ridens vibrauit ocellum.
Hei mihi! quod voti summa sit ista mei.
Fundor in amplexus, satiandáque brachia pando:
Subducit refugo dulcia membra pede.
Addo gradum, certus collo dare brachia circùm
(Namque fugam stimulos esse putabat amor)
Ast Ixionio frustrantur brachia nisu,
Et fugit è cupidis lux mea luminibus.
Sidereumque caput procul & procul occulit vmbris,
Vt fugiunt longam sidera passa facem.
Qui mihi tum sensus? quæ vox? quæ verba fuerunt?
Heu! memini, fauces destituêre sonum.
Figo, refigo pedem; feror huc, feror anxius illuc:
Sed quocumque feror, lux mea dulcis abest.
Deliciis frustrata suis mea brachia iacto:
Obuia sunt vlnis ventus & aura meis.
O mea vita redi! nam te sine vita fatiscit,
Et lux Cimmeriæ noctis adinstar habet.
Prouerb. 8, 2. *O mea vita redi! quæ quondam accire clientes*
Per iuga, perque soles compita, perque vias.
Ibid. v. 31. *Delicias confessa tuas genus esse Promethei:*
Vnde nouercali nunc dea felle mades?
O mea vita redi, mea lux mea sola voluptas!
Desipiunt animo te sine cuncta meo.
Atteror, heu! votis. quid enim profecimus vltrà?
Illa fugit, planctu non reuocanda meo.
Dumque volat, nubes habitat cælumque profundum,
Culmina mortali non adeunda pede.

Dumque

Dumque chaos penetrat, penetralia vincit auerni,
Quà vis ingenij non capit ima vadi.
Dum iubar obnubit frustrà mea vota requiro,
Quî potis est oculis lux sine luce capi?

PROSA EXEGESIS.

MIRARI fortasse quispiam non iniuriâ posset hanc sapientiæ fugam. Quid enim hoc esse dicemus rei, quòd cùm Salomon Capite 2. ad congerendas diuitias, ad ædificanda palatia, ad amplificandum Regiæ fortunæ fastum ac splendorem, animum adiiceret, & in istiusmodi studia se totum effunderet, affirmarit sapientiam in his omnibus secum perseuerasse; nunc autē cùm sapientiâ duce aut ea consectetur ipse, aut aliis præscribat, quæ ad vitam rectè instituendam, moresque conformandos pertinent, se à sapientiæ luce destitui, eamque velut fugâ se subducere conqueratur? Quid dicam? An ignorare me diuini consilij rationes? Hoc certè tutissimum est. Duas tamen, aut fortasse tres in medium adducere conabor. Prima esse potest, nonnulla vanæ gloriæ ex opinione sapientiæ captatio: altera, secretorum diuinæ prouidentiæ curiosa perscrutatio: tertia fortassis addi potest, huius vitæ vanitas, & misera mortalitatis nostræ conditio, quam Deus occulto suo iudicio sub caligine palpitantem detinet. Percurramus verbo singula.

Cùm Doctor gentium Apostolus antiquorum Sapientum supercilium deprimeret, eorumque mores contaminatissimos sub Philosophico pallio latentes propalaret, his verbis eos notauit: *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Non absimile quiddam videtur

Rom. 1, 21 *Ostentatio vana sapientia perdit sapientiam.*

detur Sapienti contigisse: qui dum sapientiæ laudem sibi arrogat (hoc enim nobis innuunt hæc verba: *Dixi, Sapiens efficiar*, vel, vt habet Syriaca lectio, *Dixi me sapientem effici*; & alibi: *Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientiâ*, &c. dum, inquam, inanem gloriam è sapientiæ quodammodò familiaritate captare videtur, hoc ipso se magno interuallo à sapientiæ metâ probat abfuisse. Et quid mirum? nónne tantumdem primo generis nostri parenti Adamo contigit? qui cùm inanis gloriæ stimulis incitatus, propiorem diuinæ sapientiæ communionem affectasset, fatali quadam caligine, densisque ingenij tenebris, secum posteritatem inuoluit vniuersam. Nónne paria nobis contingunt in omni ferè genere virtutum? Nónne Pharisæus ille Euangelicus iustitiæ suæ vanus ostentator, dum se alteri præfert, Deo iudice etiam Publicano posthabitus est? Quare non immeritò monet Basilius: Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem.

Ecclesi. 1, 16.

Genes. 3.

Lucæ 18, 14.

Basilius Constit. Monast. cap. 11.

Sed quis blandam hanc animæ pestem satis vitabit? Raræ proculdubiò & exaggeratę virtutis est, magna licet operantem te magnum esse nescire, & manifestam omnibus te solum latere sanctitatem: mirabilem aliis, tibi contemptibilem apparere. Profectò virtutibus ipsis mirabilius esse iudico, vanam gloriam ad extremum suum nihil redegisse: & hunc submissionis triumphum triumphis omnibus augustiorem. Non est enim, inquit Chrysostomus, non est vitium ita tyrannicum, aut tam latè dominans, quàm vana gloria. Et quemadmodum sæui quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo

Bernardus Serm. 13. in Cătica. *Difficile est omnino superare vanam gloriam.*

Chrysost. Homil. 43. ad Pop. Antioch.

ita

ita subruunt, vt arena cum vndis misceatur: sic excæcat mentis aciem gloriæ furor. O vitæ nostræ caliginem! ô laborem! ô vanitatem! ingens labor subeundus est in dissipandis tenebris, in inuestigandâ sapientiâ, in præscribendis benè beateque viuendi præceptis: sed postquam ex voto hæc homini cesserint, si voto nimiùm fuerit delectatus, in vanitatem priore fœdiorem delabitur; siquidem minoris culpæ videtur affinis ignorantiæ simplicitas, quàm superba sapientiæ ostentatio. Sic vanitas vanitatem excipit, & ignorantiæ tenebris tenebræ succedunt vitiorum.

Curiositas circa diuinam prouidentiam nocet veræ sapientiæ.

Altera causa, cur sapientia fugerit Ecclesiasten, hæc assignari posse videtur, quòd occulta diuinæ prouidentiæ consilia circa vitam hominum curiosiùs inuestigârit: quod patet ex variis locis, cùm toto passim Opere, tum hoc etiam Capite dispersis. Insinuatur hæc causa verbis proximè subnexis. *Et alta profunditas, quis inueniet eam?* Nec mirum est, occulta diuinæ prouidentiæ consilia scrutantes sapientiæ dispendio multari: siquidem nimis alta sapere, dementiæ quoddam genus est; & plus velle scire quàm par sit, intemperantis animi vitium. Quid ergo mirum, eos pœnâ dignos censeri, quibus ipsa culpa instar pœnæ obtinet? Celebris est apud Hebræos hæc parœmia: Camelus abiit, vt cornua sibi compararet; at aures etiam, quas habebat, amputauerunt ei. Idem illis contingit, qui inconcessa cupidiùs affectant, & humani ingenij viribus maiora conantur, vt nimirum communibus naturæ gratiæque donis frustrentur: idemque illis euenit quod olim Thaleti, qui cùm in cælum suspiciens, & astra contemplatus, in foueam incidisset, meritò hoc sibi à vetulâ audiuit exprobrari, frustrà eum cælestia contemplari, qui

Ex libro Sanedrin cap. vlt.

Maximus Sermone 21.

qui quod ante pedes esset ignoraret. Quare

Horat. Ep. l. 1. Ep. 2. ad Mecænatem.

Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est,

& ab iis abstinere, à quibus diuinæ vocis auctoritas humanæ curiositatis arcet audaciam, dum ait: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper*, ne in illa impingas, quæ scrutantis oculos reuerberent, & ad inferiora retundant: & quò curiosiùs acriusque in Solem illum æternum oculos intenderis, eò minùs infinitum eius lumen penetres, & maiorem referas cæcitatem.

Eccli. 3, 22.

Difficilis est in hac vitâ verâ Sapientiæ acquisitio.

Tertia causa sapientiæ frustrà à Salomone inuestigatæ sic assignari potest, vt nulla prorsus eius culpa interuenerit, sed ea sit conditionis humanæ miseria, vitæque communis vanitas, quòd cogitationes mortalium futiles sunt, & incertæ prouidentiæ nostræ; & quòd pleraque in hac vitâ cæcis tenebris obducta sunt: vt non raro tunc maximè à felicitate aberremus, dum eam summo studio consectamur; idemque nobis accidat quod per deuia cursu contendentibus; qui tantò longiùs à metâ aberrant, quantò vehementiori studio cursum promouerunt. maximè verò à verâ sapientiâ ac scopo aberrant, qui inter huius vitæ tenebras solâ speculatione in illum collimant, cùm virtus in actione potiùs consistat.

Thomas Campensis l. 1. de Imit. c. 2.

Melior est humilis rusticus, ait Thomas Campensis, qui Deo seruit, quàm superbus Philosophus, qui, se neglecto, cursum cæli considerat. Et vniuersè in hac tam densâ rerum humanarum caligine hoc locum habet, vt plus manibus quàm oculis, plus actione quàm speculatione promoueamus. Profitetur hoc de seipso Prophe-

Psal. 76, 3.

ta Regius, dum ait: *In die tribulationis meæ*, id est, toto mortalis huius vitæ decursu, quæ mera tribulatio est, & caliginosum exsilium, *Deum*, inquit, *exquisiui*;

manibus

manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus. Dum nocte in tenebris rem quampiam quærimus, vt rectè notat Bellarminus, faciliùs palpando manibus, quàm oculis lustrando inuenimus; ita in hoc obscuro tristique nostro exilio faciliùs Deum, virtutem, sapientiam manibus bonorum operum, & obseruatione mandatorum, quàm oculis sublimium speculationum attingimus. Quare postquam animaduertit Ecclesiastes, se altâ speculatione & curiosâ disquisitione nihil proficere; velut aquila relictis nubibus in terram delabitur, & ad ea consideranda animum applicat, quæ naturæ viribus & humanâ ratiocinatione inuestigare fas est. Bellarmin. in Psal. 76.

SECTIO DECIMANONA.

ECCLESIASTES.

VERS. 26. Lustraui vniuersa animo meo, [a] vt scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam, & rationem: & vt cognoscerem [b] impietatem stulti, & errorem imprudentium.

[a] *Campensis reddit:* ad intelligenda ea quæ ratiocinatione inuestigari possunt.

[b] *Versio* LXX. *& Syriaca habent:* impij stultitiam.

METRICA PARAPHRASIS.

DVM *frustrà rutilum iubar, lareſque*
Diuinæ sapientiæ requiro,
Nec mysteria propalàm tueri
Cortinis datur abdita æuiternis,
Hæc tandem subiit cupido mentem
Sub rotis Hyperionis iacentes
Pennâ remige permeare terras;
Et saltem rationis ex amussi
Metiri documenta vanitatis,

Vitam quæ facit infuäuiorem,
Et vitam facit impiatiorem.
Aut quæ vipereo profusa partu
Pestis exitio potentiore
Grassetur gemino sub axe mundi:
Aut quid stultitiæ tenens cathedram,
Infestet grauiùs genus Promethei.
Sed quò noxia, quò cupido tendis
Pruritu insatiabili sciendi?
Nescires meliùs, quod ægra plores.
Quis prudens lacrymis fodit scatebras,
Quæ sat sponte scaturiunt per orbem?
Si scires minùs, & minùs doleres.
Nil moror: malè sit malis tenebris:
Torquent abdita, propalata vites.
Aut si nulla datur malis medela,
At saltem iuuat hoc, iuuat miscllos,
Quâ peste intereant, palàm tueri.

PROSA EXEGESIS.

LAVS est non infima Medicorum, corporis morbos solerter inuestigare, notare symptomata, pericula cogitatione præcipere, & priusquam incumbant, maturè propulsare: quæ omnia in animæ morbis ac periculis eò magis valere debent, quòd hæc maiores pariunt calamitates, nec rarò sempiternas. Stulti enim est, ac cæci, & in rebus humanis planè hospitis ac peregrini, securum inter tot pericula degere, & quæ pestes animum infestent, fusque deque habere. Peruersa confidentia est, ait Cyprianus, quæ periculis vitam credit; & lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati saluari se posse confidit. Incerta est victoria, inter hostilia arma pugnare;

Pericula prospicienda & præcauenda sunt.

Cyprianus seu quis alius de Singul. Cleric.

re; & impossibilis liberatio est, flammis circumdari, & nec ardere. Verendum est dormienti in ripâ, ne cadat. Nemo diu tutus est periculo proximus. Quare hæc cura viros cordatos semper intentos habet ac sollicitos, quibus vitiis animus potissimùm infestetur, quibus mundi illecebris in fraudem impellatur, quibus periculis faciliùs succumbat. Et quidem tot vndique pericula miseros circumstant, vt quò se potissimùm conuertant, non satis habeant exploratum.

Quid quisque vitet (ait Horatius) *numquam homini satis* Horat. li 2. Odâ 13.
Cautum est in horas.——

Quid enim omnino tutum est in vitâ mortalibus?

D. Antonium accepimus aliquando Deo repræsentante aërem, quà latissimè patet, laqueis obductum vidisse, & meritò perturbatum exclamasse: Quis tandem euadet? Plena enim sunt omnia periculis, inquit D. Leo, plena laqueis. Ineitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Idemque alio loco: Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis: illæ eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore: nec interest, vtrùm animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis, cùm par morbus sit, vel sub vanâ delectatione gaudere, vel sub anxiâ sollicitudine laborare.

Mundus plenus laqueis & periculis.
Leo Ser. 5. Quadragesi.
Idē Ser. 11. Quadragesi.

Quid ego nunc pernicioſas mundi leges, Dei legibus contrarias, commemorem? quid lubricas & ad lapsum præcipites huius vitæ vias? quid insanientium turbam, quæ torrentis instar peruersis opinionibus infirmos

Mundi leges & prauа exempla periculum creant.

firmos abripit? quid exempla vitiorum, quouis Oratore potentiùs in fraudem impellentia? Cùm enim mens hominis, inquit Cyprianus, ad vitia ipsa ducatur, quid faciet si habuerit exempla? & natura corporis lubrica, quæ sponte corruit, quid faciet si fuerit impulsa?

Cyprianus lib. de Spectacul.

Prætermitto errores imprudentium, quibus immorari singulis, infiniti laboris fuerit. Tres tantùm maximè peruagatos verbo perstringam, quos hac sententiâ complexus est Apostolus Ioannes: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* An non meritò has *impiorum stultitias, & errores imprudentium* esse dixero? Quid enim feruentioribus votis ac desideriis vulgò prosequimur, & tamen quæ potest esse pestis humano generi capitalior? Diuitias intuere, quas dolores oculorum iure possumus appellare, quanto in pretio habentur? quantâ contentione expetuntur? & tamen disertè de illis pronuntiat diuus Hieronymus, non posse in idem pectus conuenire virtutes & diuitias.

1. Ioan. 2, 16.

Mundus errat in delectu bonorum.

Diuitiæ sæpè noxiæ.

Hieron. Epist. 13.

Seueriùs etiam de superbiâ vitæ pronuntiat D. Gregorius, quam tanto ambitu prehensant mortales, asserens eum, qui se illi tradiderit, nullum habere posse cum virtute commercium. Alia, inquit, vitia eas solummodò virtutes impetunt, quibus ipsa destituuntur; ira videlicet patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnat: superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam vnius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit.

Gregorius lib. 34. Moral. c. 18.

Superbia vitæ damnosa.

Sed quamuis tantam stragem vni superbiæ Gregorius imputet; nescio tamen, an non latiùs grassetur concupi-

cupiſcentia carnis, quam triumphali luxuriæ curru inuectam, inter reliquos Pharaonis currus ſcitè deſcribit Bernardus. Currus hic quatuor vitiis tamquam rotis voluitur, ventris ingluuie, veſtium mollitie, otij ſomnique abundantiâ, ac denique ardore fœdæ libidinis. Equi bini, vitæ proſperitas, & rerum affluentia: quibus equis duo inſident, torpor ignauiæ, & cæca ſecuritas. Atq; his quidem calcaria nulla, ne quid ſit in regno voluptatis quod contriſtet aut pungat; ſed potiùs conopeum in manibus ad vmbram inducendam, diſſimulatio & neglectus rerum prouidendarum. Proprium namque eſt, inquit, mollis & delicatæ animæ, etiam neceſſarias diſſimulare curas, & ne æſtuantes ſollicitudines ſentiat, ſub latibulo diſſimulationis abſcondi. Quid hoc *imprudentium errore* pernicioſius, & tamen quid familiarius?

Carnis concupiſcentia maximè noxia. Bernardus Serm. 39. in Cant.

Itaque vt vnde digreſſa eſt, eò reuertatur oratio, cùm plena ſint hîc omnia peſte, contagione, laqueis ac periculis; ne quis ignorantiam ruinæ ſuæ prætexeret, *luſtraui vniuerſa animo meo*, ait Eccleſiaſtes, id eſt, diu multumque conſideraui, quid ſapienti in hac vitâ conduceret, vt congruenter naturæ ac rationi viueret: ac rurſus quid eſſet inter tot mala huius mundi, inter tot offendicula, tot pericula, tot vitæ ſcopulos, tot laqueos, denique inter tot irritamenta malorum, & fomenta cupiditatum, in quo maximè ceſpitarent ac laberentur ſtulti, quo genere impietatis aut malitiæ maximè peruerterentur, ad quos ſcopulos maximè alliderentur, & quibus laqueis maximè caperentur imprudentes. Et quid tandem inuenit quod malorum omnium caput eſſe pronuntiaret? Ipſum conſulite, ipſum audite.

SECTIO VIGESIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 27. Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius. qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illâ.

METRICA PARAPHRASIS.

ERGO erat hoc nostris omen fatale periclis,
Vt fieret nobis femina summa mali?
Hæccine Scylla rati? fera Gorgon, Lerna malorum,
Mors, furia, & si quid dirius Orcus habet?
Quis placido in vultu legeret tam tristia fata,
Vinceret vt furias illa serena Charis?
Siccine blanditiis fallit crudelis Enyo?
Tanta sub Hyblæo toxica melle premit?
O frons picta dolis! ô fallax femina nomen!
Aspera mollities, & sine Marte furor!
Tot mentita vomit morum hæc pellacia fluctus,
Turbet vt Ionium sæua Malæa minùs.
Seu tumet ægra minis, non sic lea surgit in iras,
Non ita fulmineo dente ferocit aper:
Seu petit amplexus, & basia dulcia libat,
Maius in exitium sic furor ille furit.
Femineos nescis adamantina vincla lacertos?
Basiaque afflatu spargere in ora faces?
Crede probrum fasso: de me non vna Dione
Infami spolio lecta trophæa tulit.

Parua

Parua loquor: quanta est mulier, prædonis auerni
Fit laqueus, viscum, lora, sagena, plagæ.
Dant phaleræ fucum, & totus de pyxide vultus
(Nam quota pars formæ compta puella suæ est?)
Exitium venale Venus quo lumina cæco
Fascinet emptori, facta propola necis.
Aspicis vt volucres fingat, crispetque capillos?
Tortilibus laqueis in tua damna furit.
Aspicis vt niueâ radient duo sidera fronte?
Non pariunt tantas astra comata minas.
Aspicis Assyriâ stillantia tempora nardo,
Vtque obeant teretes picta venena genas?
Fronde sub arboreâ volucri sic imminet auceps,
Et viscum tremulis illinit amitibus.
Aure vides geminâ rutilans vt gemmet elenchus,
Ductaque per colli plurima bacca niues?
Aucupis hic labor est: completis alite clathris
Frondibus ac Tyrio murice claustra replet.
Vbera si pandit pectusque, hanc crede sagenam:
Vincula sunt agiles in tua colla manus.
Sed quid ego hæc? hilares inter tot retia amantes
Ludimus: & probris turba beata sumus.
Noui ego qui medio volitaret in igne pyrausta:
Noui ego qui vetitas nollet abesse faces.
Atque aliquis stringi Paphiis affectat ab vlnis:
Atque aliquis figi lumine dulce putat.
Lenones oculos si qua obliquarit amanti,
Hoc satis, vt stultum perdere possit, erit.
Quid si etiam lacrymas succum instillarit amoris?
O! potiùs lacrymas da crocodile tuas.
Adde rosas, mellisque fauos, quos fundit ab ore,
Et lepidos risus, blanditoquosque iocos,

Et

Et citharæ digitis animata loquacibus æra,
Et pede quos volucri lubricat acta choros.
Hei mihi, quot stolidis mortalibus obuia fata!
Hei mihi, quàm vitæ prompta ruina venit!
Tu cui prima Deo cura est placuisse, cuique
Blandior æthereo risit ab axe fauor,
Heu fuge, chare Deo, perniciùs alite vento,
Ocyùs elisam nube vibrante facem:
Heu fuge, ne subeas captiuo vincula collo,
Torreat aut castum flamma pudenda iecur.
Nulli impune fuit teneras spectasse puellas:
Dissiliunt istis spicula luminibus.
Ergo fuge, & Paphios cedendo vince furores.
Tolle scopum, frustrà tela Cupido iacit.
Hìc ignaua mora est: hosti dare terga, triumphus:
Hic mors certa, pedem figere; vita, fuga.

PROSA EXEGESIS.

Mulier omnis mali compendium.

ET ego succentor, & Ecclesiastæ nostro succenturiatus ingemino: Heu fuge, fuge hanc honoris ac famæ scyllam, hanc pudicitiæ charybdin, hunc Sirenum scopulum, hoc Circæum stabulum, hanc pestem, hanc labem, hoc diritatis omnis atque execrationis compendium. Et quid tandem de illâ dicam, de quâ cùm nihil satis dici posset, vno verbo cuncta complexus est Ecclesiastes: *Inueni amariorem morte mulierem.* Et verè dixit amariorem esse morte, quando de viris summis non

Viri magni per mulierē ceciderunt.

rarò triumphauit, qui omnem tormentorum acerbitatem pro nihilo duxerant, ipsamque mortem ante oculos constitutam ludibundi adspexerant. Quanti &

Cyprianus siue Origenes de Singul. Cleric.

quales Episcopi & Clerici, ait Cyprianus, post confessionem, & victoriarū calcata certamina, post magnalia,

&

& signa mirabilia vsquequaque monstrata, noscuntur cum his omnibus naufragasse, dum volunt in naui fragili nauigare? Quantos leones domuit vna mulieris infirmitas delicata! quæ cùm vilis & misera sit, de magnis efficit prædam. Hercules, Samson, Dauid, & ipse præ ceteris Ecclesiastes nos docent. Herculeas flammas Poëtæ loquuntur, & quidem Oeteis ignominiosiores, quas apud Omphalen & Iolen passus est. De Samsone illud expendit Ambrosius: Samson validus & fortis leonem suffocauit, sed amorem suum suffocare non potuit: vincula soluit hostium, sed suarum non soluit nexus cupiditatum: messes incendit alienas, sed vnius mulieris accensus ignibus, messem suæ virtutis amisit. Dauidi non tantùm nihil detrimenti attulit moles illa carnea gigantis Philisthæi, sed etiam nomen eius immortalitati consecrauit: at vnica tenella mulier eminus conspecta inuictum illud animi robur eneruauit. De Salomone nostro quid dicam? Ipse dolorem suum non celat. *Inueni*, inquit, *amariorem morte mulierem.* quam deinde suis coloribus depingens, ista subiungit: *Quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius.* quem secuti grauissimi Auctores, pro se quisque suis eam titulis onerarunt potiùs dicam quàm ornarunt.

Ambrosius in Apologiâ Dauid posteriori.

Quid igitur ex eorum sententiâ est mulier? Respondet Ambrosius: Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nociuum genus. Cùm proximat, stimulat: cùm ignem accendit, exurit fundamenta montium. Rursus quid est mulier? Respondet Chrysostomus: Naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta. Quid est mulier? Respondet Maximus: Mulier est viri naufragium, quietis impedimentum, vitæ

Ambrosius lib. Officiorum. *Mulieris descriptio ex variis.*

Chrysost. Hom. 19. sup. Matthæum.

Maximus Serm. 39.

captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum. Denique quid est mulier? Anastasius Nicænus q. 63. in Scriptur. Respondet Anastasius Nicænus: Quies serpentis, diaboli solatium, officina dæmonum, vipera vestita. Omitto ceteros, qui in hoc probrorum Oceano plenis eloquentiæ velis exspatiantur.

Ne tamen in sexum femineum publicè contumeliosus habear, palàm adfirmo, non in omnes hæc opprobria conuenire. *Mulieres non omnes in culpâ ac probro, sed impudica.* Noui quo in pretio & honore quilibet naturæ instinctu matrem habere debeat. Sed nec ille plus quàm Stoïcus Hippolyti rigor mihi probatur, qui vnius reuerentiâ matris solutus, nimis crudè pronuntiat:

Seneca Hippolyt. Act. 2.

Solamen vnum matris amißæ fero:
Odisse quòd iam feminas omnes licet.

Quis enim ignorat, tot illustres virtute feminas, velut totidem astra cælestia, viris etiam non rarò morum sanctitate præluxisse. Itaque illud potiùs Nasoni assentior:

Ouid. lib. 3. de Arte.

Parcite paucarum crimen diffundere in omnes:
Spectetur meritis quæque puella suis.

Illud igitur obseruo, non vniuersè contra feminas pronuntiare Ecclesiasten, sed ita signanter: *Inueni amariorem morte mulierem*, non omnem, sed illam nimirum impudicam, illam inquam, *quæ laqueus venatorum est.*

Mulier impudica instrumentũ est venatoris cacodæmonis. Chrysost. Hom. 2. in Matth. Idem in Epist. 1. ad Cor. 6. Qui verò sunt isti venatores? Non alij certè quàm cacodæmones, qui meretricio quæstu compendium faciunt. Hinc Chrysostomus allegoriâ non dissimili cellam meretriciam diaboli vocat officinam, in quâ tartareus ille proxeneta infamem hanc mercem venum exponit. Alibi verò cacodæmones mulieris meretricis lenones esse asserit; & meritò quidem: quemadmodum enim lenones meretricibus amatores conciliant, ita diabolus

lenonis

lenonis instar plurimos libidinosis suggestionibus ad scorta perducit. Et rursus, quemadmodum lenones cum meretricibus infamem illum quæstum partiuntur; sic tartareus ille prædo fortunas amatorum scorti mercedem esse permittit, animarum spolia sibi reseruat. Sed inter omnes allegorias magis arridet illa, quæ etiam Ecclesiastæ placuit, venatio, quam Ethnici etiam in hoc quæstu meretricio agnouerunt. Sic enim lena quædam apud Comicum:

Plautus in Asinaria.

Hic noster quæstus aucupij simillimus.
Auceps quando concinnauit aream, effundit cibum;
Aues adsuescunt: necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum.
Sæpè edunt: semel si sint captæ, rem soluunt aucupi.
Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aues.

Membra singula mulieris impudicæ instrumẽta sunt cacodæmonis.

Hanc venationem vsque adeò feminis accommodatam existimauit Ecclesiastes, vt singula etiam eius membra, inferni illius prædonis ac venatoris esse dixerit instrumenta.

Pectus rete.

Ac inprimis, inquit, *sagena cor eius*, tum scilicet, cùm externis indiciis se prodit, vultu, voce, gestu: nisi fortè pro pectore cor accipiens, ad illa reticula alludat, quibus impudicæ nuda vbera furtiuè ostendentes, eò nequiùs grassantur ad animarum perniciem, quò maiori dissimulatione retia expandunt.

Caput silua.

Sed à capite potiùs ordiamur. Quid tam familiare mulieribus, quàm reticulo crines complecti? Et quæ magis opportuna huic venationi silua, quàm crinium? cùm etiam de sacris amoribus dicatur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, ... in vno crine colli tui.* Et dubitare quis poterit, quin maior profano amori sit in crinibus luxuria, cincinnis, calamistris, comarum sug-

Cant. 4, 9.

gestu, adulterino puluere, ac denique non vno retis genere?

Oculi multiplex instrumentũ. Seneca in Excerptis.

Sed ad oculos veniamus non vnius flagitij reos, nec vno nomine infames. Non immeritò dixit Seneca, partem innocentiæ esse cæcitatem. Huic enim oculi adulterium monstrant, inquit, huic incestum, huic rapinam, huic mala omnia. Certè irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum. Itaque muliebres oculos profani amoris proxenetas iure quidam vocauit: his enim internuntiis mercatus huius propudiosæ mercis exercetur. Basilius præuios duces ac pronubos oculorum iactus esse vult eius, cuius manus ministræ sunt tactus. Lucianus lenones vocauit oculos, & primam amoris viam: Plato amoris principium: Heliodorus præcipua dixit instrumenta fascinationis amatoriæ: alius denique specula concaua nuncupauit, incendiarias amoris flammas eiaculantia, quibus captiua & ambusta virorum mens velut in triumphum ducitur.

Basilius de Verâ virginit.

Heliodorus in Aethiop.

Fuci ac pigmenta sunt illecebræ.

Quid nunc fucos ac pigmenta commemorem? quid minium & cerussam? quid herbarum florumque succos palpebris venustandis, genisque fucandis? Parum scilicet illecebrosa sine his forma esset, & frustrà luderet, nisi ab his mendaciis adminicula sumeret, vt virorum stuporem exaggeraret, mutuoque lenocinio fortiùs illuderent virili robori. Ferunt insolentem pauonem, inquit Nazianzenus, cùm turgente collo, pennisque gemmantibus circulum efficit, feminas clangore ad venerem incitare. Eodem modo mirabor, inquit, si tu aliam ob causam formam depingas, quàm vt comptulorum & falacium virorum oculos ad te conuertas.

Nazianz. Orat. In mulieres ambitiosas.

Oris blandimenta sunt viscus.

Quid oris ac labiorum gratiam commemorem? de quâ Comicus: Viscus merus vestra blanditia est. Si cantus

tus etiam acceſſerit, edicit Cyprianus tolerabilius eſſe baſiliſcum audire ſibilantem. Cyprianus de Singular. Cleric.

De pectore iam dixi cum Eccleſiaſte, meram eſſe diaboli ſagenam. qui etiam ſubiungit: *Vincula ſunt manus illius.* imò polypus, quem Veneris eſſe ſymbolum, ex hieroglyphicâ Ægyptiorum diſciplinâ tradit Pierius: *Manus ſunt vincula.*

Namque ſub æquoribus deprenſum polypus hoſtem
Continet, ex omni demiſſis parte flagellis. Pierius lib. 27.

Nec aliter ſanè muliebres manus, quos complexæ ſunt, inuoluunt, irretiunt, tenent, flagellant.

Sed nec pedes illecebris aut inſidiis vacant, maximè ſi laſciuis ſaltationibus in numeros frangantur: quæ peſtis quàm potenter hominum animis dominetur, ſatis exemplis Scripturæ docemur, inquit Ambroſius; cùm Ioannes Chriſti prænuntius ſaltatricis optione iugulatus, exemplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quàm ſacrilegi furoris amentiam. *Pedes diſcurſatio ſeu ipſa venatio.* Ambr. l. 3. de Virgin.

Denique quanta in ornatu cultuque muliebri ad peccandum illecebra? dum infames illæ & proſtitutæ pudicitiæ venatrices, vt cum Petronio loquar, proſtant in nebulâ lineâ, ventum textilem indutæ. Video ſericas veſtes, ait Seneca, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus aut denique pudor poſſit: quibus ſumptis mulier parum liquidò nudam ſe non eſſe iurabit. Sed nec pretium deeſt, vt magis venalis ſit pudor. Video, inquit idem, vniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos: iam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt: iunguntur inter ſe, & inſuper alij binis ſuperponuntur, vt bina ac terna patrimonia auribus ſingulis appendantur. Omitto torques, armillas, monilia, ceterumque mundum muliebrem, quibus ad ſtuporem vſque tamquam vittis exornantur infelicisſimæ *Ornatus muliebris multiplex illecebra.* Petronius Arbiter. Seneca l. 7. de Benefic. cap. 9. Idem ibidem.

mæ illæ publicarum libidinum victimæ. Nam, vt verè Cyprianus, nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est.

Cypri. lib. de Habitu virg.

Deus immortalis! quis inter tot occasiones ruinæ securus incedet? quis tot hamos voluptatis illecebris vestitos, tot retia, tot laqueos vitabit? cumque nec inuictum robur Samsonem, nec sanctitas Dauidem, nec sapientia Salomonem à meretriciis hisce periculis immunem reddiderit, quid illis futurum est, quos nulla vitæ merita commendant? Certè nihil propius est, quàm vt cum eodem Salomone dicam: *Qui peccator est, capietur ab illâ.* Quis enim, obsecro, virtute destitutus, tot blanditiis non emolliatur, tot muliebribus insidiis non circumueniatur? Audite ex ipso Sapiente, quo pacto in perniciem hominum grassetur. *Considero,* inquit ille, *vecordem iuuenem, qui transit per plateam in noctis tenebris & caligine. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: apprehensumque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro salute vouì, hodie reddidi vota mea. idcircò egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre; & reperi. Intexui funiculis lectulum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto: adsperſi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinnamomo. Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. non est enim vir in domo suâ, abijt viâ longissimâ.* Quid multa? *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur.* Ita paulatim serpit illud virus, & viscosa desideria per consensum in perniciem trahunt. Quia, vt

Peccator facilè à mulieribus capitur.

Prouer. 7,7

ait

ait D. Gregorius, ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Gregor. in Moralibus.

Quid igitur consilij? nullum certè, nisi in pertinaci fugâ diuino auxilio ac fauore susceptâ. *Qui placet Deo*, inquit Ecclesiastes, *effugiet illam*. Non est quòd de castâ cum feminis conuersatione, aut vitæ austeritate, sibi quisquam blandiatur. De eodem cuncti facti sumus luto, ait Hieronymus, iisdem compacti præcordiis, in serico & in pannis eadem libido dominatur: neque Regum purpuram timet, neque mendicorum spernit squallorem. Neque statim nobis de pœnitentiæ subsidiis blandiamur, quæ sunt infelicium remedia. Cauendum est vulnus quod dolore curatur. Et aliud est, integrâ naui & saluis mercibus salutis portum intrare; aliud, nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum incursibus ad asperrima saxa collidi. *Mulierum conuersatio fugienda.* Hier. Epist. ad Saluinã.

At pudicæ sunt, inquies, quibus interdum vtor familiarius. Sint etiam religiosæ: at non rarò sub prætextu pietatis latet viscus libidinis, ait Augustinus. Experto crede: expertus loquor coram Deo, & non mentior. Cedros Libani, duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quàm Ambrosij vel Hieronymi impudicâ turpitudine. Maiorem etiam cautelam adhibendam censet Hieronymus, dum ita Rustico scribit: Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat sub pectore vulnus. Ancillulas quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis: & quantò vilior est earum conditio, tantò facilior est ruina. Itaque fuge *Etiam pudicarum.* Augustinus. Hier. Epist. ad Rustic. Mon.

Eccli. 9, 2. fuge hanc peſtem, &, vt monet Siracides, *non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris.* Nihil eſt enim, vt notat Auguſtinus, quod magis ex arce virtutis deiiciat animum virilem, quàm blandimenta feminea. Viderunt hoc etiam illi, quibus præter vanam nominis ac famæ immortalitatem nihil fuit propoſitum: qui tamen ne maculam darent in gloriam ſuam, non conſortio tantùm mulierum, ſed etiam conſpectu abſtinuerunt: inter quos Magnus Alexander Darij filias iam in poteſtatem redactas videre noluit, non committendum ratus, vt cùm viros viciſſet, à mulieribus vinceretur. Sed maior ac ſolidior eorum laus eſt, qui Dei reuerentiâ & virtutis amore ducti, hanc ſibi legem cum Prophetâ Iob ſcripſerunt: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Talem fuiſſe magnum illum Arſenium accepimus, cuius colloquium & conſpectum cùm matrona quædam pietate ducta longo itinere expetiiſſet, eam videre omnino non ſuſtinuit, & preces ſaltem flagitanti reſpondit, hoc ſe à Deo petiturum, vt numquam eius meminiſſet. Talem etiam memoriæ proditum eſt fuiſſe Hugonem Gratianopolitanum Antiſtitem: à quo cùm Ven. Hugo quæreret, quid de matris ætate videretur, quæ eum officij causâ conuenerat, reſpondit, de verbis eius poſſe ſe iudicare, vultum autem omnino non adſpexiſſe. Quid hos tantos viros in lubrico puellarum congreſſu fuiſſe facturos exiſtimamus, qui à grauium matronarum adſpectu tam continentes fuerunt? Nos igitur cum his viris ſummis tam periculoſum vitæ ſcopulum præteruecti, videamus quid tandem inuenerit aut profecerit Eccleſiaſtes, tam ſollicitè inter homines inueſtigando rationem ſecundùm naturam benè beateque viuendi.

Auguſt. in Soliloquiis.

Plutarch. in Alexandro.

Iob 31, 1.

Daulrutius Tom. 3. Catech. Hiſt.

Surius in Vitâ.

SECTIO

SECTIO VIGESIMAPRIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 28. Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum, vt inuenirem rationem,
29. quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.
30. Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit [a] quæstionibus. Quis talis vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi?

[a] LXX. cogitationibus. *Campensis*, stultis inuentionibus.

METRICA PARAPHRASIS.

QVONDAM *in terras ex arce poli* Psal. 13, 2.
Lumina flexit Rector olympi,
Circumspectans hominum studia,
Penitosque sinus radiis penetrans,
Si reperisset fors è cunctis
Millibus vnum, quem cana fides
Candorque animæ ciuem patriis
Adderet astris. Nemo, heu! nemo
Integer animi, scelerisque exsors;
Nemo, heu! tanti Numinis oculo
Censore fuit, cui maculoso
Lurida vultu, ceu fraterno Iob 25.
Viduata igni Cynthia pallet:
Cui sordentes pudibunda premunt
Sidera flammas. Qui potis igitur

Homo putrescens ligni frustum,
Aut lampyrides, genus abiectum,
Fatuâ Numen recreare face?
At si cunctos agitata poli
Facit vrna reos; an mortali
Saltem trutina nullum virtus
Morumque decus dabit eximium?
En mente vagâ singula scrutor:
Et nunc feror huc, nunc feror illuc,
Moresque oculis, vitamque noto,
Si fors vitæ norma beatæ,
Sanctaque pietas, quam vestigo
Sectorque gemens, emicet vsquam.
Heu! quòd toties labor in ventos
Frustratus abit. fecunda quidem
Sata luxuriant scelerum culmis,
Sed virtutum sterilescit ager.
Heu! degeneres, mundi opprobrium,
Nos elumbis, senioque grauis,
Vitiisque grauis protulit orbis.
E mille viris exstitit vnus,
Qui consistens tramite recti,
Morumque luem, vulgique probrum
Procul arceret segrege vitâ.
Ast è totidem millibus vna
Femina nusquam comperta mihi.
Hoc compertum scilicet vnum,
Homini Numen quòd dedit esse
Vultu recto, mente erectâ,
Cærula mandans templa tueri,
Vitæque polo ducere normam.
Talia prisci quondam Patres

Sæcla

Sæcla videbant, cùm plebs facilis
Sine lege fidem ſponte colebat:
Cùm virtuti ſuus eſſet honos,
Cùm noctigenis peſtibus orci
Nondum licuit ſtygio adflatu
Fœdare diem. Nunc in ſenium
Vergente die, poſtquam infecit
Vilior orbem vena metalli,
Heu! vitiorum menti incubuit
Funeſta cohors: ambitio exlex,
Præcepſque furor, tabida luor
Viſcera rodens, laceroque gemens
Luctus amictu, quin & luxus
Populator opum, nec minùs auri
Scelerata fames, quæque exſangues
Longo ſubeunt ordine curæ.
Nec dira fames exempta opibus,
Quas blanda parens diuite ſulco
Terra miniſtrat: Magnæ Matris
Fodimus aluum; ſuluaque maſſa
Nigrante cauo meliùs latitans
Iuſſa ignotam ſpectare diem.
Hinc iam fraudum perfida larua,
Hinc ſicarum venale nefas,
Hinc empta coquunt aconita necem,
Hinc lupus homini furit alter homo:
Et pudor & fas exulat orbe.
Quiſnam vt Sapiens iſta ſagaci
Corde volutet? Quiſve reſoluat
Magnus Apollo, quibus in terris
Vitæ lateat norma beatæ?

PROSA EXEGESIS.

POSTQVAM diu multumque expendisset Ecclesiastes, quid beatæ vitæ, & ex præscripto rectæ rationis instituendæ, prodesse posset aut obesse; & inter homines aliquod istiusmodi perfectionis exemplar inuestigans, inuenisset potiùs quod oculos animumque offenderet, quàm quod virtutis norma censeri posset; tandem extremis huius Capitis versibus animum omnino despondens, quid inuenerit, candidè profitetur. Qui quoniam obscuram minimeque expeditam habent sententiam, post metricam paraphrasim eosdem paulò pressiùs quasi per vestigia complanabo. *Ecce hoc inueni*, dixit Ecclesiastes, *vnum & alterum*, id est, varios vtriusque sexus homines considerauí, *vt* ex eorum vitæ contemplatione & comparatione velut ideam quamdam ac *rationem inuenirem* congruenter naturæ, & ex auctoris naturæ præscripto viuendi: *quam adhuc quærit anima mea, & non inueni*, tam accuratam scilicet ac perfectam, vt beatæ perfectæque vitæ norma censeri posset.

Laërtius lib. 6.

Quem Ecclesiastæ laborem dum considero, videre mihi videor Diogenem aliquem Cynicum, qui accensâ lucernâ, clarâ luce plateas obambulans, homines se quærere dicebat, publicos ciuitatis mores vix homine dignos fugillans. Nec aliâ mente concionabundus in forum processit, idemtidem clamans: Adeste homines. Cumque iam frequentes conueniissent, nec ille finem faceret clamandi, Adeste homines; quidam cum stomacho dixerunt: En adsumus, dic aliquid. Tum ille baculo eos abigens, Homines, inquit, adesse iussi, non sterquilinia. indignos esse hominis nomenclaturâ existimans, qui non ratione, sed brutis agerentur affectibus.

Si

Si neminem hic Philosophus inuenit, qui qualicumque hominis appellatione censeri posset, quem tandem inueniet Ecclesiastes, à quo perfectæ vitæ normam possit & exemplar mutuari, quique inter homines emineat

Perfectus sapiens in hac vitâ non inuenitur.

——*vt altus olympi*
Vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit.

Claudian. Paneg. in Manlij Conf.

Quamuis enim Socratem, Diogenem, Antisthenem, magnos progressus fecisse, nec longè à vertice constitisse contenderit Posidonius, tantum tamen abest, vt eos, quod in naturâ summum est, assecutos esse fateamur; vt præter flagitia, quibus à nonnullis notantur, omnia potiùs illis defuisse contendamus, quibus veri Dei cognitio cultusque defuit.

Laërt. in Zenone.

Sed est aliud quoddam genus sapientum, qui tum apud Stoicos, tum etiam apud Christianos Proficientes dicuntur. & ij quidem in diuerso genere. Quidam multa magnaque vitia, non tamen omnia fugerunt, sed doctrinâ & exercitio (diuinâ adspirante gratiâ) ad vlteriora nituntur. Alij, inquit Seneca, omnes iam affectus & vitia posuerunt, & quæ erant complectenda didicerunt: sed illis adhuc inexperta fiducia est. Iam ibi sunt, vbi non est retrò lapsus, sed hoc illis de se nondum liquet. Iam contigit illis bono suo frui, nondum confidere. Quem perfectionis statum meliùs & breuiùs sic expressit Ecclesiastes: *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, vtrùm amore an odio dignus sit.*

Proficientes alterum genus sapientum.

Seneca Epist. 75.

Eccle. 9, 1.

Istiusmodi sapientem quamuis hoc vniuersum admittat, verum tamen est illud Poëtæ:

Vir bonus & sapiens, qualem vix repperit vllum
Millibus è cunctis hominum consultus Apollo.

Virgil. in Catalectis.

Et quod eodem sensu pronuntiat Ecclesiastes, *Virum de mille*

Rari sunt huiusmodi sapientes.

mille vnum reperi, tolerabilem scilicet, & qui vtcumque secundùm rectam rationem Deique beneplacitum vitam instituat. Tales nonnullos singula tulerunt sæcula, quos nunc Fastis Ecclesiæ vel potiùs cælo adscriptos, piâ recordatione veneramur.

At *mulierem*, inquit, *ex omnibus, quas consideraui, non inueni*, quæ congruenter naturæ rectæque rationi viueret: ex omnibus, inquam, aut illis mille, quas siue Reginas siue concubinas, legitimo tamen toro iunctas habui: aut certè, ex omnibus quas innumerabilium adolescentularum gynæceo cogitationibus meis obiecto contemplatus sum. Nec mirum, cùm feminis, vt sexus, ita animus sit delicatior. Itaque, vt ait Quintilianus, faciliùs hæc pectora metus, odium, ira corrumpunt: & quoniam non habent roboris tantum vnde vitia mentium vincant, plerumque facinus infirmitate patrant. Illud tamen mirum negotium vocat Cyprianus, quòd mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas viris sunt fortiores; in luxu potissimùm, de quo sic Tertullianus: Vno lino decies sestertiûm inseritur. Saltus & insulas tenera fert ceruix, graciles aurium cutes kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis tantarum vsurarum substantiam vno & muliebri corpusculo baiulare.

Quinctil. Declam. 2. *Mulieres faciliùs deprauantur.*

Cypria. de discip. virg. *Mulieres ad vitia fortes.*

Tertullian. de Habitu mulierum. cap. vlt. *Fasthosa.*

Quid nunc eius contumaciam in medium adducam? Notum est, Romanas mulieres, cùm illis vsu vehiculorum interdiceretur, conspirasse, ne aut vterum gererent in posterum, aut viris suis parerent. Est enim mulier, vt ait Cato apud Liuium, impotens naturâ & indomitum animal; hoc etiam distans à feris, quòd feræ excultæ mansuescunt, mulieres autem, quò magis excoluntur,

Plutarchus Quæst. Rom. 56. *Contumaces.* Liuius lib. 34.

luntur,eò magis insolescunt. Si ingenio pollent,& naturam arte perficiunt; cum habitu scientiarum etiam fastum induunt. Si eloquentes ac disertæ sunt, plerumque plus quàm par est persuadent. Si formâ præcellunt;

Lis est cum formâ magna pudicitiæ. Ouidius Epist.15. Heroid.

Si rerum vsu valent, in coniuges velut ignauos & inexpertos imperium exercent. Si opes aut maiorum stemmata ad impotentiam animi accedant, tum verò maritos instar luti conculcant. Quid plura?

Furore multo sæuit iratum mare, Euripides.
Proniáque fluuij, & ignis acer impetus,
Inopia acerba, acerba alia quamplurima.
Sed nihil ita acerbum & noxium, vt mulier mala.

Itaque in hac naturâ tantopere deprauatâ vitæ rectè instituendæ rationem ac normam inuenire se posse desperauit Ecclesiastes. Huiusque rei nulla in Deum culpa refundi potest, cùm neminem ille deprauarit, neminem fatali necessitate ad malum impulerit. Quinimò *hoc*, inquit, *inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis immiscuerit quæstionibus.* O quàm rectus, & ad omnem virtutem erectus fuit animus primi generis nostri parentis Adami! cùm nulla deprehendere- tur apud illum rationem inter sensumque lucta; cùm nullæ essent in intellectu tenebræ, nulla in voluntate à Deo auersio; cùm anima originalis iustitiæ dote instructa, tanto delectationis gustu sensuque Deo adhæresceret, vt non tantùm hac voluptate delibuta, nullius culpæ,quantumuis exiguæ, sordibus sese inquinaret,sed etiam prauos concupiscentiæ motus sub iugum mitteret? cùm denique,vt ait Augustinus, motus omnes sensualitatis imperio tranquillissimæ charitatis obtemperarent. Sed nimirum corruptâ semel naturâ, & cæcitas intellectum

Deus hominem rectum condidit, sed ille se deprauauit.

Augustinus lib 2. de Peccat.origin.c.35.

ctum occupauit, & elumbis ad actus virtutum paulatim voluntas effecta est, & miser homo velut in caligine palpitans, infinitis se quæstionum, difficultatum ac vanitatum labyrinthis intricauit. Hinc auaritiæ studia, hinc ambitus, & honorum contentio, hinc bella, hinc lites & simultates, hinc carnis contagia, hinc voluptatum præstigiæ, & quæ non vanitatum vitiorumque colluuies sensim sine sensu mortalium genus inquinauit? Adeò verum semper illud Horatij:

Horat. li. 3. Odâ 6.

Ætas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Hæc cùm accuratè inuestigasset & obseruasset Ecclesiastes, tandem sic epiphonizat, & quasi industriæ suæ applaudens ait: *Quis talis vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi?* quasi dicat: Quotusquisque in harum rerum inuestigatione id præstat quod est sapientis? & quotusquisque hunc nodum dissoluit, prudenterque diiudicat, quid homini in hac vitâ propositum esse debeat, vt congruenter naturæ rectæque rationi, id est, benè beateque, viuat?

SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT OCTAVVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 1. Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit.

METRICA PARAPHRASIS.

VT *Sol auricomum iubar*
Cùm lotum pelago extulit,
Vernant prata decentiùs,
Ridet caltha venustiùs,
Candent lilia pulchriùs,
Et flammas acuunt rosæ;
Sic dum lux sapientiæ
Arcem pectoris occupat,
Ipso Sole serenius
Adflat luminibus decus.
O quàm sidereum iubar
Vultu ridet amabili!
Dum frons spirat eburnea
Mentis compositæ indolem;

Dum blandis Hyperionis
Almæ lampadis æmulæ
Abſiſtunt oculis faces;
Dum Mauorte potentius
Robur, tergeminæ excubant
Manſuetis Charites genis;
Dum vox nectare dulcior
Stillat purpureis labris;
Dum ſparſis Sophiæ inclyta
Circum tempora ſymbolis
Auratis radiat comis
Pulchrâ vultus in iride.
O lux æmula ſiderum,
Virtutis rutilum iubar
Blandis conſpicuum genis!
Quæ ſic turbida Caſtorum
Mulcent æquora lampades?
Aut quaſſas Helice rates
Optatâ irradiat face,
Vt myſtes Sophiæ palàm
Vultu compoſito nitet
Pulchrâ lege decentiæ?
Namque illum Superûm parens
Pulsâ nube ſupercilî,
Submotâ inuidiæ face,
Et pallore voracium
Curarum, ac laceris comis,
Vultu conſpicuum altero,
Læto ſidere veſtiet.
Sic quondam Jſacidum Duci
Sinæ verticis hoſpiti
Inter prælia fulminum

Digna-

Dignato alloquiis Dei
Criſtatum radiis caput
Exarſit geminâ face.
Heu! quòd praua tuentibus
Ignotum Sophiæ iubar
(Vt quondam Iſacidum gregi)
Velo lumina faſcinat!

PROSA EXEGESIS.

O VERE deploranda hominum cæcitas in ipsâ luce meridianâ cãligantium! quibus incomperta eſt virtutis ac ſapientiæ maieſtas ac dignitas, quæ, vt ait Cicero, lucet in tenebris, ſplendetque per ſe ſemper, nec alienis vmquam ſordibus obſoleſcit. Sed nimirum cùm hic ſplendor in animo deliteſcens, ſub eorum non cadat adſpectum, qui externâ ſpecie ac mendaci fuco cuncta metiuntur; nihil ſit in terris virtute deſpicabilius, niſi Deus aliquem ſubinde lucis illius internæ radium in vultu atque oculis emicare permittat. In quo diuina bonitas inprimis elucet: quæ vt rem nobis non tantùm fructuoſam, ſed etiam honorificam commendet, infirmitati noſtræ ſeſe attemperans, non animum tantùm veritatis luce conuincit, ſed etiam corporis oculos externo ſplendore præſtringit. Sic olim vt Æneam Didoni amabilem Venus mater efficeret, diuinum quiddam eius vultui adieciſſe perhibetur.

Cicero pro Sextio.

Deus virtutis ſplendorem nonnumquam exterius oſtendit.

Reſtitit Æneas, claraque in luce refulſit,
Os humeroſque Deo ſimilis: namque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, lumenque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Virgil. li. 1. Aeneid.

O ſi nobis animum viri boni liceret inſpicere! (inquit Seneca, cuius hîc verba latiùs viſum eſt attexere) ô

Seneca Epiſt. 115.

Virtutis imago.

quàm pulchram faciem, quàm ſanctam, quàm ex magnifico placidoque fulgentem videremus! Hinc iuſtitiâ, illinc fortitudine, hinc temperantiâ prudentiaque lucentibus, tum prouidentia, tum elegantia, & ex iſtis magnanimitas eminentiſſima, quantum, Dij boni, decoris illi, quantum ponderis grauitatiſque adderent? Nemo illum amabilem, qui non ſimul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc ſapientiæ facem, altiorem fulgentioremque quàm cerni inter humana conſueuit, oculis miti quidem, ſed viuido igne flagrantibus; nónne velut Numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, vocemque hanc Virgilij verens & attonitus emittat:

Virgil. lib. 1. Aeneid.

O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis; nec vox hominem ſonat.——
Sis felix, noſtrumque leues quæcumque laborem.

Aderit, leuabitque, ſi colere eam voluerimus. Colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque ſuſpenſo, ſed piâ rectâque voluntate. Hanc ſi nobis videre contingeret, mirabiles in animis noſtris amoris ſui flammas excitaret.

Virtus ſæpè etiam exteriùs ſplendet.

Quamuis autem multa ſint, quæ liberum huius adſpectum prohibeant, ſi quis tamen aciem mentis intenderit, poterit perſpicere virtutem etiam obrutam corpore, etiam nube paupertatis interpoſitâ, etiam humilitate atque infamiâ obiacentibus. Voluit nimirum Deus, ne iuſta ab hominibus eius ignoratio poſſit obtendi, nonnumquam illuſtres quoſdam virtutis ac ſanctitatis radios in vultu piorum iuſtorumque eluceſcere. Nónne S. Ignatium Parentem noſtrum legimus, cùm aliàs ſæpè, tum Barcinone in ipsâ concionis frequentiâ, vultu ad ſtuporem ſplendido fuiſſe conſpicuum? Nónne D. Franciſcus cum cælitibus colloquia miſcere deprehenſus eſt

Maffæus lib. 3. Vitæ, c. 14.

cæle-

cælesti luce circumfusus? Nónne idem ille de rebus diuinis in triclinio verba faciens, tanto ardoris incendio triclinium illustrauit, vt ad restinguendam flammam, concursu facto, in domum irruerint Assisiates? Quid B. Ægidium commemorem, magno Magistro non indignum discipulum? qui cùm nocte quadam Perusij de rebus cælestibus verba faceret, tantum radiorum eiaculatus est, vt Luna, quæ tum fortè plena erat, tanto splendore inferior esse videretur. Prorsus vt in hoc paupere ac sapiente, qui diuinitus potiùs hauserat sapientiam, quàm humano studio acquisierat, vaticinium illud Danielis impletum videretur: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Sed parum dixisti, Propheta: hæc enim astra quæ commemoras, mundi huius perituri censentur decora, & ipsa vel peritura, vel certè maioris alicuius splendoris metamorphosi reformanda. Nobilior est iustorum splendor: quidquid mortale est, aspernatur, cum solâ indigetum maiestate in contentionem venire desiderat. Itaq; magis arridet elogium illud, quo beatissimum Stephanum exornat D. Lucas: *Intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tamquam faciem Angeli.* Quâ similitudine quid aliud nobis significat, quàm augustam quamdam planeq; cælestem in vultu maiestatem, qualis nimirum cælestis hierarchię principes decere posset? Deus bone! vnde tãtus hic splendor in corpore, nisi ab eximiis animi dotibus? Nam, vt rectè notauit Hilarius Arelatensis, abundantia cordis transierat in decus corporis, & in faciei pulchritudinem candor splendorq; animi redundabat, ac abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiabãt; atq; cùm haberet in se Spiritũ sanctũ, os præ se gestabat angelicũ.

Bosius de Signis Eccles. lib. 15. cap. 5.

Idem ibid.

Iusti instar astrorum splendent.

Dan. 12, 3.

Act. 6, 13. *Iusti cælestē quiddam in vultu spirant.*

Hilar. Homil. de sancto Steph.

Hæc cùm tanta tamque magnifica de Stephano iam cæleſtis triumphi gloriæque candidato deprædicentur, nihil iam miror, quod de beatiſſimâ Virgine Deiparâ, ſanctitatis omnis ac iuſtitiæ factario, commemorat Areopagita, tantam vultus eius maieſtatem ſibi viſam fuiſſe, vt niſi Catholicâ fide edoctus eſſet vnicum rerum omnium moderatorem Deum agnoſcere, hanc veram Deam fuerit pronuntiaturus.

Vide Petr. Halloix in Vitâ Areopag. c. 6.

Quod autem veræ ſapientiæ, id eſt, virtuti ac ſanctitati vniuerſim adſcribit Eccleſiaſtes, id certis nonnumquam virtutibus communicatum accepimus. Sic enim B. Zoſimus Mariam Ægyptiacam propter eximiam vitæ præteritæ pœnitudinem in aëre ſublimem vidit tamquam Angelum (vt ipſe ait) in corpore, cui totus comparari indignus erat mundus. Sic Agnes, candidiſſimum illud caſtitatis lilium, ne à Præfecti filio, libidinum facibus incenſo, defloraretur, caſtitatis ſuæ radiis procum impudiciſſimum primò perculit, ac vim deinde ſtuprumque meditantem exanimauit. Quin & operibus miſericordiæ, iam olim apud Prophetam non abſimilis à Deo ſplendoris prærogatiua promittitur. *Frange*, inquit, *eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & ſanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.*

Zoſimus in Vitâ Mariæ Aegypt. *Pœnitentiæ ſplendor.*

Ambroſius lib. 1. de Virginib. *Caſtitatis maieſtas.*

Miſericordiæ gloria.

Iſa. 58, 7.

Sed quæret aliquis: Vnde hæc virtutis veræque ſapientiæ candidatis maieſtas? vnde tam illuſtris metamorphoſis? vnde, obſecro, niſi à perenni fonte luminis? quod his verbis innuit Eccleſiaſtes: *Et potentiſſimus faciem eius commutabit.* Nam quò propiùs quis ad æternum illum ſapientiæ iuſtitiæque Solem familiari con-

Virtutis ſplendor à Deo eiusq; imitatione procedit.

consuetudine aut imitatione virtutum accesserit, eò semper diuinæ luci deprehendetur similior, & ab humanæ fæcis contagione remotior. Suspexit hoc olim in Duce suo populus Israëliticus: qui cùm balbus antè ac blæsus vix auctoritatem suam apud populum illum recalcitrantem sustentaret, postquam in monte Oreb Dei consortio familiariter vsus est, tam illustrem vultu maiestatem induit, & tam inusitatos lucis radios euibrauit, vt deinceps tamquam hominem cælestem, aut mortalem aliquem in terris Deum reueriti sint. Nec id mirum sanè cuiquam videri debet. Si enim Luna, quò propiùs Solem adspicit, eò maiores & acriores ab eo lucis suæ flammas mutuatur; omnino rationi consentaneum est, vt quò propiùs quis ad illud æternæ sapientiæ iubar accesserit, eò propensiorem in se Deum experiatur, vt paulatim magis ac magis possit in diuinæ claritatis transire consortium. Quæ cùm ita sint, quid magis in votis esse potest mortali, quàm quod in minori ætate se vouisse scribit Ecclesiastes. *Optaui*, inquit, Sap. 7, 7. *& datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius: nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius.* Hæc illi (vtinam & nobis!) summa votorum fuit. quam vt faciliùs consequeretur, subiunxit.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

[a] *Caietanus interpretatur* homagium.

VERS. 2. Ego os Regis obseruo, & [a] præcepta iuramenti Dei.

3. Ne festines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit, faciet:

4. & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?

5. Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali.

METRICA PARAPHRASIS.

VOs æterni ignes, radiataque mœnia mundi,
Vos nigricantis Tænari horrentes specus,
Vos sola terrarum porrecta sub ætheris axe,
Dignum verendo Numini obsequium date.
Auctori natura iubet submittere colla,
Samiumque plastæ non reluctari lutum.
Hoc mihi fixum animo, nutum obseruare Tonantis,
Sanctoque ab ore pendulos vultus gero.
Ac velut vndanti pelago deprensa carina,
Cùm dubia venti bella discordes mouent,
Radit iter liquidum facili moderamine puppis,
Dubioque cursus arbitro clauo secat;
Aut plaustrum Arctoum vestigans, lumine signat
Quos tollit ignes maior & minor Fera;

Sic

Sic Helice & Cynosura mihi sacrosancta voluntas
Numinis, & isto vita se clauo regit.
Sic ratio, sic dia Themis, sic iura reposcunt,
Et quod reuinxit nos sacramentum Deo,
Ponere vel vitam, tepidoque litare cruore,
Vri, secari, fortia facere, & pati.
Hic si fors sceleri infensus consurgat in iras,
Ne fore saluti crede præsidium fugæ.
Nam quacumque viam cursu ingenióve pararis,
Præsens tibi restabis, & præsens Deo.
Languida nocte quies veluti cùm lumina pressit,
Auidos videmur tendere in cursum pedes:
Sed neque prouehimur spatio, gressusque labascunt;
Sic te Tonanti nulla subducet fuga. Ps. 138,8.
Remigio alarum caput inter sidera conde;
Aderit rotator siderum vindex Deus.
Abdere telluris gremio, stygiisque cauernis,
Telluris implet numine vmbrosos sinus.
Præpetibus volita pennis ad littora Thules,
Illic trementem vindici prendet manu.
Fortè caput noctis cupies inuoluere peplo,
Nox atra nullas Numini tenebras dabit.
Quare age pone modum sceleri, vitamque retexens,
Ratione fræna mentis indomitæ impetum.
Innocuas cohibere manus, laus prima; nocentum
Pudor est secundus, nosse peccati modum.
Pone modum sceleri, ne tela Diespiter iræ
Trisulca vibret ab axe stellantis poli.
Hic, vbi collibitum est, nutu percellit Olympum:
Nec magè Tonanti facere, quàm velle, arduum est.
Hic vbi voce tonat, mox vocem fata sequuntur,
Simul vt capeßant iussa cælicolæ aduolant:

Nec quemquam tam ſtulta ſubit fiducia, facti
Vt à ſupremo Rege rationem exigat.
Dextram igitur quicumque cupis vitare Tonantis,
Vitæque curſum ducere exſortem mali;
Auctoris vitæ, licet ardua, iuſſa capeſſe,
Et ad obſequendum colla ſubmittas iugo.
Sic Pater Iſacidum ſobolis ſpem deſtinat aris,
Medio è ſopore coniugis linquens latus.
Dura quidem, diuina tamen nil territus hauſit
Imperia, natum victimam ſecum trahens.
At nulla obſequij ſenſit diſpendia natus,
Conſors paternæ laudis, & patris decus:
Cui melior nata eſt in mortis limine vita,
Sobolisque fœnus victimæ pretium fuit.

PROSA EXEGESIS.

DVO potiſſimùm hîc exemplo ſuo nobis inſinuat Eccleſiaſtes, quibus diuinæ Maieſtatis veneratio, totiusque vniuerſi gubernatio continetur, benè ſcilicet beateque cum illis agi, qui ſummum illud Numen aſſiduè reſpiciunt ac ſuſpiciunt, eiusque non tantùm mandatis, ſed etiam nutibus obſequuntur: contrà verò infelices eſſe eos, adeoque ſeueram vindicis Dei manum experiri, qui à Dei conſpectu eiusque mandatis auerſi, abeunt vagi in viam cordis ſui.

Dei nutus obſeruandi.

Ego, inquit, *os Regis obſeruo, & præcepta iuramenti Dei.* nec potuit meliùs, quod in Religione Deo debitum eſt, cultum videlicet latriæ, nobis adumbrare. Notum eſt enim, Theologos λατρείαν à particulâ λα & verbo τηρέω, quod eſt *obſeruo*, deriuare. Hoc autem frugi ſeruum decet, vt nutus omnes heriles obſeruet, adeoque vultum ſuum ex heri vultu componat, atque ita imperium herile

rile perdiſcat, vt quid frons velit, oculi ſolerter annotent. Rectè hoc expreſſit Comicus, dum ait:

Plaut Aulular.

Edico tibi,
Vt huius oculos in oculis habeas tuis.
Quoquo hic ſpectabit, & tu ſpectato ſimul.

Et alius etiam imperioſiùs:

Caue nunc iam oculos à meis oculis quoquam dimoueas tuos.
Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus continuò in malâ inhæreat.

Quod quamuis inter homines ſat pro imperio, nimiſque faſtuosè dicitur; tamen inter Deum & hominem planè ex decoro ſummoque iure exigitur; & vltrò detulit Propheta Regius, dum ait: *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ; ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Pſ. 122, 2.

Præſentia Dei conſiderata obedientiam conciliat.

Et ſanè nihil ad vitam ex præſcripto diuinorum mandatorum ducendam, Deique voluntati conformandam efficacius, quàm in Dei vultum tamquam intimè nobis vbique præſentiſſimi, mentis oculos habere defixos. Vidit hoc olim inter Philoſophos Epicurus, cuius hæc verba citantur à Senecâ: Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, vt ſic tamquam illo ſpectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus. Ac deinde ſubiungit: Habeat aliquem animus quem vereatur, cuius auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non actus tantùm, ſed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, vt ad memoriam quoque eius ſe componat atque ordinet! Qui ſic aliquem vereri poteſt, citò erit ipſe verendus. Elige igitur

Seneca Epiſt. 11.

Et mores componit.

aliquem, cuius tibi placuit & vita, & oratio, & ipsius animo ante te ferens vultus, illum tibi semper ostende vel custodem vel exemplum.

Huiuscemodi pædagogum se Deus olim exhibuit, Gen. 17, 1. cùm dixit Abrahamo: *Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.* Sed quia populus ille corporeis rebus affixus, nullam sibi diuinitatis speciem formare, minusque assiduè repræsentare poterat; vicarium sibi Deut. 6, 3. symbolum mandata sua substituit. *Audi*, inquit, *Israel, & obserua vt facias quæ præcepit tibi Dominus, vt benè sit* vers. 6. *tibi.* Et post pauca: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & meditaberis in eis sedens in domo tuâ, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tuâ, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ.*

En quot modis diuina Maiestas legem suam, atque adeò seipsum Israëlitarum oculis obuersari voluit, vt hoc præsentiæ suæ modo eos à peccando deterreret. Magna enim pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Et quis testis magis oculatus, quàm qui intimos non solùm corporum, sed etiam animorum recessus penetrat? Nónne Deus quidquid hoc vniuerso continetur, ita in se complectitur, vt vitream sphæram Solis radij omni ex parte penetrant, in immensum præterea circumquaque diffusi? aut velut paruam spongiam vastissimus oceanus omni ex parte humectat, circumquaque immensâ suâ vastitate circumfusus?

Deus intimè præsens rebus omnibus.

Aug. lib. 7. Confession. c. 5.

Si nulla huius vniuersi particula diuinæ Maiestatis præsentia non imbuitur; si nulla huius sphæræ portio eius infinito splendore non collustratur; quò miser peccator fugiet, dum, vt ait Ecclesiastes, à facie Dei recede-

Nulla fuga est à facie Domini.

re

re festinat, seu viam mandatorum eius deserens, siue vltricem eius manum declinans ? Quocumque se fugâ subduxerit, semper Deo præsens consistet : neque aliud compendij faciet, quàm vt quò longiùs à sinu benignissimi Parentis recesserit, eò propiùs absit à manu iudicis vindicantis.

Magna est peccatoris impudentia coram Deo peccare. Ambros. de Apolog. Dauid, cap. 10.

Si hæc ita se habent, & in oculis supremi Iudicis assiduè versamur, quomodo non pudet in eius oculis assiduè peccare? Hominis testimonium declinamus, ait D. Ambrosius, & in conspectu Dei, quæ sunt indigna, committimus ? iniuria est homini, spectare flagitia ; Deum arbitrum omnium esse scimus, & eo teste peccamus ? Si quid pudoris, si quid rationis in nobis est residuum, certè hoc fræno cohiberi à scelere debemus. Magna vobis est, inquit Boëtius, si dissimulare non vultis, indicta necessitas probitatis, cùm ante oculos agitis Iudicis cuncta cernentis, & bonis præmia, malis supplicia dispensantis. Quis fur, latro, sicarius tam prostitutæ impudentiæ, tamque proiectæ audaciæ reperitur, qui præsente iudice, Brutiis lictoribusque vallatus, adstante carnifice cum cruciatuum instrumentis, aut ferro in obuium quemque grassetur, aut aliena per vim diripiat ? Non est credibilis tantus in vllo stupor. Et est quisquam tam demens, qui præsente & inspectante Deo iudice, vndiq; cinctus beatis Mentibus diuinæ iustitiæ administris, imminente in exitium eius carnifice cacodæmone, ea perpetret, quibus æternos mereri se cruciatus non ignoret ? Hæc olim consideratio sollicitum habuit innocentissimum Prophetam Iob, ne quid à ratione aut æquitate perpetraret alienum. *Si leuaui*, inquit, *super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in portâ superiorem?* id est, non feci, non despexi, non oppressi potentiâ.

Boëtius lib. 5. de Consolat. Prosyl.

Iob 31, 21

vers.23. Quid ita? *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Quare *verebar*
Iob 9, 28. *omnia opera mea, sciens quia non parceret delinquenti.* Et nonnulla enumerans innocentiæ suæ argumenta,
Iob 31, 1. *Pepigi fœdus*, inquit, *cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo*
vers.5. *pes meus. Si declinauit gressus meus de viâ, & si secutum*
vers.7. *est oculos meos cor meum, & si manibus meis adhæsit macula.*
vers.9. *Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici*
vers.13. *mei insidiatus sum. Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancillâ meâ, cùm disceptarent aduersum me.* id est, non feci, non contempsi, non deliqui. Quâ potissimùm
vers.14. ratione motus, *Quid enim faciam*, inquit, *cùm surrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi?*

Timor Dei coërcet à peccatis.

Si vir tantus hæsitans ac trepidans suspectas habebat omnes vitæ suæ rationes, ille iustus & innocens, ille diuino testimonio simplex & rectus, qui candidè profitebatur, *non reprehendit me cor meum in omni vitâ meâ*;
Iob 27,6. si perplexus & hæsitans dicebat, *Quid faciam cùm surrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* quid tandem respondebunt improbi, cùm,
Matth. 25, 41. non dico interrogabit, sed horrendum illud fulmen abdicationis intorquebit, *Discedite à me maledicti in ignem æternum?* Quare dum tempus est, rebus suis consulant, neque irati iudicis manum vllo Marte aut arte declinare se posse existiment: *quia*, vt ait Ecclesiastes, *omne quod*

Obedientia securitatem præstat.

voluerit faciet, & sermo eius potestate plenus est.

Nihil igitur tutius, quàm quod idem suggerit: *Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali.* non tantùm, quia numquam illi fraudi futurum est, diuinis nutibus obsecutum fuisse (nimis enim iniquum est, inquit

Cassio-

Cassiodorus, vt ille patiatur dispendium, qui imperium fecit alienum) sed etiam, quòd postquam Deum sibi inculpatæ vitæ merito, promptaque obedientiâ conciliauerit, hæc ipsa Dei potentia, quæ ceteris terrorem incutiet, certissimum illi datura est contra quælibet aduersa præsidium. Itaque soluto animo ac libero cum Regio Vate cantabit: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, &c. à verbo aspero.* Sed quæ potissimùm tempora, quæ rerum gerendarum opportunitas, qui nutus, quæ imperia in hac obedientiæ virtute obseruanda sunt? Cassiodorus lib. 2. Epist. 26. Psal. 90, 1.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 5. Tempus & responsionem cor sapientis intelligit.

6. Omni negotio tempus est, & opportunitas, & multa hominis afflictio:

7. quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.

METRICA PARAPHRASIS.

FELIX *qui subijt iugum*
Diuinis satagens nutibus obsequi:
Atque vt prouidus institor
Obseruans oculis astra sequacibus,

Cursus

Cursus fluctiuagos regit;
Maiestatem oculi sic oculo notat,
Vultusque imperium Dei.
Hos nutus sapiens, congruaque obsequi
Seruat tempora Numini,
Actutùm imperiis vt referat Dei
Promptas obsequij vices.
Decernens etenim tempora singulis
Opportuna Diespiter,
Peruerti seriem dispositam vetat:
At mens terrigenûm interim
Curarum ambiguis fluctibus æstuat:
Vt cùm, lampade siderum
Extinctâ, tenebras nubila duplicant,
Deprensæ pelago rates
Vndis ludibrium, & ludibrium Notis,
Nunc fluctu decimo latent,
Nunc vulsis tabulis Nerea combibunt,
Nunc cæcis pereunt vadis;
Ars cedit furiis, & ratio stupet:
Sic mens terrigenûm labat,
Ærumnasque graues pectore concipit,
Dum lapsos repetit dies
Caligans animus, nec recolit satis
Quo fructu ante oculos Dei
Vitæ præteritæ fluxerit orbita.
Nec cura hæc cruciat minùs,
Quòd nemo trepidis nuntiat entheo
Vates numine turgidus,
Quæ finis stadium, quæve nouissima
Claudat fata catastrophe.
Heu, quot corda hominum discruciant metus!

PROSA

PROSA EXEGESIS.

NON immeritò circa hæc temporum & occasionum momenta mens humana perturbatur, quando in obseruandis & exequendis diuinæ voluntatis nutibus, quos Deus non temerè prodigit, sed opportunis temporibus locisque declarat, æternæ salutis ac beatitatis nostræ cardo vertitur. Cùm enim nullum sit in orbe negotium, cui non præsideat rerum gerendarum mater Occasio; profectò non minus tribuendum est negotio omnium grauissimo & maximo, quod ex parte Dei in eo consistit, vt rata ac firma sint imperia; ex parte nostrâ verò, vt nobis salus nostra curæ sit & cordi, quæ ex eorumdem mandatorum solerti obseruatione, promptaque executione promanat. Et sanè, si naturam gratiæ præuenientis, vt vocant Theologi, penitiùs introspexerimus, videbimus eam plerumque idoneâ aliquâ occasione velut ex re natâ subministrari. Rursum si iustis præmia, improbis à supremo Iudice decreta supplicia, rationis lance pensitauerimus, quid aliud inueniemus, quàm occasionis arreptæ neglectæque præmia? *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me*, ceteraque generis eiusdem. Vos verò miseri & immiserabiles è conspectu meo facesslite ad æterna supplicia, quia toties oblatæ vobis occasioni defuistis. Rursum, quis neget insignem nobis æternæ salutis occasionem suppeditari, quando hausti aquæ frigidæ tantâ merces proposita significatur?

Salutis nostræ negotiũ in captandâ occasione à Deo datâ vertitur.

Matth. 25, 34.

Matth. 10.

Et eadem vis est occasionis in rebus humanis. Acci-

Iosephus lib. 18. Antiqq. Iud. *Occasionis momentum in rebus humanis.*

pite magni Iudæorum Regis Agrippæ exemplum: qui cùm iussu Tiberij ad arborem alligatus siti æstuaret, prætereuntem fortè Thaumastum Caij seruum rogauit, vt è vase aquæ prægelidæ, quod ferebat, hausto sitim pellere liceret. Concessit hoc Thaumastus haud grauatè. Et Agrippa hausto frigidæ recreatus, promisit se tanti beneficij non immemorem futurum. quod etiam cumulatiùs præstitit, cùm non ita multò pòst, Caio ad Imperium euecto, rogauit eum, vt Thaumastum libertate donaret, quem ipse deinde Regni sui procuratorem constituit, & moriens vxori liberisque commendauit. En quàm leuis occasio quantæ dignitatis momentum attulerit. Ita frequenter se res habet in vitâ mortalium. Quis ignorat, in arte Medicâ rem vilissimam plus sæpè ad sanitatem conferre, quàm exquisitissima aromata ab Indis vsque & Arabibus petita? Quis ignorat, in præliis sæpè vnius vocis aut spectri excitamento magnas extitisse acierum inclinationes? Et vniuersim rerum humanarum momenta in occasionis perceptione consistunt. Nam si per ignauiam quis occasionem, quæ præ manibus est, neglexerit, si suâ culpâ ab eâ deseratur, non illam, sed seipsum accuset. Quidquid, elapsâ de manibus occasione, conatus aut studij ad rei summam attulerit, id omne vanum, inane atque importunum censebitur.

Procopius l. 2. de Bello V Vandal.

Sapientis est occasionem captare in rebus humanis.

Hæc igitur sapientis non infima laus est, tempori rerumque agendarum opportunitati seruire, vt quoties illi non deest occasio, ne ipse quidē desit occasioni. Hæc sapientia in rebus humanis industriā, hęc in diuinis promptam parit obedientiam. Hac industriâ apud Virgilium vtebatur Dido, cùm sororē supplicē ad Æneam mitteret,

Virgil. li. 4. Aeneid.

Sola, inquit, *viri molles aditus & mollia fandi*
Tempora cognoras.——

Sic

Sic ij qui Vespasiani gratiam & fauorem aucupabantur, nouerant eum id temporis esse facillimum, ac indulgentissimum, cùm ad balneum tricliniumque pergeret. Consultò itaque monet Pittacus, iis qui apud Principes votis potiri desiderant, obseruanda esse ea tempora, quibus remissiores, hilariores ac indulgentiores esse consueuerunt: & hanc obseruationem maioris esse momenti ad optatos successus, quàm adipem leonis, quàm sanguinem basiliſci, quàm spondylon draconis, quàm anguium drynedarum ouum, ceteraque id genus promissa magicæ vanitatis. Sueton. in Vespas. Pittacus Mytilenæus.

Eamdem in rebus diuinis occasionis rationem habendam docet Propheta Regius, dum ait: *Hodie si vocem* Domini *audieritis, nolite obdurare corda vestra.* quasi dicat, non semper eam auribus nostris insonare, ac proinde dulces eius susurros quàm auidissimè captandos. Præstitit hoc promptè ac sedulò felicis memoriæ Claudius Aquauiua Generalis Societatis nostræ Præpositus, cui cùm melioris vitæ consilia parturienti cælestis illa vox animum pulsasset, *Oues meæ vocem meam audiunt,* ingenuo quodam pudore suffusus, & salutari timore compunctus, veritus ne, si cælesti monito non obtemperaret, non esset ex ouibus Christi, è vestigio ad Societatis nostræ domicilium se contulit, Deoque se totum consecrauit. *Etiam in rebus diuinis.* Psal. 94. Hieron. Platus de Statu Relig. lib. 3. c. 38. Ioan. 10, 16.

Nec minoris fuit energiæ vox illa Reginaldi Conionatoris Bononiensis, cuius meminerunt Annales sancti Dominici: qui cùm illa D. Stephani verba exponeret, *Ecce video cælos apertos,* nunc quidem ita cæli portas patere ad beatitudinem confirmauit, vt cuiuis liber daretur introitus, sed iis, qui nunc aures & cor Deo claderent, cæli aditum in morte obserandum. Adfuit, im- Platus ibid. Act. 7.

portunitate sodalium victus, Monetus quidam, doctrinæ famâ celebris, qui hac inopinatâ occasione salutem inuenit, nouæque vitæ propositum ipso pænè momento voti Religione confirmauit. Viderat enim sagaci vir ingenio, frustrà fortassis aliquando se aditum ad beatam æternitatem quæsiturum, si portis iam patentibus tam opportunè inuitatus, ipse aures animumque in propriam perniciem obfirmasset. Meminisse enim poterat numquam satis deplorandæ Israëlitarum pertinaciæ ac rebellionis, quibus cùm Deo duce in regiones amœnissimas iam olim sub Abrahamo nepotibus promissas aditus pateret, illi per summam ingratitudinem Dei be-
Num.14,3 nificium respuentes clamauerunt: *Vtinam mortui essemus in Ægypto, & in hac vastâ solitudine vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam.* Quis fuit nefariæ huius rebellionis, neglectæque tam præclaræ occasionis fructus? Mox dementiam suam execrati, cùm irato Deo, iamque non suo, aditum in terram promissam tentarent, magnâ clade repulsi sunt; neque è sexcentis illis
Num.1,46 millibus, qui annum vigesimum superabant, in deserto Sinæ numeratis, quisquam eius possessionem adiit, præter Iosue & Caleb, ceteris per annos quadraginta longis itineribus circumductis, & in deserto vario mortis genere consumptis. Sed hæc nimis antiqua sunt: illud potiùs eius oculis poterat obuersari, quod Christus vrbis Ierosolymitanæ pulchritudinem contemplatus, futurum eius excidium piis lacrymis erat prosecutus, ad-
Luc.19,42. dens: *Quia si cognouisses, & tu; & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi.* nunc autem omnes in te calamitatum fluctus redundabunt, *eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.*

Hæc qui seriò secum perpenderit, nónne meritò præteriti

teriti temporis memoriâ diſcruciabitur, ignarus ſcilicet, quoties diuinis mandatis & inſpirationibus, quoties ſalutis, aut ſaltem maioris perfectionis occaſioni defuerit, quod frequenter deplorare ſolebat S. Ignatius, aſſerens, nullius mentem aut cogitationem capere poſſe, quantum obſtaculi plerique mortalium obiicere ſoleant diuinæ gratiæ, quæ nos ad altiſſimum perfectionis culmen perduceret, ſi quantum ipſi miſericordiæ eſt ad inuitandum, tantum nobis alacritatis eſſet ac promptitudinis ad obtemperandum.

Sapiens torquetur, tum propter neglectum temporis præteriti, Maffæus in Vitâ Ignat.

Nec minùs futuri quàm præteriti temporis torquet ignorantia. Quis enim nouit, an toties deſpecta ſalutis occaſio in extremâ vitæ periodo homini ſit occurſura? Nónne verendum eſt potiùs, deſpectâ toties Dei miſericordiâ, eiuſque voluntate conculcatâ, ne tandem aliquando iuſto furore excandeſcat, eaſque intentet minas, quas habemus in Prouerbiorum libro. *Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Quæ tametſi per ſe terribilia ſunt, multò tamen horribiliora facit ineuitabilis mortis neceſſitas (quam ſubiicit Eccleſiaſtes) dum hæc inter ſe connexa vehementiùs animum feriunt, Certa mors, & incerta ſalus.

tum propter ignorationem temporis futuri.

Prou. 1, 24.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 8. Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, [a] nec habet poteſtatem in die mor-

[a] *Alia editiones habent:* Non eſt potentia, Non eſt potens, Non eſt habens poteſtatem.

mortis, nec ſinitur quieſcere ingruente bello, neque ſaluabit impietas impium.

METRICA PARAPHRASIS.

QVAMVIS *latentem carceris noſtri ſpecu*
Lex frænet arcta ſpiritum,
Carnisque denſas corpus obiiciat fores,
Ætasque firmet peſſulo, &
Robur ſatelles ſtipet excubiis latus,
Neruoque multiplici liget;
Si fors ſupremum nuntians vitæ diem
Fatalis inſonuit tuba;
Nulla emicantis compede abrupta impetum
Sufflaminare vis poteſt.
Sic fata poſcunt lege fixa adamantinâ,
Auctorque fatorum Deus.
Simul vrna motum Iudicis nomen citat,
Proferre non patitur diem.
Seu fæce ab imâ inglorium trahat genus,
Deſpectus, & capitis minor;
Ceras parentum ſiue fumoſas crepet,
Situque nigra ſtemmata.
Ne mihi tiaras, ſceptra, regales toros,
Dominoſque faſces ingeras.
Mors ſurda titulos calcat, & ceruicibus
Stringit ſecures Principum:
Nec triſte ſceptri pondus, aut ſupercilI,
Fert cymba Tartarei ſenis:
Nec qui impotenti cuncta dominatu premunt,
Jus ferreæ dicunt neci.
Vbi nunc ſuperbi Belus imperij caput?
Ninusque ſceptro proximus?

Vbi turba Danai regio imminens toro,
Deuota Diti victima?
Vbi tot fauillis Pergami clari Duces,
Quondam Gradiui fulmina?
Humiles vagantur inter vmbrarum greges,
Nec dissidet cineri cinis.
Simul ac sarissam mors auernalem vibrat,
Bellumque nuntiat tuba;
Nec in recessu concaui mersum specus
Amica tutatur quies:
Nec si quadrigas scanderis cursu Iouis,
Trabale telum fugeris.
Fræna dracones Colchidis, cælum pete,
Metire cursus Icari;
Emetientem nubium tractus vagos
Mors sæua præcipitem dabit:
Pennisque vulsis merget inferno lacu,
Prædamque figet æthere.
Si forsan animos impio impietas facit,
Ridetque fatorum minas,
Fas omne suetus ruere petulanti pede,
Legumque casses rumpere,
Vt fila arachnes armiger solet Iouis
Teretesque Marsus aper plagas;
Frustrà proteruus iura conculcat poli,
Seseque palpat improbus.
Nec vis reuellit ferreæ casses necis,
Nec alipes vitat fuga.

PROSA

PROSA EXEGESIS.

Non longa vita optanda, sed mors beata.

SI tam ineuitabilis est fatorum necessitas, & eâ lege nati sumus, vt vltimum naturæ tributum aliquando pendamus; illa nos inprimis cura sollicitos habere debet, vt, quod reliquum est vitæ, ex præscripto diuinæ voluntatis virtutisque concludamus. Neque tam cordi nobis esse debet, vt in longam desidemque senectutem vitæ fabulam protrahamus, quàm vt lætam huius fabulæ nanciscamur beatamque catastrophen.

Vitæ cupiditas plerisque nimia est.

At plerisque hominum nihil æquè in votis est, quàm vt in hoc tumultuoso vitæ oceano quàm diutissimè iactentur, & prout fortuna gubernaculum flexerit, modò aspero, modò tranquillo cursu ferantur: qui vt longissimus sit, semper spe illis minor est, dum & cupidè votis extenditur, & ferè sine ratione consumitur. Hinc illa quorumdam tam ignaua tamque effeminata vitæ cupiditas memoriæ prodita est, vt eam quauis etiam infamiâ & calamitate redemptam voluerint. Inter quos Cn. Carbo magnæ verecundiæ est Latinis Annalibus: qui tertio Consulatu suo, iussu Pompeij in Siciliâ ad supplicium ductus, petiit à militibus demissè & flebiliter, vt sibi aluum leuare, priusquam exspiraret, liceret, quò miserrimæ lucis vsu diutiùs frueretur: eoque moram traxit, donec caput eius sordido in loco sedentis abscinderetur. Quid Brutus, qui fortitudinis famam aucupatus antè fuerat? quanto dedecore exiguum & infelix vitæ momentum redemit? Nam à Furio, quem ad eum occidendum miserat Antonius, comprehensus, non solùm ceruicem gladio subtraxit, verùm etiam, constantiùs eam præbere admonitus, his ipsis verbis iurauit: Ita viuam, dabo. Pænè dixerat, Ita viuam, vel sub

Val. Max. lib. 9. c. 13.

Valer. ibid.

sub Antonio. O fati cunctationem ærumnosam! ô vanam stolidamque iurisiurandi fidem! Quid prodest illa tam ignominiosa cunctatio? Quid prodest homini supplicem fieri, vt securim tantisper suspendat, cùm mors ipsa libratam semper teneat securim, sub cuius ictu rei capitis omnes viuimus, naturæ debitum, omni exemptionis præcisâ spe, soluturi.

Omnibus moriendum.

Communis illa naturæ lex est, commune tributum officiumque mortalium. Hoc iter omnes ingredimur: huc series inuicta fatorum, & nullâ mutabilis ope, funebrem trahit pompam. Et est aliquis tam demens, qui se numquam eò peruenturum speret, quò semper tendit? Nullum sine exitu iter est, nullus sine occasu Solis ortus, nulla sine mortis interitu vita. Nec sola senectus ineuitabilem hanc trahit necessitatem, omnis illi ætas obnoxia est: non enim citamur è tabulis censualibus, quibus olim notata continebatur ætas vniuscuiusque. Talis olim citatio in militiâ delectuque copiarum obtinebat: at longè aliter mortis vrna vertitur. *Nulli iusso cessare licet; Nulli scriptum proferre diem.* Fastúsne ille sit, an nefastus, humana discernant tribunalia: mortis certè nihil interest.

Nullum aduersus mortem remedium.

Conuoca in consilium Machaonas omnes, conuoca Chirones, conuoca Æsculapios; nullam aduersus mortem inuenient panaceam. Excute bellorum armamentaria, nullam aduersus hanc violentiam inuenies panopliam: luctare, stringere, ringere, & instar serpentis in mille spiras conuoluere; fatalem hanc necessitatem numquam eluctaberis. Quinimò hoc tantùm omni conatu tuo proficies, vt grauiùs te affligat quod vitari non potest. Omnis enim indignatio in tormentum suum proficit, ait Seneca: nihilque tam exasperat ferorem

Mors grauior est inuitis.

Seneca l. 3. de Irâ, cap. 16.

Hegesippus l.11. uorem vulneris, ait Hegesippus, quàm ferendi impatientia. Sic laqueos fera dum iactat, adstringit: sic aues viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum est iugum, quod non minùs lædat ducentem, quàm repugnantem. Itaque nihil quidquam morti obluctando proficitur, nisi quòd illa, quæ hactenus corporibus tantùm minabatur, nunc etiam non vnum animo tormentum machinetur.

Mortis timor nimius. Val. Max. l.9.c.13. Quot existimamus in animo luctas, & quàm multiplicia tormenta sustinuisse Numidarum Regem Massinissam, qui tamen florens in paucis, liberisque, & Romanorum amicitiâ felix fuisse creditur. Hic parum fidei in charitate liberorum ciuiumque beneuolentiâ repositum esse existimans, salutem suam custodiâ canum vallauit. O miserum! Quò tam latè patens imperium? quò tantum liberorum numerum? quò denique tam arcta beneuolentia constrictam Romanorum amicitiam, si ad hæc tuenda nihil canino latratu securius, Idem ibid. nihil morsu valentius duxit? Dionysius verò Syracusanus quàm longa est huius tormenti fabula? qui non satis amicis fidens, eorum loco ferocissimarum gentium homines, quibus latera sua committeret, substituit: tonsorumque metu tondere filias docuit. Quarum, postquam adultæ ætati appropinquabant, manibus ferrum non ausus committere, instituit vt candentium iuglandium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent.

Omitto cetera, quæ tum ille, tum complures alij morti procul habendæ frustrà excogitarunt: cùm hæc *Mors mille viis nos inuadit.* mille viis nos inuadat, mille cuniculis subruat, mille machinis expugnet. Hic in medio voluptatum cursu sistitur:

sistitur: ille inter epulas opprimitur: alius somnum in æternam producit noctem: huius improbam spem & longa vota mors immatura frustratur. Ille ferro, veneno alius; hic lento catarrhi stillicidio, ille subitâ pestis contagione; hic fluctibus haustus, ille fulmine tactus occumbit. Hac lege viuit, quisquis hanc terram calcat: hæc summos imosque necessitas alligat.

Neque enim vt dispar est hominibus fortuna nascendi, ita dispar est mortalitatis conditio. Conditor ille iuris humani non natalibus nos, neque nominum claritate distinxit, nisi dum sumus: vbi verò ad finem mortalium ventum est, Discede, inquit, ambitio; omnium, quæ terram premunt, siremps lex esto. Nulla, inquit Ecclesiastes, in die mortis ratio dignitatis aut potestatis habetur. Curauerat Imperator Iustinianus stragulam sibi vestem contexi, in quâ Phrygio opere expressa cernebatur victarum vrbium, & barbarorum Regum, quos ipse suis auspiciis debellarat, effigies. Sed vestis illa tot victoriis nobilis, dum eiusdem cadauer texit, ad exornandam mortis pompam valuit, mortem ipsam ab eius corpore depellere non potuit.

Seneca Epist 91. *Par omnibus moriendi conditio.*

Baron. ad annum Iustiniani 39.

Despoticum hoc mortis in Principes ac Monarchas imperium cumulatiùs etiam & supra fidem exaggerarunt Poëtæ, apud quos frustrà aliquis diademata, sceptra, fasces aut secures obtendit,

Poëtæ etiã Deos mortí subiiciunt.

Numina cùm videat duris obnoxia fatis. Martial. l. 9

Sanè Isocrates complures deorum filios commemorat Troiani belli discriminibus impensos, Sarpedonem scilicet Iouis filium, Memnonem Auroræ, Cycnum Neptuni, Achillem Thetidis; quos omnes illius decennalis belli procella depressit. Quin etiam extra belli tempestatem Iupiter filios suos apud Ouidium, Æacum scilicet,

Isocrates ἐν Ἑλεν. ἐγκωμ.

Ouid. l. 7. Metam.

cet, Rhadamantum, Minoëm, inexorabili fatorum decreto interiisse deplorat.

Pruſtrà Regum faſtus & impietas morti oblu&tantur.

Vt non inusitata censeri debeant illa Principum Regumque lamenta, insuperabili mortis violentiâ è summo rerum humanarum culmine ruentium: è quorum numero vnicum audite Antiochum Epiphanem, qui, intellectâ suorum clade, mentis ægritudine ad extrema perductus, in has querelas erupit: *Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ sollicitudine: & dixi in corde meo: In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in quâ nunc sum: qui iucundus eram, & dilectus in potestate meâ. Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem ..... sine causâ. Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala ista, & ecce pereo in tristitiâ magnâ in terrâ alienâ.* Sic impius ille diuinarum humanarumque legum contemptor. quem idcircò libentiùs produxi in medio ætatis flore succisum, non tantùm quia personæ dignitas fastusque regius nihil quidquam momenti habuit aduersum mortis decreta; sed etiam, quia magno suo malo didicit, quod postremò subiungit Ecclesiastes: *Non saluabit impietas impium.* Neque enim si hactenus perfrictâ fronte & indomitâ ceruice diuinæ voluntatis iugum excussit, legumque nexus, tamquam aranearum telas, perrupit; inextricabiles etiam mortis nexus, & adamantinam fatorum necessitatem eluctabitur. Non semper dormit diuina Nemesis, nec longa cuiquam contingit in scelere felicitas. Quandoque seuerum experitur Deum vindicem, qui diu mansuetissimi parentis mandata contempsit.

1. Machab. 6, 10.

Igitur vt ad caput nostra tandem recurrat oratio, iisque prosperè cuncta cessura confirmemus, qui diuina præcepta custodierint, nec pœnam iis defore, qui recalcitrantes

citrantes eadem violauerint, vnicam hanc Regij Vatis Deo ad amussim obsecundantis sententiam subnecto: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos, ego autem sperabo in te Domine.* Ps. 54. 24.

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 9. Omnia hæc consideraui, & dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub Sole.
a Interdum dominatur homo homini in malum suum. a Forte melius, Interim dum.

10. Vidi impios sepultos: qui etiam cùm adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum. sed & hoc vanitas est.

11. Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.

12. Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.

METRICA PARAPHRASIS.

SIDEREI *Proceres, æternæ conscia lucis*
Pectora, quos adytis fas est haurire sacratis
Immortale iubar Phœbi, legesque polorum
Discere, queis nexus fatorum voluitur ordo:

Vos mihi diuinæ penetralia pandite mentis.
Cùm maria, ac terræ, radiataque mœnia mundi
Ponderibus librata ſuis, nutuque Tonantis
Pendula, tam certo conſtent moderamine, noctis
Alternas Phœbique vices cùm nulla moretur
Segnities, blandi nunc mulceat aura Fauoni
Germina, nunc ſoli Boreæ ſit copia cæli;
Cur hominum ſtirps ſola, operis non infima tanti
Portio, vix imâ curarum parte paternum
Numinis inſedit pectus? Cur dira triumphat
Impietas vulgi fremitu prouecta ſecundo,
Indulgensque ſibi, dum ſceptra ſuperba tyrannus
Vibrat in innocuos, trabeamque, heu! ſanguinis oſtro
Purpurat, & crebris laſciuit cædibus, hoſtis
Non minor ipſe ſibi? Vidi monimenta tyrannorum
Exuuiisque, comisque, & odori nube vaporis
Obſita, circum autem ſpirantia vultibus æra,
Pegmataque & ludos, & ſingultantia vota,
Ploratusque virûm cum femineo vlulatu.
Non aliter quàm ſi patriæ poſt fata parentis
Funus, & abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hians lacrymas lamentaque mœſta vocaret.
Quin etiam ſceleri dum obnoxia vita maneret,
Virtutum velut eximij faſtigia honoris
Sanctaque calcabant, celebresque per ora virorum
Ciuica complebant meritorum mœnia fama,
Æternâ ceu digna tubâ, Graioque cothurno
Geſſiſſent, patriæque alternatura dediſſent
Virtutum decora. O fruſtrà ſibi blanda fauore
Numinis, impietas! ô ſomnia vana nocentum!
Quàm damnoſa quies animo mala gaudia mentis!
Dum Patris æterni ſcelerum pia dextera differt

Supplicia,

Supplicia, effusæ sceleri laxantur habenæ.
Iamque licet quodcumque libet : procul exulat omnis
Corde pauor, læsique perit reuerentia cæli,
Securumque scelus plaususque impunè patrati
Flagitij fit causa noui. Sic turba putatur
Impia mendaci fuco palpoque beari.
Non ego sic : sed cùm geminata piacla nocentum
Conspicor, & lentas æterni vindicis iras,
Illimesque dies, nulloque palatia luctu
Saucia, non curis animos, non tabida morbis
Corpora, non tristes Libitinæ munera lessos:
Tum mihi mœroris discussâ nube stupentes
Lux oculos inopina ferit. Primordia cerno
Lætitiæ. Deus, ecce Deus penetralia cordis,
Augustasque ostentat opes, & amoris asylum,
Deliciasque poli, lemniscatasque coronas.
Huc gemitus, huc vela spei, huc luctantia vota
Iustorum pia turba regit, quos Numinis horror
Et sacro perfusa metu reuerentia pungit.
Hinc animi surgunt, hîc condimenta laborum
Dulcia miscentur, spes hîc blando vbere lactat.
Donec post vitæ luctamina tempora Daphnis
Cingat, & astricomâ radient diademata fronte.

PROSA EXEGESIS.

PROFECTO nisi, discussâ subinde mortalitatis huius nebulâ, postumæ beatitatis splendor nobis illuceseeret, diuinæq; fidei radius animis nostris illaberetur, quis non inoffensâ impiorum felicitate perculsus, in hac rerum humanarum confusione naufragium faceret, aut saltem ad hunc ataxiæ scopulum allideretur? Agnouit hîc Propheta Regius pænè se aliquid humani fuisse passum.

Impiorum felicitas magnus offensionis lapis.

Psal 72,1. passum. *Quàm bonus Israel Deus*, inquit, *his qui recto sunt corde! Mei autem pænè moti sunt pedes, pænè effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Quis enim ferat, eos qui non suo tantùm, sed publico malo, atque adeò in perniciem generis humani, dominatum in homines exercent, nusquam interpolatâ felicitate vitæ stadium decurrere, passimque ab omnibus publicâ gratulatione, panegyricis, columnis, statuis, trophæis, ipsâ denique consecratione, fanisque ac Sacerdotibus viuos mortuosque cohonestari? Quis bonorum non ingemuit, sub ipsa nascentis Ecclesiæ incunabula, cùm Diocletianus & Maximianus fæces, folles ac fomenta gehennæ omni diritatis genere Christianos vexarent, orbemque Christianum sanguine Martyrum funestarent, eosdem vsque adeò communi plausu celebrari, vt pluribus per Hispaniam magnificis columnis hæc eorum velut trophæa inscriberentur: *Genere Christianorum penitus extincto?*

Impiis habiti diuini honores.

Sed illud in Diocletiano potissimùm multos in stuporem vertit, quòd non tantùm perpetuæ felicitatis ac regni satur, ad priuatum otium se receperit, sed etiam quòd truculenta illa bellua, ebria Sanctorum sanguine, & in vitâ gemmatis calceis vestibusque induta, adorari se iusserit vt Deum, & post mortem solemni consecratione à Licinio inter Diuos fuerit relata. Quid Traianum atque Hadrianum Principes commemorem? quorum magnifica & ad posteritatis memoriam illustria monimenta etiamnum visuntur, columna scilicet Traiani, tum altitudine tum artificio nobilis, & moles Hadriani, quæ tumulum eius olim complexa, nunc munitissimum est Pontificiæ maiestatis propugnaculum. Et tamen quis ignorat, illos tot clientelis, vel potiùs

Euseb. in Chronico.

Eutropius lib. 9.

tiùs adulationibus circumseptos, illos tot ludis, acclamationibus, statuis ac triumphis condecoratos, illos toties patriæ parentes salutatos, acerrimos Christiani nominis, adeoque veræ virtutis ac religionis hostes exstitisse?

Infinita propemodum eius generis exempla proferre possem: sed cui tandem vsui seruirent, nisi exulcerando iustorum dolori, & subuertendis instabilium mentibus? Etenim, vt ait Ecclesiastes, *quia non profertur citò contra malos sententia, filij hominum absque timore perpetrant mala*. Quid enim? nónne magnis interdum viris hæc improborum felicitas, pœnæque scelerum dilatæ, recti iudicij clauum, ambiguaque ex alto pectore voces extorserunt? Catonem ipsum audite, qui videns in Pharsaliâ Pompeium cum exercitu non tam militum quàm Senatorum, Patritiorum, Equitum, Nobiliumque protritum, & lasciuientem tantisper in ciuili sanguine tyrannum, non satis sui compos exclamauit, in rebus diuinis multum esse caliginis.

Impiorum felicitate etiam viri magni perturbantur. Vide Lipsi. l. 2. de Constant. c. 15.

Multò autem impudentiùs apud Psalmistam impij *posuerunt in cælum os suum, & dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* Psal. 72, 9. vers. 11.

Sed religiosiùs in hac diuinorum iudiciorum caligine pronuntiauit Augustinus; Iudicia Dei multa occulta esse, nulla iniusta: & quamuis pænè omnia lateant sensus menteque mortalium, hac in re tamen illud piorum fidem non latere, iustum esse quod latet. Cui sententiæ viam complanauit id quod subiicit Ecclesiastes: *Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.* Primùm enim qui diuinæ prouidentiæ, sapientiæ, iustitiæque memores, suis

Augustinus lib. 20. de Ciuit. c. 2.

Deus in tempus opportunù differt malorum pœnas.

momentis rem expendunt, facilè animaduertunt, Deum, qui infinitè bonus est, in supplicio sumendo non tam pœnam spectare solere, quàm correctionem & exemplum. Itaque in tempus opportunum illud differre, cùm aut ad medicinam iis proderit qui deliquerunt, aut ad ceteros à flagitio deterrendos, aut ad maiestatem suam iustitiamque declarandam.

Deus non debet ad arbitrium nostrum punire.

Deinde cùm videant, in Regum Principumque tribunalibus, iustis de causis, aut alioquin Principum arbitrio, quædam supplicia differri, insignis impudentiæ fuerit, Deum humano & quidem priuato affectui, vel potiùs libidini satellitem & administrum, & in exigendis ad arbitrium suppliciis deposcere lictorem.

Lipſ. lib. 2. de Constant. c. 13.

Breuis est impiorum impunitas.

Dic mihi, si tragœdiam spectes, an indignere, si Atreus aliquis aut Thyestes in primo alteróve actu sublimes per scenam & elati paulisper incedant, regnent, minentur, imperent? Non arbitror sanè: breuem enim felicitatem illam esse scias, & expectes vt fœdè mox ruant in extremo. In mundi autem hac fabulâ cur iniquior in Deum quàm in Poëtam aliquem fueris? Ille impius fortunam sibi desponsasse videtur, ille tyrannus cædibus gaudet & sanguine. Certè: sed cogita, primum hunc actum esse, & iam antè animo præcipe gaudium istud manere lacrymas, & hanc scenam noxio mox sanguine cruentandam.

Deus in mundi perturbatione fastidiosis ingeniis consulit.

Quid si etiam in hac rerum perturbatione, differendisque impiorum suppliciis, & bonorum præmiis, diuina sapientia humano gustui sese accommodat? Nam si nihil vmquam durius, aut præter vniformem rerum tenorem cursumque interueniret, ipsa æquabilitas & suauitas diuinæ prouidentiæ fastidienti stomacho nauseam prouocaret. Fit enim nescio quo naturæ nostræ vitio,

vitio, vt quemadmodum in cibis, qui perpetuis deliciis assueuerunt, nisi subinde insulsis quibusdam, aut præter modum acidis aut amaris vescantur, ad exquisitissimas epulas nauseent, ac sapidissima quæque condimenta repudient; sic ea, quæ summâ Dei sapientiâ administrantur, constanti suâ pulchritudine nobis semper inconstantibus semperque variis displiceant.

Varietas rerum humanarum delectat.

Itaque Deo sese ingeniis nostris attemperante, gratâ viciſſitudine aduersa prosperis, prospera aduersis condiuntur; & serenitatem præuia tempestas, & æstatem hiemis commendat asperitas. Idemque in huius mundi harmoniâ, quod in musico concentu deprehendimus, vt non semper aures suaui modulorum combinatione demulceat, sed durior interdum sonus intercurrat; & cùm aliquantisper sextâ septimâque disproportione, aut istiusmodi sonis absonis aures raserit, animosque suspensos irritauerit; tandem pleno concentu in disdiapason perfectissimum musicæ systema delabatur; tantoque maiore voluptate in illâ vocum concordiâ aures animique conquiescant, quò minùs antè sonis illis absonis acquieuerant: sic in huius mundi pulcherrimo concentu non omnia vno tono ac tenore auribus animisque nostris influunt; sed est quædam concordia discors. Sunt nonnulla, quæ aures vulnerant, & animos irritant: boni mœrent, florent improbi, silet Nemesis, nescio quod chaos rebus humanis induci videtur; sed pij ac sapientes post longam animorum suspensionem, dum vltra huius vitæ limites cogitationes extendunt, & postumas pœnas ac præmia ante oculos constituunt, facilè in suaui perfectaque symphoniâ diuinæ prouidentiæ conquiescunt.

Norunt enim, non tam fortunatos quàm miseros

dicendos esse impios, qui nimiâ felicitate torpescunt; quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet: felices esse, quos Deus rebus arduis & virtute dignos existimat: rebus prosperis animos permadescere ac resolui velut perpetuâ ebrietate consopitos: calamitates virtutis stimulos esse, gloriæ sementem, pignusque non dubiæ beatitatis. Itaque cùm duriùs habentur à summo illo Parente atque agonothetâ, non magis de paterno eius affectu dubitant, quàm de Imperatoris animo generosi milites, quos ille præ ceteris periculis ac certaminibus exercet; aut de parentum Lacedæmoniorum affectu liberi, cùm illi filiorum indolem publicè verberibus admotis experiuntur, eosque in publicâ solemnitate, quam Διαμαστίγωσιν appellant, ad aram flagellatos hortantur, vt constanter ac fortiter flagella perferant, & laceros ac semianimes rogant, vt perseuerent vulnera præbere vulneribus. Itaque norunt hæc etiam tam dura à paterno Dei affectu proficisci, qui rebus asperis generosos spiritus tentat.

Deus filios & amicos rebus duris probat.

Tertullian. ad Martyres.

Seneca de Prouident. cap. 4.

Sed & illud habent persuasissimum, nullum sibi genus præmiorum post huius vitæ agones ab æterno agonothetâ defuturum. Si enim tantum hîc oblectamenti supremus ille Iudex vsquequaque iustissimus inertibus terræ fungis, ventris ac voluptatis mancipiis, & quod indignissimum videtur, sceleratis, impiis, denique hostibus suis impertit; quæ tandem mens aut cogitatio capere poterit, quàm augusta & magnifica sint illa beatitatis æternæ præmia, quæ generosis athletis, virtutis cultoribus, amicis denique ac filiis reseruauit? Itaque quod ait Sapiens noster, *in paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holo-*

Iusti norũt post agonem non defutura sibi præmia.

Sap. 3, 5.

holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, tandemque huius maiestatis ac gloriæ suæ admiratione defixi, & cælestium deliciarum gustu ebrij, clamabunt: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam* Psal. 30, 20 *abscondisti timentibus te!* Quid verò impij illi Dei hominumque contemptores?

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 13. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant qui non timent faciem Domini.

METRICA PARAPHRASIS.

TAENARI *funesta regna, vosque auernales lacus,*
Vos furoris administri, & quidquid illætabile
Nutrit orcus, quod nocentum sæuit in præcordiis:
Tuque Adrastæa æqua vindex perditæ insolentiæ:
Vosque crinem dissolutis squallidæ serpentibus
Horrido Diræ flagello quæ fibras peruritis,
Numinis non vana culpas vindicantis nomina,
Huc adeste, peruicacem premite funestis modis;
Quemque blanda exasperauit Numinis clementia,
Hunc seuera vindicantis conterat Dei manus.
Nemesis ad supplicia quondam laneo adrepens pede,
Nunc furore exaggerato plectat infandum caput.
Nullus vltrà Phœbus illi surgat innubi æthere,
Nec fauentis aura sortis læta tendat carbasa:

Sed nouercali ruinam machinetur dextera,
Si remoti puppe gazas claudat orbis inſtitor,
Eurus arbiter profundi ſpolia ponto diſſipet.
Si micante flaua culmo rideat campis ſeges,
Martis excitata tædis flamma ſegetem demetat.
Si Dieſpiter coruſco findat igne nubila,
In fauillam fulminatos impij ſoluat lares.
Tum rapacis vnca cineres fœneratoris manus
Cribret, vt fragmenta gazæ colligat ſuperſtitis.
Socia thalami tundat ora, & vngue vultus exaret:
Cumque coniugis cadauer inſepultum fleuerit,
Buſta Niobes æmuletur, ipſa ſeſe funerans.
Nec mariti lenta fuſos Parca pollice differat,
Sed nefandi capitis orbâ fata deproperet colu,
Sidonis velut orſa telæ turbat impatiens nurus.
Occidat nefanda peſtis, Numinis ſpretor cadat,
Sicut euaneſcit vmbra Solis icta ſpiculo,
Aut ſub aſtra pulſus Euro tenuis exſpirat vapor,
Aut per auras ventilatur puluis æſtiuæ areæ.
Sicque ſtratus ingemiſcat hoſtis eſſe Numini,
Nempe ſpretor hoc meretur peruicax clementiæ;
Vt parentis qui refugit à piis amplexibus,
Hunc ſeuerè vindicantis dextra prendat Iudicis.

PROSA EXEGESIS.

Qui Deum amant, eius iniuriâ cõmouentur.

MIRVM non immeritò cuipiam videri poteſt, cùm inter Dei laudes clementia potiſſimùm ac miſericordia deprædicentur, quid tandem cauſæ ſit, cur Eccleſiaſtes, Dei Spiritu plenus, in vltionem impiorum tantopere excandeſcat. Sed idem ille amor, qui fons eſt & origo commiſerationis & clementiæ, ſeueriorem quandoque perſonam iis imperat quos poſſedit. Quî poteſt enim,

enim, quisquis ex animo Deum diligit, eiusque honoris & gloriæ sensu tangitur, non grauissimè commoueri, quoties infinitam illam Maiestatem ab impiorum fæce ac sentinâ sub pedibus indignissimè videt conculcari? Deinde cùm patientia Dei toties læsa tandem in vindictam prorumpat, nihil propius est, quàm vt iis, quorum omne studium est, voluntatem suam ad amussim cum diuinâ conformare, pari vindictæ cupiditate in eos accendantur, qui secundùm duritiam suam & impœnitens cor, despectâ Dei mansuetudine, thesaurizant sibi iram in die iræ. Rom. 2, 5.

Id autem rationi & æquitati consonum esse, non tantùm cum D. Aquinate docet Theologorum schola, sed res etiam inanimatæ suo quodam modo suffragantur, quæ, læsâ Maiestate diuinâ, sympathiâ quadam perturbatæ, torpentes animos nostros excitant, iustoque sensu doloris accendunt. Nónne cùm auctor naturæ pro ingratis mancipiis ab ingratioribus extrema pateretur, *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt*? & vt rem tantam paucis diui Leonis verbis exequar, in execrationem Iudaici sceleris vnam protulerunt omnia elementa sententiam, cùm obscuratis luminaribus cæli, & conuerso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, vniuersaque creatura impiorum vsui se negaret? D. Thom. 2. 2. q. 88. *Res inanimata Dei iniuriâ cõmouentur.* Matth. 27. 45. & 51. & D. Leo Sermone 8. Passion

Deinde, annon imminente decretorio illo extremi iudicij die orbis vniuersus quasi cardinibus suis excussus subuertetur, & subuertet impios? quid enim aliud innuitur apud Sapientem, cùm dicitur: *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, ... & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones* Sap. 5, 18.

siones fulgurum, & tamquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & à petrosâ irâ plenæ mittentur grandines; excandescet in illos aqua maris, & flumina eò concurrent duriter. Et ne hæc fabulosa quis existimet, nimis funesta nos docet Sodomorum vastitas, & orbis totius sub Noëmo cataclysmus.

Si autem hæc ita se habent, quid vetat hominem rationis compotem in propugnandâ conditoris sui maiestate, rerum sensu carentium perturbationes æmulari? Itaque siue diras impiis intentet Ecclesiastes, funestisque votis eos insectetur; nihil agit à consuetudine Sanctorum alienum: siue impendentes illis calamitates vaticinetur, vix est vt vaticinari dici possit, cùm præsens etiam rerum status manifestè doceat, nihil solidæ beatitatis ad illos vmquam pertinere. Quid enim illi beatum ac iucundum in vitâ potest accidere, qui omnis boni scaturiginem sibi obturauit? Quid securum illi aut salutiferum, qui supremum huius vniuersi moderatorem hostem habere maluit quàm parentem?

Ecclesiastes optimo iure impios insectatur.

Quid igitur? inquies. An non frequenter improbi deliciis affluunt, voluptatibus diffluunt, opibus clientelisque circumfluunt? Sanè, si ad opinionem vulgi vitam exigimus: sed si veritatis normâ beatitatem metimur, dicemus in illos illud Isaiæ pronuntiatum quadrare: *Sicut somniat esuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est:* sic improbos non solidis bonis ac gaudiis, sed vmbris ac ludibriis pasci.

Impiorum felicitas nõ est vera, sed adumbrata.

Isa. 29, 8.

Plus dico, quæ illi vocant oblectamenta, veriùs animi tormenta nuncupaueris. Vides auarum diuitiarum idolo-

Impiorũ oblectamenta veriùs tormenta.

idololatram? tot ille ſpinis, quot opibus nummisque dilaniatur. Vides ambitioſum montes montibus ſuperſtruentem, & è celſo dignitatum culmine bellum Deo cum Titanibus mouentem? noctes ſub purpurâ ducit inſomnes, & in plumis tamquam in ſentibus volutatur. Vides alium cui Deus venter eſt, qui inter epulas abdomini quotidie ſacrificat? ſed & inter epulas diſtrictum enſem diuinæ iuſtitiæ ceruicibus imminentem perpetuò reſpectat. Quid dicam eos qui cupiditatum ſuarum fomenta per ſcelera conquirunt, domeſticum ſemper circumferre tormentum? Nam, vt ait præclarè Cicero, ſua quemque fraus & ſuus error maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit, ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ, quæ dies noctesque pœnas à ſceleratis repetunt. Cognatum enim & innatum omni ſceleri ſceleris ſupplicium eſt. Quid autem ærumnoſius eſt hoc homine qui hoſtes domeſticos & eiuſdem tecti participes circumfert? Si domi aduerſarios alas, non te muri Babylonij, non Semiramidis turres, non pyramidum moles, periculis eripiant. Si proditor animus magno tuo malo tecum habitat, fruſtrà eſt murus caſtri inexpugnabilis, fruſtrà armorum apparatus, fruſtrà militum excubiæ.

Cicero pro Roſcio Amerino.

Conſtãtin. Manaſſes in Annal.

Quàm crudelis autem ſit domeſticus hic tortor, inde perſpicitur, quòd non vnâ plagâ hominem conficiat, ſed crebris ac minutis vulneribus longum ducat funus; Caligulam imitatus, qui per ſæuitiam ſolitus erat imperare: Ita feri, vt ſentiat ſe mori. Ita planè iſtis euenit, quos ille carnifex animus quotidie minutis ictibus cædit ac pungit.

Tormẽtum internum eſt grauiſſimum.

Nec ſplendor ille nobis imponat, aut circumfuſa potentia.

Lipſ. l. 2. de Conſt. cap. 14.

Impij latâ fronte interna tormenta non satis occultant.

potentia. Mendicum aliquem in fabulâ vides regio diademate, aut imperatorio paludamento ornatum; sed non te fallit sub hoc syrmate latere scabiem, pædorem ac sordes. Idem existima in diuitibus, libidinosis, superbis, tyrannis: quorum si mentes recludantur, ait Tacitus, possint adspici laniatus & ictus; quando vt corpora verberibus, ita sæuitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceratur. Rident illi non rarò, fateor, at Sardonicum risum: gaudent, sed non liquidum ac defæcatum gaudium, non magis certè quàm qui capitis damnati in carcere detinentur, & talis interim aut tesseris se fallere conantur, nec tamen fallunt; manet enim impressus ille imminentis supplicij terror, nec se tollit vmquam ab oculis imago luridæ mortis.

Tacitus l. 6 Annal.

Impiorum tormenta tunc maxima, cùm mortis aut iudicij meminerunt.

Quæ omnia in maius tormentum excrescunt, cùm peremptoriæ citationis tuba auribus insonat, & æterni supplicij terror propiùs admouetur. Quæ tum ægritudo animi, nulla satis tuta consilia expedientis? quæ lucta cogitationum, nullum exitum inuenientium? quis mœror? quod præsentium fastidium? quæ denique salutis desperatio? Quid animi fuisse existimatis diuiti illi Euangelico, &, vt sibi videbatur, beato, qui confertis ac stipatis horreis seipsum ad voluptates hortabatur, cùm profundæ noctis conticinio hac voce perculsus est: *Stulte, hac nocte tollent à te animam tuam; illa verò quæ parasti, cuius erunt?* Quàm ancipitem animi pependisse creditis capillis suis irretitum Absalonem, cùm ex ipso parricidio iam affectu conatuque perpetrato ad æterna scelerum suorum supplicia raperetur? Quantis denique tabificarum cogitationum angoribus æstuasse putatis impium ac impurum illum Præsulem, cùm horribili illâ diuini iudicij tubâ peremptoriè citaretur: Vdo, Vdo,

Luc. 12.

2. Reg. 18.

Fulgosus l. 9. c. 12.

satis

satis fuisti in ludo? *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Psal.49,22
Væ namque omnibus illis, ait Eusebius Emissenus, quibus hæc priùs experienda sunt, quàm credenda. Eusebius Emissenus Hom.1. ad Monach.

Quare hæc crebrâ cogitatione pensitemus, Momentaneum scilicet esse quod delectat, æternum quod cruciat. Quænam autem comparatio momenti ad æternitatem? quæ proportio delectationis ad cruciatum? Delectatio vana est, friuola, ieiuna: cruciatus omnem humanæ crudelitatis officinam infinitis partibus excedit. *Æterna impiorum supplicia crebrò cum fructu cogitamus.*
Delectatio cùm finem attigerit, nulla est in posterum censenda; cruciatus autem nullo fine terminandus est. O quanta hîc imago vanitatis in oculos nostros incurrit, postquam intrauerit homo in domum æternitatis suæ! Vbi tunc, ait Prosper, potentes à sæculo, qui obtinuerunt diuitias? vbi satrapæ? vbi tyranni? nónne omnia cinis? nónne omnia fauillæ? Nónne, vt cum Ecclesiaste loquar, velut vmbra transierunt dies eorum? Perge porrò, & animam considera inter tormenta destitutam. Vbi tunc honores? vbi fastus? vbi supercilium? *Operientur velut diploïde confusione suâ.* Vbi thesauri? vbi gemmæ? vbi opimæ hereditates? *Ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Vbi tot aurium oblectamenta? *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Vbi tot irritamenta gulæ? *Famem patientur vt canes.* Vbi denique ceteræ deliciæ? *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Hæc animo volue & reuolue, quicumque posthabito Dei timore in scelere tibi applaudis, & felix tibi videris, cùm nulla possit esse in scelere felicitas. *Scito & vide quia malum & amum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem* eius *apud te.* Prosper. Psal.108,29 Psal.L.10,7. Luc.10,28 Psal.58,7. Apoc.18,7 Ierc.2,19.

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 14. Est & alia vanitas, quæ fit super terram: sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impij, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant. sed & hoc vanissimum iudico.

METRICA PARAPHRASIS.

O QVI *nutu sola terrarum,*
Rutilasque domos ætheris alti
Numine torques, arbiter orbis!
Qui sub leges castra polorum
Stellata vocas: vt nunc fratris
Obuia flammis radio strictum
Propiore acuat Cynthia cornu,
Nunc expansâ luce serenâ
Agmina noctis gemmea ducat;
Nunc libra die somnique pares
Pensitet horas, Phœbumque pari,
Phœbenque pari portitor Helles
Jure gubernet. Nunc solstitio
Bruma niuali quot sub tenebris
Merserat horas, totidem Phœbus
Lucis adaucta sorte rependat,
Dum sub Cancri statione micans,
Serò Thetidos redit in gremium.
Qui Ioue medio vacuum Æolidas

Per

Per inane regis. Qui naufragi
Furias Nerei tenui frænas
Puluere arenæ. Qui nunc terras
Versicolori pingis amictu,
Nunc tacitarum vellere aquarum
Rigida arua comis viduata foues.
An cùm stabili fœdera mundi
Lege coërces, nostri tantùm
Securus agis? nec tibi curæ est
Fouisse bonos, plexisse malos?
En tibi diris dùm iuratos
Summi exagito Numinis hostes,
Ordine verso cuncta feruntur.
Mens ægrescit subiecta oculis
Monstra tuendo: Debita castæ
Præmia menti scelus inuadit:
Et virtutem, debita sceleri,
Pœna excruciat. Vidi Heroas,
Quos emeritæ virtutis honos
Asserit astris, pede calcatos,
Et ludibrio saturos, fieri
Bacchantum inter pocula carmen.
Vidi insontes patrio extorres
Lugere foco. Si fors Martis
Ingruat horror, prima innocuos
Quatit immeritâ clade procella.
Lubrica si fors verterit orbem;
Turbine primo dira nouerca
Pulchrum ducit strauisse bonos.
Si torret agros Sirius æstu,
Aut æthereâ tonat arce fragor,
Sceleris purum ferit ira caput,

Primaque iustus victima lethi est.
Contrà impietas placidæ sortis
Ebria gustu, procul à curis
Exigit æuum. Cumque iniustus
Sese innocuo sanguine pascat,
Non tamen illum debita Nemesis
Ira flagellat. Cumque opprobriis
Astra lacessat, securus agit
Cæli atque sui, ceu iustorum
Vitæ consors, meritisque grauis,
Speret amico Numine palmam.
Quin & sortem stabili iures
Strinxisse fide: nempe ex voto
Sic cuncta fluunt. Donec tandem
Vitæque satur, luxuisque satur,
Pacis alumnus maius votis
Exigat æuum. Proh summe Deus!
Quanta hîc animos, dum rimantur
Secreta poli, caligo hebetat!
Vana tot inter mens ægra labat.

PROSA EXEGESIS.

PAENE iam ex longâ iactatione fessus portum adspexerat Ecclesiastes, perspectisque impiorum suppliciis, in sinu diuinæ prouidentiæ conquieuerat; cùm ecce noua tempestas in maiores eum æstuantis animi fluctus denuò resorbet. Viderat ante diuina humanaq; iura impunè conculcari, nimis diu impiorum supplicia differente, & pæne dixerim obdormiscente Nemesi. Sed animaduertens eos non tam dimissos esse quàm dilatos, & grauiori vindictæ reseruatos, nonnihil respirauerat. Nunc autem videns optimos pati acerbissima,

ma, eorumque vitam tristissimos exitus sortiri, contrà vero impiis ad nutum omnia fluere, eosdemque morte quàm facillimâ suauissimaque defungi; nouam querelarum telam orditur: nouam, inquam, prioris intuitu, alioquin sæculis omnibus decantatam, siue ab iis qui veri Dei prouidentiam suspexerunt, siue ab iis qui fato ac fortunæ mundi gubernacula commiserunt. *Querela de translatu impiorum pœnis ad iustos: & contrà.*

Inter quos M. Tullius, Vno, inquit, adspectu intueri potestis eos, qui cum Senatu, cum bonis omnibus Rempublicam adflictam excitarint, & latrocinio domestico liberarint, mœstos, sordidatos, reos de capite, de famâ, de ciuitate, de fortunis, de liberis dimicantes: eos autem, qui omnia diuina & humana violarint, vexarint, perturbarint, euerterint, non solùm alacres lætosque volitare, sed etiam fortissimis atque optimis ciuibus periculum moliri. Cicero pro Sextio.

Prolixior est in his similibusque producendis Annæus Seneca, hoc grauissimum animi tormentum esse confirmans, dum tam iniqua præmia fortunam videt persoluere: dum Socrates cogitur in carcere mori, Rutilius in exilio viuere, Pompeius & Cicero clientibus suis præbere ceruicem, Cato ille virtutum viua imago incumbens gladio, simul de se ac de Republ. palàm facere. Seneca de Tranquil. animi, c. 15 *Viri probi inter Ethnicos extrema passi.*

Sed vt hos missos faciam, quos vmbra potiùs virtutis, quàm vera virtus apud posteros nobilitauit, quis ignorat, olim veræ sanctitatis lumina, viros inquam apud Hebræos illustres, quibus dignus non erat mundus, etiam acerbiùs vexatos fuisse? Audite Apostolum. *Alij*, inquit, *ludibria & verbera experti sunt, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, adflicti.* Qui tandem illi? Heb. 11, 36 *Viri iusti inter fideles indigna passi.*

Ieremias,

Tertull. in Scorpiaco, cap. 8. Ieremias, inquit Tertullianus, lapidatur, Isaias serratur, Zacharias inter altare & ædem occiditur, perennes cruoris sui maculas filicibus assignans. Taceo Machabæos martyres, quorum illustre certamen nulla vnquam ætas obliterabit. Prætermitto tot orbis Christiani flosculos profanis impiorum pedibus obtritos, tot Martyrum rosas innocuo sanguine purpuratas, tot lilia Virginum carnificis gladio demessa, & tamquam orbis quædam catharmata ferro flammisque deputata: cùm tamen earum innocentiam vitæque integritatem ipsa tyrannorum confessio non rarò commendarit. Cùm enim Christianas virgines frequenter ad lenonem potiùs quàm ad leonem præclari illi iudices damnarunt, nónne aliud agentes confessi sunt, labem pudicitiæ atrociorem illis omni pœnâ omnique supplicio reputari?

Idem in Apologet. cap. vlt.

Hæc sors est eorum, quos vitæ integritas, & insignis erga Deum obseruantia celebrauit. Quid interim impij, flagitiosi, Dei hominumque contemptores? *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Verba sunt innocentissimi Prophetæ Iob, qui vlceribus plenus, & testâ saniem radens, vitæque pertæsus, ac ægram trahens animam, longè disparem impiorum conditionem nimio stupore perculsus admiratur; quibus, vt ait Propheta Regius, *non est respectus morti eorum, nec firmamentum in plagâ eorum*; aut, vt Aquila exponit, nulli cruciatus interueniunt morti eorum, nec firma aliqua aut diuturna ægritudo eos detinet, viresque sensim depascitur, sed integros & obesos repentina mors omni fastidio liberat. Qualem nobis Nabal Carmeli describit Regum historia, qui cùm Regiam magnificentiam luxu conuiuiorum æquaret, terrore Dauidis incusso,

Iob 21, 12. *Impij inter voluptates vitam degunt, & facili morte defunguntur.*

Psal. 72, 4.

Aquila ibid.

1. Reg. 25.

incusso, repentè absque omni doloris fastidio adinstar saxi obriguit.

Et quâ tandem vitæ commendatione beatuli isti censentur? Dicat idem qui suprâ Propheta Iob. Hi sunt, inquit, *qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est Omnipotens, vt seruiamus ei? & quid nobis prodest, si orauerimus illum?* O abyssus diuinorum iudiciorum! ô tenebræ! ô caligo! ô vulnus infirmarum mentium immedicabile! *Etiã blasphemis hîc lata contingunt.* Iob 21,14.

Non sum nescius, multas hîc rationes in patrocinium diuinæ prouidentiæ posse proferri; sed an æger animus, reiqúe indignitate perculsus iis acquiescat, ignoro.

Primùm enim quæritur, quinam illi sint, quos ab omni pœnâ exemptos volumus, cùm nemo liber sit à crimine, ne infans quidem, *cuius est vnius diei vita super terram.* Nati scilicet in labe, non absque labe viuimus, & cæli iam armamentaria sine telo sint, vt cum Poëtâ loquar, *Nemo immunis à pœnâ, quia nec à culpâ.*

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iuppiter. ——— Ouid. lib. 1. Tristium.

Non enim vt pisces in salo nati & alti, salem tamen non referunt, ita censendum est homines in hac mundi fæce ipsos esse sine fæce. Si autem omnes in noxâ, cur exemptos esse quosdam volumus à pœnâ? Lipsi. lib. 2. de Constant. c. 16.

Satis hæc quidem appositè dicuntur, sed non omnem continuò mœrorem ægris mentibus absterguntur. vt enim iustis aliquid subinde labis adhæresat, quî tamen conuenit debitos impiis cruciatus in eorum caput redundare? *Sed cur meliores peiora patiuntur?*

Deinde, pro diuinorum iudiciorum æquitate illud adferri potest, quòd homines communione sanguinis vnam aliquam familiam constituant, ciues earumdem legum *Deus interdum communes instigit pœnas propter naturæ communionem.*

legum vinculo vnam Rempublicam, denique continuatâ temporum serie vnicum existimari corpus regnorum. Quid ergo mirum esse potest, si parentum noxa in filios pœnam deriuat? aut per totam Rempublicam labes propagata innocentes etiam inuoluit? aut denique præteritorum temporum flagitia eiusdem regni luunt posteri? Nam & Medici, vt vni membro faciant medicinam, alterum eiusdem corporis adurunt: & in perduellionis ac maiestatis crimine leges filiis ac nepotibus ad extremam egestatem redactis, vitam quauis morte faciunt acerbiorem.

Hæc proculdubiò conuincunt, non esse Deo id vitio vertendum, quod Medici, quod Reges ac Principes, quod Rerumpublicarum moderatores sibi volunt licere. Sed ea tamen infirmis restat obmurmuratio, quòd homines eo quo possunt modo aut vulneribus medicinam faciunt, aut pœnas à sceleratis ac facinorosis repetunt; itaque quod maximè opportunum est membrum incidunt aut adurunt Medici, vt ex arte sanitas in totum corpus redundet: & cùm in ipsos facinorosos non satis pro rei dignitate vindictam leges possunt exercere, eos qui ipsis coniunctissimi sunt, eadem ruinâ inuoluunt. Atqui Deo numquam deesse potest facultas ipsis flagitiis, personis, temporibus pœnas iustâ proportione commensurandi. Itaque non omnis hic scrupulus infirmis & lapsantibus eximitur.

Sed cur Deus, vt potest, non reos ipsos potius punit?

Præterea nonnulli vt querelas omnes & inuidiam à diuinâ prouidentiâ amoliantur, negant Deum obesse bonis, prodesse malis. Omnia, inquiunt, mala ab illis remouit, scelera & flagitia, & cogitationes improbas, & ambitiosa consilia, & libidinem cæcam, & alieno imminentem auaritiam. Ceterùm numquid hoc quoque

Deus solida bona bonis seruat, de adiaphoris minor cura. Seneca de Prouid. c. 6.

à Deo

à Deo aliquis exigit, vt bonorum virorum etiam sarcinas seruet? Remittunt ipsi hanc Deo curam, externa contemnunt. Improbis autem bona falsa circumdedit, & animos inanes fallaci somnio delusit: auro illos argentoque & ebore ornauit; intus boni nihil est. Si non quà occurrunt, sed quà latent, eos inspexeritis, miseri sunt ac turpes, in similitudinem parietum suorum extrinsecus exculti.

Sed in prosperis maior videtur explicandæ virtutis materia.

Sed hæc paradoxa sunt. quis enim ignorat, ad virtutem explicandam plus facultatis esse in diuitiis, quàm in egestate; in sanitate, quàm in ægritudine?

Deus iustorum virtutẽ exercet.

Denique, Si Deus, inquiunt, iustos rebus arduis exercet, facit quod bonum parentem & strenuum Imperatorem decet: virtutem tyronis sui ac filij corroborat, industriam acuit, ingenium erudit. Plerumque enim quæ nocent docent, quod Græci tam breuiter quàm elegan- Drexelius Gymn. Pat. p. 2. ter exprimunt: παθήματα, μαθήματα. A plagis sapimus. c. 5. Semper verò esse felicem, nec vmquam aduersæ fortunæ obuium fieri, ignorare est rerum naturæ partem alteram. Addunt illud Demetrij: Nihil infelicius eo cui nihil vmquam euênit aduersi. Prospera plebeiis ac vilibus ingeniis esse accommodata: at calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere, id verò esse animi supra vulgi fortunam eminentis.

Id non satisfacit, sc nihil post huius vitæ labores superest.

Speciosè quidem hæc & ad pompam splendidè dicuntur à Stoicis, qui etiam in tauro Phalaridis mugientem, aut in cruce cum Regulo excarnificatum, beatum esse sapientem volunt: & tamen, animâ cum corpore extinctâ, nullam illi post hæc tormenta spem esse reliquam, sibi persuadent.

Apage magnifica hæc insanientis sapientiæ pronuntiata. Profectò nisi diuinæ fidei radius cogitationes nostras

Æternis rationibus viuent; nihil nocet hæc mundi perturbatio.

ſtras vltra mortalitatis huius terminos euocaret, & ad vitam æternis rationibus inſtituendam hortaretur; ad quemuis impij felicis, boni infelicis occurſum mens noſtra collabaſceret, præſertim cùm ne iam quidem ſatis æſtuantium cogitationum fluctus euadat, niſi quantocyùs ad portum, quem proximo verſu pandit Eccleſiaſtes, vela conuertat.

SECTIO OCTAVA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 15. Laudaui igitur lætitiam quòd non eſſet homini bonum ſub Sole, niſi quòd comederet & biberet, atque gauderet: & hoc ſolum ſecum auferret de labore ſuo in diebus vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus ſub Sole.

METRICA PARAPHRASIS.

PROCVL *hinc odora naris*
Stolidæ ſagacitatis,
Viuamus, atque edamus
Sereniore fronte,
Sereniore mente.
Quid enim profana turba
Sacratioris aulæ,
Secretioris vrnæ
Decreta iniquiores
Ad calculos vocamus?
Quæ ſanxit aula cæli,
Quid terra ruminatur?

Procul hinc odora naris
Stolidæ ſagacitatis:
Viuamus, atque edamus.
Procul hinc procul faceſſant
Planctusque lacrymæque,
Luctusque, & impeditæ
Suſpiriisque crebris
Singultibusque voces,
Nihilque profuturæ
Querentibus querelæ.
Curas procul voraces
In Caſpias procellas
Zephyri ferant volucres.
Viuamus, atque edamus
Animo ſolutiore,
Vultuque amœniore,
Dryadumque per receſſus,
Nemoriſque delicati
Per frondeos Penates,
Vbi quercus hoſpitalis
Ramoſa tecta pandit:
Vbi ſibilo tepenti
Zephyri comis adulant,
Loquacibusque nidis
Pandionis volucris
Liquidum melos fritinnit;
Aut herbido tapete
Triclinium paremus,
Vbi prata vere primo
Salientibus ſcatebris,
Trepidantibusque riuis,
Vitreos bibunt liquores:

Vbi culta per vireta
Soboles amœna veris,
Roſæque, liliumque,
Crocique, calthulæque,
Sitientibus labellis,
Et hiantibus labellis
Rorem hauriunt & auram.
Hic vua purpuraſcens
Amabilis Veſeui,
Hic profluant Falernis
Eliſa vina prælis,
Queis naufragentur imo
Curæ obrutæ profundo.
Hic menſa delicatis
Opibus referta ruris,
Et ferculis inemptis,
Saliaribus deorum
Cœnis ſuperba litem
Moueat beatitatis.
Hic dormiente curâ,
Et pruriente orexi,
Viuamus atque edamus.
Hic ſegreges canoris
Animemus æra plectris:
Hic munerum ſoluti
Riſus ſereniores
Captemus, & lepores,
Innoxios lepores;
Interque blandiorum
Fomenta gaudiorum
Viuamus atque edamus.
Laboris hoc leuamen,

Et vnicum leuamen
Hæc fluxa vita carpit,
Et fructus hic laboris
Et vnicus laboris,
Quo nunc datur potiri,
Dum lampadis diurnæ
Vitam quadriga carpit,
Et hora trudit horam,
Dapibus leuare orexin,
Curáque vellicante
Sub massico sepultâ,
Æquum bonumque habere
Quod dia sanxit vrna.
Procul ergo odora naris
Stolidæ sagacitatis:
Viuamus atque edamus.

PROSA EXEGESIS.

NON difficile mihi foret certissimis hîc argumentis Dei causam tueri, cuius prouidentiæ ratio sapientissima, & iudicia sunt vndequaque iustissima. Sed cùm insatiabile sit curiosorum cacoëthes, & insana contradicendi libido; abstinendum potiùs esse iudico ab arcanâ illâ diuinorum iudiciorum flammâ, cuius stricturas tantùm ac scintillas quasdam nictantibus oculis delibare conceditur, ipsam contemplari non permittitur. Sed quemadmodum qui in Solem acriùs defigit obtutum, hebetiorem illum refert, magisque caligantem; ita mentis omne lumen amittit, qui curiosiùs eam intendit in hoc lumen. *Iudicia Dei non sunt curiosè indagandæ.*

Nemo igitur impudenter à Deo pœnarum præmiorumque rationem exigat: quia nihil magis rationi consenta-

sentaneum est, quàm vt hæc ratio nemini à Deo reddatur. Neque temerè quis de eius æquitate aut iniquitate sententiam proferat: causæ enim tam obscuræ non benè cognoscuntur de plano; multoque impudentiore petulantiâ carpuntur, quæ nec capiuntur quidem. Et frustrà quidem carpuntur cælestis aulæ decreta, quæ mutari nequeunt. Nam siue placeant siue displiceant, ferenda sunt nihilo seciùs.

Multò minùs carpenda.

Vidit hoc olim Cleanthes, inter Stoicos sapientiæ laude clarus: qui sic Deum huius vniuersi moderatorem alloquitur:

Duc me parens, celsíque dominator poli,
Quocumque placuit: nulla parendi mora est.
Adsum impiger. Fac nolle; comitabor gemens,
(Ducunt volentem fata, nolentem trahunt)
Malusque patiar, quod pati licuit bono.

Epictet. in Enchirid. *Necesse est homini placere quidquid Deo placet.*

Verè malus, qui diuinæ voluntati obluctatur, Deumque mauult emendare quàm se. Quantò sapientiùs generosus animus se totum Deo tradit, & æquissimum esse censet, non displicere homini, quidquid placitum est Deo, asperum hoc sit an dulce, prosperum an aduersum, iuxtà habens. Ad hoc enim sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ non est potestatis. In regno nati sumus: Deo parêre libertas est. Quid dico libertas? imò & voluptas. cùm exploratum habeamus, Deum vnumquemque nostrûm patris vicem, imò & matris, diligere: Deo res nostras esse cordi: Dei prouidentiam assiduè pro salute singulorum atque vniuersorum excubare.

Acquiescèdum diuinis iudicijs.

Præclarè igitur Ecclesiastes, cùm non posset densas illas diuinorum iudiciorum nebulas mentis acie penetrare, satis interim securus, quidquid diuina prouidentia decer-

decerneret, id optimum fore & conuenientissimum, omissis disputationum argutiis, & profanâ curiositate repudiatâ. *Laudaui igitur*, inquit, *lætitiam, quòd non esset homini bonum sub Sole, nisi quòd comederet & biberet, atque gauderet.* Quâ adagiali formâ loquendi hortatur vnumquemque, ne se frustrà discruciet, animumque diuinis consiliis imparem, arcanæ prouidentiæ disquisitione fatiget, sed animo soluto à curis ac libero, Dei donis, ac laboris sui fructibus hilariter fruatur. Neque quâ ratione hoc vniuersum gubernetur, neque quid aliis fiat, aut se futurum sit, anxiè perquirat, sed de paterno Dei in se & in bonos omnes affectu securus, in sinum se diuinæ prouidentiæ lætus immergat. Non dissimilis est apud Poëtam exhortatio, cùm ait:

Deo curæ sumus.

Iuuenalis Sat. 10.

Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conueniat nobis, rebusque sit vtile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt DI.
Carior est illis homo, quàm sibi. ——

Pro iucundis, inquit, dabit Deus aptissima. Sed falsum est: aptissima simul dabit & iucundissima. Neque enim, vt ait Seneca, necessitatibus tantùm nostris prouisum est: vsque in delicias amamur. ita matrum instar etiam delicatè nos habet Deus.

Sen. l. 4 de Benefi. c. 5.

Acquiescèdum in diuinâ prouidentiâ velut in sinu matris.

Quantus hic amoris diuini fomes! quàm luculenta occasio cælestibus decretis acquiescendi! Vidistis aliquando tenellos infantes iam primâ balbutie blæsulisq; vocibus gratiores, inter vbera materna reclinato capite suaui silentio quiescentes: at illi satis superque sibi cautum arbitrantur, si maternos sinus occupauerint, de affectu earum nihil ambigentes, quin optima quæque sibi destinent. Quis autem de infinitâ Dei bonitate ac misericordiâ minora concipiet, quæ non patris tantùm erga

nos officium exsequitur, sed & matris, & nutricis, & gerulæ? Ipse Deus fidem verbis meis faciet apud Prophe-
Isa.66, 12. tam. sic enim ait: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.*

Blanda, faceta, delicata sunt hæc, inquiet aliquis, sed non omnem omnino animo spinam eximunt. Vtinam æquè in promptu esset hæc lætitia, ad quam hortatur Ecclesiastes, & fiducia de paternâ Dei prouidentiâ, tum, cùm pungit, vrit, secat, vulnerat, omnemque tyrannorum carnificinam in iustorum corpora sæuire permittit.

Ipsi Martyres de tormentis suis non queruntur.

Quid dicam? Vereor vt in his tormentis æquè persuadere possim suauem Dei prouidentiam iis, qui extra calamitatis aleam constituti sunt, ac iis qui læti alacresque membra sua torquenda, vstulanda, discerpenda tradiderunt. An non auditis nobilissimorum iuuenum
Daniel.3. triadem in fornace Babylonicâ diuinas laudes modulantem? An non aduertitis, quantâ vultus alacritate generosi Martyres Tiburtius & Valerianus per prunas, ac si rosas calcarent, ambulauerint? An non obstupescitis B. Thyrsum sub ferrâ sui securum, ac diuinâ virtute ferri aciem illæso corpore obtundentem? An illos quisquam de paternâ Dei prouidentiâ questos existimet? An iniquam piorum conditionem deploraſſe? an vltrices è cælo flammas exciuisse?

Minimè verò, inquies: sed non omnibus hæc miraculorum prodigia succurrunt, nec semper Deus violentas, vt ita dicam, naturæ manus iniicit, vt amicis opituletur. Nonnumquam etiam dirissimis illos tormentis excruciari, vitamque & sanguinem profundere permittit.

Esto

Esto sanè: sed quid interest, flammáne fornacis in roridam Deus auram mutauerit, an æstuantes inter tormenta Martyrum animos cælestis gratiæ rore refrigerarit? Quid interest, prunáne verterit in rosas, an inuicta pugilum corda transformarit in adamantes? Quid interest, aciémne ferri diuinitus obtuderit, an Martyrum patientiam fecerit inuulnerabilem? *Deus amicis adest etiam in tormentis.*

Quod autem de tyrannorum carnificinâ diximus, idem in morborum cruciatibus ac flagellis, idem in temporum calamitatibus, idem in aduersæ fortunæ telis obseruandum esse iudico sapienti, vt non tantùm nullo dolore contrahatur, neque de prouidentiâ diuinâ sinistrè sentiat, sed hilari etiam ac soluto animo hoc vnum sibi persuadeat, res suas Deo esse cordi, nihilque dubitet, quin optima quæque & conuenientissima sit daturus, cùm sit pater filiorum amantissimus; neque existimet in rerum delectu à scopo aberraturum, cùm sit idem sapientissimus. *Iusti omnia æquo animo de manu Dei accipiunt.*

Persuasissimum hoc habuit aliquando mendicus ille, quem Deus Taulero cælestis sapientiæ magistrum assignauerat. Inuenit eum Taulerus ad portas templi lacerum, seminudum, frigore tremulum, morbis ac miseriis contabescentem, verbo, miserrimum atque egentissimum mendicabulum. Precatus est illi cuncta prospera. Ille contrà negare sibi quidquam in vitâ contigisse aduersi. Rursum Taulerus optare illi à Deo felicitatem: sed ille rursus negare se aut esse aut vmquam fuisse miserum. Rationem hanc adiecit, nihil vmquam se diuinâ voluntate prius aut potius habuisse, quare cùm egestatem ac morbos à diuinâ manu proficisci non ignoraret, eadem se veræ solidæque felicitatis summique beneficij loco ducere. Quisquis sic animo compositus fuerit, profectò Vide Opera Tauleri.

fectò vitam ducet omnis perturbationis expertem, animíque ſerenitatem nullis interpolatam nubibus, puramque ac defæcatam lætitiam conſequetur, & tamquam in portu aut pharo conſtitutus, fluctuantes alios in hoc tempeſtuoſo vitæ oceano cum Eccleſiaſte mox ſecurus intuebitur.

SECTIO NONA.

ECCLESIASTES.

VERS. 16. Et appoſui cor meum vt ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſtentionem, quæ verſatur in terrâ: eſt homo, qui diebus & noctibus ſomnum non capit oculis.

17. Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum quę fiunt ſub Sole: & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minùs inueniat: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.

METRICA PARAPHRASIS.

BEATVS ille, quiſquis inſcrutabile
Caliginoſi deſerens fati chaos,
Domitíque curis, mente compoſitâ exigit
Serenus ævum: nullus hunc ſtabili gradu
Inordinatus ordo deturbat, licet
Sidereus axis cardine excuſſus ruat,
Polumque auerno miſceat, ſolo ſalum.
Hanc explicatâ fronte dum ſortem intuor

(Bea-

(*Beatitatis magna pars ipsam fuit*
Beatitatem nosse) *præcelsá excubans*
In arce Sophiæ, mente lustraui improbos
Hominum labores, dubia quos torquent Dei
Consilia, & anceps orbis inuersi status.
Quænam hæc phrenesis? quæve tam dira abditos
Suadet cupido mentis æternæ sinus
Tentare? Sunt, quos alta dum terram quies
Pelagusque sopit, Cynthia insomnes videt,
Diemque nocti adiungere, & noctem die.
Heu vana turba! sicne consilia ætheris
Animæ minoris futilem ad lancem vocas?
Opera stupenda conspici Numen iubet,
At curiosè introspici Numen vetat,
Dum torquet orbem cuncta moderantis manus,
Versatque summis ima, furtiuos gradus
Caliginosæ noctis inuoluens sinu,
Frustrà æuiterni consilI explores iter.
Citiùs sequaci lumine assignes viam,
Per inane liquidum penna quam Progne secat,
Quam fœta niuibus bruma trans pontum fugat,
Luteos apricis figat vt terris lares.
Citiùs carinæ tumida sulcantis freta
Inter procellas semitam visu notes,
Dum feruet imo pelagus è fundo erutum.
Expende casus, discute humanas vices,
Intende neruos perspicacis ingenI,
Aciemque vibra; numquam in auctoris Dei
Penetrabis adyta: lucis æternæ iubar
Aciem retundet. Nimia lux oculos solet
Obnubilare, mensque dum viam sagax
Rimatur omni parte, labyrinthum struit.

Licet vsque vires turba sapientum exerens
Velut repertâ luce in amplexus ruat
Similis tenenti, fallet elusos labor:
Tenebrisque mersa veritas luctum adferet.
Vt cùm diurna vota ludificans sopor
Vultus parentum somnio pictos dedit,
Quos atra mœsto funere abscondit dies;
Ilicet in vlnas ruitur, & nexus parant
Dudum expetitos: vana sed nexu obuios
Frustratur vmbra, & corde mœrorem ciet.
Verè ille sapiens, sobriè quisquis sapit:
Qui cæca cæli fata suspiciens colit,
Et nesciendo sanctiùs nouit Deum.

PROSA EXEGESIS.

QVEMADMODVM ij, qui post longam iactationem marisque pericula iam portum inuecti sunt, libenter relictas à tergo tempestates ex editâ rupe aut pharo contemplantur, & luctantes cum ventis ac fluctibus cymbas non absque grato horrore, quoad licet, oculis sequuntur: sic Ecclesiastes, cùm diu inter Scyllam & Charybdim in abysso diuinorum iudiciorum, cæcisque nubibus ac procellis diuinæ prouidentiæ fluctuasset, postquam securitatis portum adeptus est, animoque à curis soluto ac libero in sinu diuinæ sapientiæ ac beneuolentiæ conquieuit; nunc velut è speculâ eorum, qui in hoc stolidæ curiositatis freto iactati, tumidarum disputationum fluctibus abripiuntur, aut pericula spectat, aut naufragia.

Homo non capit diuinæ prouidentiæ consilia.

Stolidam dixi curiositatem. Cuius enim consilij est, fragilem humanæ mentis cymbam inscrutabili diuinitatis abysso committere? cuius prudentiæ est, immensum

sum illud diuinæ prouidentiæ pelagus angustis ingenij nostri limitibus velle coarctare ? Refert Philostratus, Indos aureum modium, illi similem quo frumenta metimur, in mare demergere consueuisse, hac ratione se bruto illi elemento, ne terras inuaderet, modum præscribere existimantes. Stulti ! qui tantillâ mensurâ tam latè diffusum elementum contineri posse arbitrati sunt. Non minoris est insaniæ, Deum, cuius natura immensa est, eiusque iudicia, quæ sunt inscrutabilia, tam exilis ingenij capacitate velle metiri. *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies ? Excelsior cælo est, & quid facies ? profundior inferno, & vnde cognosces ? Longior terrâ mensura eius, & latior mari.* Hic siue *lucem inhabitat inaccessibilem*, frustrà miseri papiliones circumagimur circa arcanam hanc flammam : siue *posuit tenebras latibulum suum*, frustrà in tam densâ caligine palpitamus. Hic est vnicus mundi rector, ait Cyprianus, qui vniuersa quæ sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est ; nec comprehendi, tactu purior est ; nec æstimari, sensu maior est. Et ideò sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.

Caussin. l. 12. Symbol. 35.

Iob 11, 7.

1. Tim. 6, 16.

Ps. 17, 12.

Cypr. lib. Quòd idola, &c.

Notum est illud Biantis : De diis hoc tantùm asse- re, quòd sint ; plura si curiosè disputaueris, superbam potiùs ignorantiam, quàm solidam scientiam prodideris. Nam quo pacto infinitam illam mentem se nosse profitebitur, qui ne seipsum quidem ingenijque sui tenuitatem nouerit ?

Homo nec se quidem nouit, quãtò minùs Deum?

Vanum est igitur Atlanticum illud antiquorum Philosophorum supercilium, & fastuosa sapientiæ ostentatio. Multa quidem illi de Deo eiusque operibus & arcanâ prouidentiæ dispensatione effutierunt, sed in hoc in-

Ethnici variè circa Dei prouidentiam hallucinati sunt.

inscrutabili diuinitatis oceano alij in breuia prouecti sunt, nimis exilia atque indigna Deo sentientes; alij in scopulos impegerunt, dum nimis ardua maiestatis diuinorumque iudiciorum mysteria perscrutati sunt. Longum est omnium hallucinationes in lucem proferre; è paucis multorum specimen cordatus quiuis accipiet.

Lessius de Numine, cap. 1.

Et quidem Diagoras Milesius, & Protagoras Abderites, cum paucis impudentiæ symmystis, maluerunt æternum Numen è rerum naturâ prorsus eliminare, quàm se cõprehendendæ eius naturæ impares fateri. Nec minùs circa diuinam prouidentiam hallucinati sunt: aut enim naturæ vi cuncta euenire, cum Democrito & Epicuro arbitrati sunt; aut fortuito atomorum concursu hoc vniuersum coaluisse, cum Democrito censuerunt. Plinius etiam maiori supercilio veritatem ausus explodere, Irridendum verò, inquit, agere curam rerum humanarum istud quidquid est summum. Anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus? Nec minora peccauit Aristoteles, absurdum esse iudicans, primam mentem de rebus quibusdam cogitare; & melius esse, quædam non videre, quàm videre.

Prouidentiam Dei qui ex toto vel ex parte negarint.

Plin. lib. 7. c. 7.

Arist. l. 12. Metaphys. cap. 9.

Haberet fortassis horum ratiocinatio vmbram aliquam verisimilitudinis, si Deus limitatum haberet intellectum, qui minus vigoris adferret ad rerum maximarum gubernacula, si minimis & vilissimis quibusque distringeretur: nunc verò infinita illa vis intelligendi æquè singulis intendit ac omnibus. Cùm enim ad singula lumen infinitum adferat, tam perfectè singula considerat, quàm si sola proposita haberet.

Deus cùm sit infinitus, facilè omnibus & singulis intendit.

Cicero, ne quid de libertate arbitrij delibaret, Deum negauit futurorum contingentium esse præscium: ita dum liberos fecit homines (ait eleganter Antistes Hipponensis)

Cic. l. 1. de Diuinat.

Alij præscientiam futurorum contingentium Deo negant.

ponensis) fecit sacrilegos. Nec minùs fatuitatem suam tam stolido dogmate, quàm impietatem prodidit: siquidem, vt rectè censet idem Antistes, confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est. Augustinus lib. 5. de Ciuit. c. 9.

Hunc scopulum dum vitant, in alium non minùs periculosum impegere Stoici, dum eum fato subiiciunt, omnemque non minùs in Deo, quàm in hominibus, electionem libertatemque pessumdant. Sic enim non ignobilis porticûs illius coryphæus libro quo minimè decuit: Eadem hæc necessitas & deos alligat. Irreuocabilis humana pariter ac diuina cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Semel iussit, semper paret. *Alij Deum fato subjiciunt.* Senec. libro de Prouidենt. c. 5.

Turpiùs atque etiam impudentiùs hac in parte ineptiunt Astrologi, præsertim Genethliaci, qui sidera tamquam tela & arma fatorum arbitrantur, quorum vi ac potentiâ in hoc sublunari mundo cuncta perficiantur. Imò eò vsque prouehuntur insaniæ, vt ex horoscopi obseruatione, varioque situ ac domicilio stellarum, ceterisque plausibilibus nugis, diuinæ prouidentiæ consilia perscrutentur. *Genethliaci astris nimiũ tribuunt.*

Quid nostri temporis hæreticos producam? nam & ipsi sapientes audire volunt. Quanam illi ratione de præscientiâ decretisque diuinis, de influxu concursuque cum causis secundis, ac denique de totâ prouidentiæ diuinæ œconomiâ philosophati sunt? Satis id loquuntur hæc eorum paradoxa: Deus est auctor & causa peccati, volens, suggerens, efficiens, & in hoc impiorum scelerata consilia gubernans. Proprium Dei opus fuit, vt vocatio Pauli, sic adulterium Dauidis, Iudæque proditoris impietas. Infinita inuenies istiusmodi opinionum portenta. *Hæreticorũ de prouidẽtiâ diuinâ paradoxa.* Vide Campianum Ratione 8.

Sed missam faciamus profanam hanc turbam, quæ quò penitiùs se penetrasse contendit in adyta diuinæ prouidentiæ, eiusque naturam, decreta, consilia perlustrasse; hoc se magis ridendam religiosis illius infinitæ maiestatis admiratoribus exhibet. Veros potiùs & Christianos sapientes consulamus, & videbimus eos in hoc lumine diuinorum consiliorum caliginem suam ingenuè fateri: videbimus illos in hoc oceano vela stringere, terram legere, portum respicere; præsertim cùm illas diuinorum iudiciorum rationes excutiunt, quibus æterna prædestinatio ac reprobatio continentur. Cùm enim firmissimè sibi persuadeant, Deum sincero affectu omnium salutem desiderare, neque deesse illi posse rationes & excitamenta, quibus vnumquemque infallibiliter in viam salutis pertrahat; non satis mirari possunt, cur talem naturæ cursum instituerit, in quo barbaris plerisque vix possibilis, multis verò infantibus omnino impossibilis esset æternæ salutis adeptio. Hîc igitur hærent attoniti, & inscrutabilem diuinorum iudiciorum abyssum, quam penetrare nequeunt, stupore venerantur; nec habent quod respondeant, præterquam illud Apostoli: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Quisquis igitur verè sapit, hîc vela submittat: neque in hoc tempestuoso ac naufragio freto curiosis disputationum fluctibus abripiatur; memor illius responsi, quod multa de diis interroganti olim dedit Euclides: Cetera quidem nescio, illud scio, quòd odere curiosos.

Veri sapientes fatentur potiùs non capere se diuinæ prouidentiæ consilia.

Rom. 11. 33.

Lips. lib. 1. de Constant. c. 21.

SPECV-

SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT NONVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 1. Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curiosè intelligerem: Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrùm amore an odio dignus sit:

2. sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. sicut bonus, sic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat.

3. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub Sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt. vnde & corda filiorum hominum implentur malitiâ, & contemptu in vitâ suâ, & post hæc ad inferos deducentur.

METRICA PARAPHRASIS.



Vt fax coruſci prodiga luminis,
Opaca noctis vincere pertinax,
Dum cuncta luſtrat, tabefactâ
Emoritur viduata cerâ,
Suiſque ſeſe funerat ignibus;
Sic lenta tabes me penitus vorat
Depaſta fibras, & ſciendi
Dira animum cruciat libido,
Dum fata ſcrutor, quidlibet impotens
Tentare, abyſſos dum bolide ingenI
Dimenſus, æternis minorem
Judiciis animum fatigo.
Euiſceratæ tabe ſcientiæ
Prurigo mentis quò miſerum rapis?
Quid millies exulcerato
Quæris opes animoſque morbo?
Rurſum en doloris fibra renaſcitur.
Iuſti & tenaces ſunt ſapientiæ,
Queis laurus æternat ſacratos
Æmula cælitibus triumphos.
Quorum acta librat magna Dei manus,
Et comprobatis ſidera deſtinat:
At noſſe mortali negatum eſt
Opprobrij meritum aut ſalutis.
Olim futuri præmia temporis
Altis tenebris occuluit Deus,
Dum ſorte ſub Phœbi quadrigis
Res hominum parili rotantur.
Si culta rident arua, Hyperionis
Afflata vultu, iuſtus & impius

Par-

Partitur ex æquo benignos
Sideris auricomi fauores:
Si fœta nubes in Cererem ruit
Siticulosam, lege Diespiter
Promiscuâ probum improbumque
Fruge beat pluuioque rore:
Fortuna lætis indocilis fidem
Seruare rebus, si furit impotens
Superba Magnatum probrosis
Ruderibus tumulare tecta:
Si bella Nereus Æolidum ciens
Conuulsa verrit funditus æquora, aut
Germana bellantis tyranni
Sanguineo rigat imbre campos;
Nec dia virtus eximios dabit
Fræ clientes naufragi maris,
Nec cladis exsortes tueri
Impietas poterit nefastos.
Si fortè ruptâ nube Diespiter
Illidat altis tela Cerauniis,
Quemcumque sub dio morantem
Nubiuagâ feriet sagittâ,
Siue hic proteruo sacrilegus pede
Disturbet aris sacrificos focos,
Seu Numinis cultum propaget
Thuricremos adolens honores.
Si fœda terras inficiat lues,
Mendacis æquè corripiet caput
Reum sacramenti, cuique
Relligio rata dicta firmat.
Si verset vrnam dira Necessitas,
Tristemque cludant fata catastrophen

Mortalis orchestræ, æquè in omnes
Sortilegæ dominantur vrnæ.
O cæca nox! ô Cimmerium chaos!
Nil insolenti fræna licentiæ
Sic laxat, vt fandi ac nefandi
Lex eadem, pariles que sortes.
Indulget orbi dum facilis Deus,
Suppurat ægris vlceribus lues:
Astræa conniuens nouorum
Mille vias scelerum recludit.
Fecunda noxæ tempora! tempora
Totis Gomorrhæ sulphureis rogis
Vix expianda! quid profana
Colluuies vitiis mausum, aut
Intaminatum præterit? O pudor
Proscripte terræ finibus! ô poli
Calcata maiestas! ô ætas
Tartareis vitiata monstris!
Densis propinquat passibus interim
Fatalis hora: ac immiserabiles
Mors spiculum dextrâ coruscans
Tartareas rapit in cauernas.

PROSA EXEGESIS.

Amoris diuini incertitudo animum torquet.

NON immeritò viros cordatos semper anxios atque exercitos habuit illa, quam oculis nostris offusam videmus, rerum humanarum nebula, præsertim vbi per hasce tenebras diuina illa vox auget terrorem, *Nescit homo vtrùm amore an odio dignus sit.* Terribilis est locus iste, ait D. Bernardus, & totius expers quietis. Totus inhorrui, si quando in eum raptus sum. Qui horror ne in ipsâ quidem morte B. Hilarionem deserüit, qui licet præ-

Bernardus Serm. 23. in Cant.

Hieron. in Vitâ Hilar.

clarè

clarè sibi conscius esset vitæ per annos propè septuaginta Deo consecratæ, cæco tamen horrore quasi per caliginem obuersante, his verbis animum iam è senili ac ruinoso corporis ergastulo eluctantem confirmauit: Egredere, anima mea, quid times? Egredere, quid dubitas? Septuaginta propè annis seruiuisti Deo, & mori times? Tametsi enim viri illi summi, communi hominum suffragio, à quibus pænè vsque ad nominis consecrationem colebantur, in spem non dubiam venire poterant se Deo charos esse, & ipsi rectè factorum se conscientiâ solabantur; non ignorabant tamen, alia esse iudicia Dei, alia hominum. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terrâ, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Et tamen ab hac lance diuinorum iudiciorum pendet momentum amoris aut odij, electionis aut abdicationis, felicis aut infelicis æternitatis. Isa. 55, 8.

Illud quidem apud omnes in confesso est, veram virtutem ac sapientiam Deo displicere non posse: sed tamen in huius vniuersi gubernatione, pœnarumque ac præmiorum dispensatione relinquitur obscurum, cuius vitam Deus acceptam habeat, aut contrà supplicio vindicandam iudicet. Nihil enim in orbe lætum inuenies, quod non improbos æquè ac probos recreet: nihil illætabile, quod non probos æquè ac improbos adfligat. *Probis ac improbis omnia in hac vitâ promiscuè contingunt.*

Mirabantur olim nouella Christianorum germina, plantæque tenellæ, D. Cypriani æuo, in illâ celebri Africæ contagione se non minùs quàm Ethnicos communi peste corripi. At Cyprianus occurrens huic errori, docuit, eos non idcircò vitæ communis ac miseriarum exsortes fore, quòd Christo nomen dedissent; sed potiùs Cyprianus de Mortalitate.

plus

plus aliquantò passuros, cùm Christus tantò antè prædixerit, *In mundo pressuram habebitis*. Itaque neque communis contagio vllum genus hominum præterit, neque aduersæ prosperæque fortunæ casus inter virtutem ac vitium discrimen agnoscunt; nec cælum, dum beneficio suo influxu mundum hunc sublunarem fouet, impios ab hoc beneficio excludit; neque terra, cùm horrendo boatu aperitur, vrbesque deglubit, iustos à communi exitio seruat indemnes.

Ioan. 16. 33.

Vidit Roma in summo felicitatis humanæ culmine laudatissimos (si Religionem excipias) Imperatores Augustum ac Traianum; vidit & portenta naturæ, beluasque potiùs quàm homines in eodem fastigio, Neronem, Caligulam, Heliogabalum; vidit eadem Roma duos Philosophiæ Stoicæ Principes, alterum Senecam in diuitiis numerantem supra centies centena millia aureorum, alterum Epictetum, miserum ciuis Romani mancipium.

Et si mortis contemptor animus, & à curis angoribusque solutus pretium habet, audies inter Christianas heroidas tenellam virginem Agnetem, his verbis lictorem increpantem: Age, duc & feri. quid percussor moraris? pereat corpus quod placere potest oculis quibus nolo. Audies & inter Ethnicas Arriam Cæcinnæ Pæti coniugem, marito ad necem damnato præeuntem, & sanguinolentum mucronem, quo ipsa sibi pectus transfoderat, cum hoc dicto porrigentem: Pæte non dolet. Audies Christianum Heroa Laurentium, cùm nidorem ambusti corporis in craticulâ percepisset, tyranno his verbis insultantem: Assatum est satis, versa & manduca. Inuenies & Iulum Canum Græcæ superstitionis virum, cui post longam altercationem cum Caio Caligulâ,

Ambrosius lib. 1. de Virgin.

Plin. lib. 3. c. 16.

Pet. Chrysol. Serm. 135. de S. Laurent.

Seneca de Tranquill. anim. c. 14.

gulâ, cùm Phalaris ille dixiſſet, Ne fortè ineptâ ſpe tibi blandiaris, duci te iuſſi; ille nihil motus, Gratias ago, inquit, optime Princeps. Cumque ſupplicij dies adeſſet, inuenit illum Centurio latrunculis ludentem. Itaque numeratis calculis ſodali dixit: Vide ne poſt mortem meam te viciſſe mentiaris. & annuens Centurioni, Teſtis eris, inquit, vno me antecedere. Quorſum hîc te vertes? vbique eadem apparet animi ſerenitas: & vniuersè in tam vario fortunæ adfluentis & refluentis æſtu par iuſtorum iniuſtorumque conditio.

Hæc eſt illa, quæ multorum animos ſollicitos habet, rerum humanarum perturbatio, quam qui ſuperficietenus intuebitur, non liquere pronuntiabit, ſitne apud Deum amore aliquis an odio dignus. Si quis tamen penitiùs introſpexerit, magnum in paucis Eccleſiaſtæ verſibus proborum diſcrimen & improborum inueniet, coniecturasque vehementes ac euidentes, quinam electorum aut reproborum ſorte cenſendi ſint. Probi enim Deoque chari nihil hac mundi gubernatione perturbati, ipſo paulò pòſt hortante Eccleſiaſte comedunt & bibunt, id eſt, in hac diſpenſatione diuinæ prouidentiæ ſecuri conquieſcunt. Neque enim ambigunt, quin æterna illa mens cælorum perennes orbes, ſiderumque curſus inæquales, & elementorum alternas vices, & quidquid demum in terris geritur, moderetur ac temperet. Cùm enim irrefragabili naturæ teſtimonio eum eſſe totius vniuerſi conditorem adſtipulentur, conſequens etiam eſt, vt ſibi perſuadeant, nihil eius ſummæ perfectiſſimæque naturæ magis conuenire, quàm vt curam tutelamq; operis ſui gerere & velit & poſſit. Quidni autem velit, cùm ſit optimus? quidni poſſit, cùm ſit maximus? adeoque nullæ vires ſupra ipſum, vt nullæ ſint niſi ab ipſo.

Iuſti ſui ſecuri diuinæ prouidentiæ acquieſcunt.

Vide Lipſ. lib. 1. de Conſtant. c. 13.

Itaque cùm perſuaſiſſimum habeant, in hoc pulcherrimo mundi corpore non temerario ac cæco impetu ferri miſcerique res humanas, ſed ab infinitâ illâ bonitate ac ſapientiâ temperari ; cur non ſibi perſuadeant id eſſe optimum, quod à perenni bonitatis fonte promanat?

Improbi Dei prouidentiâ offenduntur.

At longè aliter improbos, audaces, ſuperbos afficit hæc rerum humanarum perturbatio, euentusque promiſcui : ringuntur illi ſcilicet, inſaniunt, Deoque ſuccenſent, &, vt ait Propheta, *ponunt in cælum os ſuum* Pſal. 72,9. tamquam noui Titanes. Et dum in crimen vocant huius mundi gubernationem, quid aliud quàm ſceptrum Deo (quod in ſe eſt) eripiunt, & arbitrium gubernandi?

Alij maiori procacitate ſomniis ſuis & indomitis cogitationibus indulgentes, & prouidentiam omnem negantes, aut Deum circa cæli cardines oſcitabundum negligunt, aut omnino nullum in orbe Numen eſſe contendunt. Et quid inde conſequens eſt? Malo ex Prophetâ Regio quàm ex me diſcatis. *Dixit inſipiens in corde ſuo : Non eſt Deus.* Quid inde? *Corrupti ſunt*, id eſt, in vitiis ſuis & flagitiis computruerunt, *& abominabiles facti ſunt in iniquitatibus : non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.*

Alij prouidentiam negantes, in omne flagitium effunduntur.
Pſal. 52,1.
Pſal. 13,3.

Sed potiſſimum eorum flagitium hoc aſſignat Apoſtolus : *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Rom. 1,24 Et quis dubitet, has libidinum flammas, in quas impij Numinis contemptores exardeſcunt, æternis gehennæ ignibus eſſe præambulas? Quis non videat, tantam ſcelerum & flagitiorum colluuiem non aliter quàm æternis

nis suppliciis vindicandam? Nihil est igitur, cur mansuetissimum Dei pectus in contemptum adducant, quasi aut ignarus sit eorum quæ in terris geruntur, aut incuriosus.

Nihil est quòd toties impunitatem scelerum suorum his verbis occinant: *Peccaui, & quid mihi accidit triste?* Eccli. 5, 4. *Altissimus enim est patiens redditor*; sed *subitò veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Extendant igitur sacrilegi illi cogitationes suas vltra mortalis vitæ limites: cogitent horrendum illud vindictæ tempus: cogitent ineuitabilem mortis necessitatem; & haud dubiè pigebit illos dementiæ.

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 4. Nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam.

METRICA PARAPHRASIS.

QVICVMQVE sortis prosperæ gustu ebrius,
Procul à flagello Numinis,
Mortalium beatitatem scenicis
Metire vitæ somniis,
Et quò libido mente lymphatâ trahit,
Huc vela votorum regis;
Fati intuere tela librantem manum,
Breuis pigebit gaudij.
Frustrà soluti Numinis telam metu
Felicitatis teximus.
Jam nunc secanda vita nos longæ spei
Subtemen ordiri vetat.

Vitale quotquot lucis vnius iubar
Afflauit, vna nox manet.
Nullum vrna nomen excipit capax, neque
Mors præterit celsum caput:
Non sceptra adorat, non lacertoso impete
Retunditur Dei Getæ:
Non suada rigidam mulcet eloquio necem,
Non diues auro fascinat.
Soccos cothurnis, scepera sarculis, Ducum
Trabeas adæquat pænulis.
Seu vernet ætas flore primæuo inclyta,
Seu margine occiduo labet,
Seu stirpe Regum, siue plebeâ sati,
Letho paramur victima.
Vbi nunc Adamus generis humani sator?
Grauesque lustris posteri?
Vigore quamuis pluribus sæclis pares,
Fato fuerunt impares.
Quos mentiuntur fabulæ Diuûm genus,
Non subtrahunt mortis iugo.
Quis nescit Oetam nobilem Alcidæ rogo?
Hunc stemma non texit Iouis.
Stygio fluento tinxit Æacidem Thetis,
Nulli vt pateret vulneri:
Paridis tamen, fuisse mortalem, docent
Excussa neruo spicula.
Sic quidquid ortum est, fata sub leges necis,
Et Parca non parcens vocat.
Nec imminuti sæcla Tithoni omnibus
Indulget, aut Pylij senis:
Momenta pænè singula ancipites habent.
Quid ad perennis computum

Vitæ vocamus crastinum aut perendinum?
Vix hora calculis datur.
Hunc, quem dicamus, mortis immemores, iocis,
Cum morte partimur diem.
Ergo quod horæ superat in lucris habens,
Et vana damnans gaudia,
Tandem execrandis statue sceleribus modum,
Nec fræna des licentiæ.
Dum res, & ætas, dumque blanda Numinis
Inuitat indulgentia,
Moriendo vitiis præueni instantem necem;
Et ne occuperis, occupa.

PROSA EXEGESIS.

QVIS autem non omni studio atque industriâ occupet hanc fatalem necessitatem, qui norit, mortem naturæ legem esse, & ineuitabile mortalium tributum; qui seriò expenderit, rigidum hoc tributum ad nutum Auctoris naturæ nullâ certâ præstitutâ die pendendum; qui denique exploratum habuerit, vt longissimas vitæ paciscatur inducias, longas tamen esse non posse.

Et quidem fatalis huius necessitatis se nemini gratiam esse facturam, natura testata est, quæ nouam indies ante oculos nostros notorum ignotorumque funebrem ducit pompam. *Omnibus morien-dum.*

Quid, quòd ne ab illis quidem abstinuit manum, per quos olim populus iurare consueuerat, Principes dico, ac Deos? Vbi nunc Seianus ille sub Tiberio magnus, cuius fortuna voti mensura videbatur? Vbi potentissimi orbis Monarchæ, qui gentis suæ dominatum ad summum imperij culmen euexerunt, apud Babylonios *etiã Principibus.*

& Monarchis, lonios Nabuchodonoſor, apud Perſas Cyrus, apud Græcos Alexander, apud Romanos Auguſtus? Nunc etiam mauſolæa ipſorum in rudera terramque dilapſa ſunt, nedum vt maſſa carnea ſuperſtes eſſe potuerit.

etiam iis qui olim inter Deos numerati. Quid illos producam, quos aris, ac fanis, & omni diuinitate Gentilitas conſecrauit? Ne illi quidem, qui per eorum numen iurabant, eorumdem ſepulchra nos latere voluerunt. Nam & in Cretâ Iouis ſepulchrum Arnob. l. 4. & 8. Contra Gentes. coluerunt, & in Spartanorum ac Lacedæmoniorum finibus terræ mandatos Caſtores, & in Siciliâ tumulatum Saturnum, & in Ægypto Iſidem ac Oſirim, & in Oetâ redactum in fauillas Herculem, memoriæ prodiderunt.

Sed nihil miremur eos communi fato occubuiſſe, quos ſtulta Græcorum cælo tranſcripſit opinio, cùm ne illis quidem impunè naſci contigerit, quos Chriſtiana pietas æternitati conſecrauit. *Etiã Chriſtus ſe morti ſubiecit.* Sed quid ego hæc diſputo, cùm Chriſtus ipſe Dei Filius, cui in omnes vitæ mortiſque imperium fuit, ſe mortis legibus non ſubduxerit?

Maneat igitur hoc animis noſtris infixum, quidquid ortum habet, ad occaſum ſpectare; quidquid natum eſt, oportere denaſci. Quod vt faciliùs animis noſtris obPlutarc. in Romulo. uerſetur, frequenter vtamur ſymbolo illo, quo Romulus olim vſus eſt: qui cùm Pop. Romanum in centurias di*Vitæ humanæ fragilitas.* uideret, ſingulos ſingulis centuriis viros præfecit, qui manipulum fœni conto affixum geſtarent. Sed cur fœLuc. 12, 18 num potiſſimùm adhibuit, *quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur*; niſi vt hoc ſymbolo vitæ fragilitatem & incertitudinem nobis adumbraret? Quid enim Deo facilius, quàm fœnum noſtrum vnico nutu in fumum ac fauillam redigere? Quod ſi fecerit, quis de iniuriâ cum infinitâ illâ maieſtate expoſtulabit? quis ius poſſeſ-

possessionis obtendet? Certè impudentis animi sit, indignari inde se exire, quò admissus est precario. Mali nominis debitor est qui mutuum repetenti moras nectit. Et quis ignorat, iure debitum à nobis reposci, cui neque tempus fœnebre, neque Kalendarum terminus præscriptus est? Quis est, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? *Mors debitum exigit.*

At, inquies, ante tempus mori, miserum est. Pellantur istæ ineptiæ & querelæ plusquam aniles. Quod enim est illud tempus? Naturæne? at ea quidem dedit vsuram vitæ tamquam pecuniæ, nullâ præstitutâ die. Quid est igitur quòd querare, si repetit cùm vult? eâ enim conditione acceperas. Cicero in Catone Maiore, & Tuscul. 1. *Nullum morti certum tempus.*

Quæ verò ætas longa est? aut quid omnino homini longum? Nónne modò pueros, modò adolescentes in cursu à tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus? Bestiolas quasdam, ait Aristoteles, & ex illo Cicero, circa Hypanim fluuium reperiri, quæ oriente Sole nascantur, occidente occidant; vnde Ephemeræ dicuntur. Harum quæ ad sextam horam diei, id est ad meridiem peruenit, iam maturæ est ætatis: si quæ ad nonam, id est tertiam pomeridianam pertigerit, iam vetula moritur; si qua verò ad ipsum Solis occasum, hæc planè decrepita. *Nulla hic ætas longa.* Cicero Tuscul. 1.

Ridicula sunt isthæc, dicet aliquis. Sit ita verò, dummodò non minùs ridiculi censeantur illi, qui ad æternitatem atque immortalitatem nati, in his tantis mortalis vitæ angustiis longam, prouectam, decrepitam ætatem somniant. Plus dico: adsit aliquis primæuæ mortalium ætatis admirator, vincat ipsum humani generis parentem annorum numero, totumque die fatali expleat millenarium. Quid si nunc hesternæ diei ephemeram

meram cum hoc beatulo comparauero ? Explodar proculdubio, nisi diuinum Vatem in testem citauero. Dic igitur Rex sanctissime, quid videtur ? *Mille anni*, inquit, *ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præterijt.* O vanitas ! Quid est vita nostra ? *Vapor est ad modicum parens.* Quid est vita nostra ? *Quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra.* Quid est vita nostra ? Instar fragilis telæ, quæ vix inchoata, à texente succiditur. Denique quid est vita nostra ? Nihil aliud quàm vmbræ somnium, ludus fortunæ, spolium temporis, trutina calamitatis.

Psal. 89, 4.

Iac. 4, 14.

Vita humana quid.

Iob 14, 2.

Isaiæ 38.

Est hæc Philosophia fructu inprimis & effectu prægnans : quæ si frequenter oculis nostris animisque obuersaretur, præclara nobis in omnem vitam documenta suggereret. Primùm enim, si tam fragilis & fluxa est hæc vita mortalis, quid in eâ, tamquam in æternitate, longam aut curarum, aut honorum, aut voluptatum seriem disponimus ? quid rebus perituris tanto affectu adhæresçimus ? Præclarè monent sapientes, vt in vitâ agendâ appetitum omnem, quantum fieri potest, auferamus aut circumcidamus. In vnoquoque eorum, inquiunt, quæ iucunda sunt, vtilia aut chara, aduerte quale sit quod amaueris. Si vitrum diligis, dic, Vitrum diligo ; sic eo confracto minùs hoc damno percellêris. Si filium diligis aut vxorem, dic, Hominem diligo ; ita, cùm naturæ debitum persoluerint, infracto animo iacturam feres. Prudenter igitur religiosissimus Imperator Ferdinandus, cùm eximium Venetorum donum, vitream scilicet arcem, à Cimeliarchâ postulasset, vt Magnatibus quibusdam ostenderet, & ille trepidus pallidusque tergiuersaretur, fractamque tandem fateretur, leniss imè respondit : Nihil est quòd perturberis, vitrea erat.

Varia ex vita fragilitate & mortis certitudine documẽta.

Affectus fragili vitæ non adhæresçat.

erat. Vtinam hoc in omni mœsto ac inopinato casu meditentur homines, dicantque quod antè ex Laberio de fortunâ diximus,

Fortuna vitrea est, quæ dum splendet frangitur. Laberius.

Dicamus & nos:

Hæc vita vitrea est, quæ dum splendet frangitur.

Alterum documentum, quod hinc elicimus, & ad rem præsentem propiùs accedit, hoc est: si fatalis omnibus incumbit necessitas, si ne momenti quidem vnius possessionem firmam ac stabilem tenemus, si tam angustis limitibus vitæ nostræ spatium circumscriptum est; quâ fronte audet vilissimus terræ vermiculus, imò cineris pugillus, mox inter reos ac facinorosos extremo tribunali sistendus, supremum Iudicem lacessere, eius numen sugillare, prouidentiam explodere, & æqualia bonis malisque in terris præmia criminari? Quò tendis vaga mens? & quid tibi vis per hanc curam curiosam? tangere cælestes illos affectas ignes? liquescès æternæ illius flammæ incendio. Scandere in arcem diuinæ prouidentiæ? tantò periculosiùs rues, quantò magis inaccessa & abrupta tentaueris. Vt papiliones & minuta quædam animalcula vespere lucernæ lumen idemtidem circumuolant, donec amburantur, sic humana mens lasciuit circa arcanam illam flammam. Si hospes aliquis arbitrari leges aut instituta patriæ tuæ velit, silere eum iubeas & facessere, quia non capit: tu terræ huius incola temerè damnabis ignotas cæli leges? tu opus, conditorem? tu reus, iudicem?

Tam fragilis homuncio iamiam moriturus non obtrectet Deo aut eius prouidentiæ.

Lipsi. lib. 2. de Constant. c. 12. 13.

Tertium documentum, quamuis huic loco accommodatissimum, verbo perstringam. Si momentis singulis morimur, si posterior vitæ pars priorem premit & perimit, donec & ipsa pereat; quî fieri potest, vt in om-

Mortis meditatio à peccatis coërcet.

ne flagitium proni ruant improbi? certè qui omnem diem postremum sibi credit diluxisse, facilè abstinebit à scelere mentem & manum: & qui secum ipse reputat, quàm multos in medio scelere mors occupauerit, aut in ipso conatu meditati sceleris oppressérit, facilè impiorum funestos exitus perhorrescet. Certè nemo prudens inter Oceani fluctus in tabulâ ludit: nemo ab ingenti præcipitio pendulus scelera meditatur: nemo inter hostes hilarescit inermis. Stolidior his est, qui in perpetuo mortis metu, omni momento dubius ea audet, quæ infelicem adferent æternitatem. Beatus qui hæc assiduâ meditatione præcipiens, in omnem profuturis æternitatem consiliis momentaneum vitæ tempus impendit.

Scribanius lib. 1. Politic. c. 27.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 4. Melior est canis viuus leone mortuo.

5. Viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltrà mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum.

6. Amor quoque, & odium, & inuidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere quod sub Sole geritur.

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

In iurioso quid pede profuit
Calcasse Diuûm iura potentibus?
Cælumque sacratasque leges
Sacrilegâ temerasse dextrâ
Orbis toparchis? Quid Venerem & iocos
Captasse, & ignei tela Cupidinis,
Aut per voluptatum vireta
Indomito volitasse collo,
Si quando fatis præda rapacibus,
Vitæque & almi lumnis exules,
Vulgique consortes silentum
Tænarias habitant cauernas?
Quantò hac leonum sorte beatior
Vilis catellus, sanguine pauperum
Cretus parentum, cui vigore
Pleno animæ vegetantur artus?
Quicumque vitæ munere vescitur,
Necessitatis dum reputat vices
Supremæ, ineluctabilisque
Tela videt cuneosque fati;
Labentis æui præcipites catus
Dispensat horas, & scelerum abstinens,
Heroïcos virtutis actus
Innocuæ monimenta vitæ
Æternitati consecrat atheris,
Maior sepulchro. Hæc est sapientiæ
Medulla prima, vim ferocis
Consilio domuisse lethi.
Hoc fonte vitæ manat amœnitas,
Morumque candor, famaque postuma,

Et præmium æuiternitatis
Siderei diadema ſerti.
Non illa ſperant munera, Tænari
Quos in cauernis horrida nox premit
Non expiaturos furorem
Heu lacrymis petulantis æui.
Neglecta ſerò præſidia occupat,
Vitæ prioris qui palinodiam
Poſt frigidas buſti fauillas,
Et cineres meditatur vrnæ.
Jam nec labori præmia poſtumo,
Nec pulchra Marti reſtat adorea,
Nec grata virtutem coronat
Laurea poſt tumuli cupreſſos.
In vota quamuis cor tibi ferueat,
Fruſtraque neruos ruperis ingeni;
Obliuionis cuncta vaſto
Merget Agonothetes profundo.
Non ardor illis, quos tumulat ſopor
Fatalis, ægro pectore concitos
Frænare motus, aut furore
Condere perdomito trophæa:
Non prurientes Idalidis labor
Vitare flammas: non odium pio
Vlciſci amore: non tumentes
Inuidiæ ſuperare fluctus.
Pars nulla caßis lumine traditur
Orbis theatro: nil tribuit chorus,
Nil mimus, aut orcheſtra vitæ,
Nil Thymele, podiumque ſcenæ.

PROSA EXEGESIS.

CONTENTIONEM hanc, quam inter canem viuum & leonem mortuum instituit Ecclesiastes (quando tam præclara vitæ documenta continet) paulò explicemus enucleatiùs. Primùm itaque canem, humile, mansuetum, domesticum animal, superbo præfert ac truculento leoni; homines inquam mansuetos ac per omnia Dei nutibus obnoxios, superbis illis Numinis contemptoribus, & ad omne flagitium proiectis. quod vtique Deo familiare semper fuisse, à parente didicerat, cuius hæc verba memoriâ tenebat: *Excelsus Dominus, & humilia rèspicit, & alta à longe cognoscit.* Quod Isaias luculentè confirmat, apud quem Deus ita superbis illis Israëlitis Maiestatem suam exaggerat: *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi?* cuius pretij existimatis marmoreum istud orbis miraculum? aut *quis est iste locus quietis meæ?* nónne *omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista? Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

Deus humiles & modestos præfert superbis & arrogantibus.

Psal. 137, 6

Isaiæ 66, 1.

Deinde viuum canem cum leone mortuo confert, quia tum maximè apparet, quàm nihil profecerit diuitibus superbia, aut leonina ac sanguinaria in pauperes truculentia, voluptatumque ac libidinis impunitas, dum contemptu ac malitiâ distenti crepant tandem, ac infelicem animam æternis cruciatibus laniandam profundunt. Iniustus enim quilibet, ait Magnus Gregorius, eò atrociùs in tormentis obruitur, quò altiùs in peccatis eleuatur. Transit, quod extollitur; permanet, quod punitur: & quasi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit.

Mors docet quàm vana fuerit superborum truculẽtia.

Gregor. in lib. Moral.

Humiles superborum supplicio sapiunt.

Quid verò despectus atque humilis catellus superborum supplicio superstes? Ab hac sorte vindictæ diuinæ exemptus impiorum ruinam non absque fructu contemplatur: tum quia læsæ Maiestatis diuinæ suppliciis acquiescit, tum etiam quia ex impiorum pœnâ, quid fugere, quid sequi debeat, agnoscit.

Viuentes discunt mori, mortui serò sapiũt.

Tertiò illud etiam discrimen Ecclesiastes innuit, quòd viuentes, dum assiduè cogitant se esse morituros, & viuere discunt, & mori. Mortuis autem sera nimis est vita crastina, ad quam non perueniunt, mortis autem conditio irreparabilis.

Mortis meditatio, Philosophiæ cõpendium.
* mortis meditatio. Apuleius.

En quàm præclarum paucis verbis nobis exhibet Philosophiæ compendium, quæ nihil aliud Græcis est, quàm * μελέτη θανάτου. Nihil enim æquè curandum est Philosopho, ait Apuleius, quàm vt semper studeat animam à consortio corporis separare. & ideò existimandum est, Philosophiam esse affectum consuetudinemque moriendi. Quid est autem animam à consortio & contagione corporis sequestrare, nisi compressis, ac sub iugum missis cupiditatibus congruenter rectæ rationi viuere?

Ars benè viuendi & moriendi præstantissima, sed difficillima. Lipsius in Senec. de Breuitate vitæ.

Ars proculdubiò præstantissima, sed nullius rei difficilior est scientia. Professores aliarum artium vulgò multi sunt: quinimò quasdam ex iis ita pueri percepe-runt, vt etiam præcipere possent. L. Valerius Pudens annorum XIII. certamine sacro Iouis Capitolini inter Poëtas omnibus iudicum sententiis coronatus est. At verò viuere totâ vitâ discendum est: aut, si mauultis, totâ vitâ discendum est mori. Tot maximi viri, relictis omnibus impedimentis, cùm diuitiis, officiis, voluptatibus renuntiassent, hoc vnum in extremam vsque ætatem egerunt, vt viuere scirent.

Sed

Sed inter omnia præcepta nullum magis directè in scopum nostrum collimat, quàm vt diebus singulis quasi iudicio sistendi rationum nostrarum summam calculosque subducamus. Itaque sic ordinandus est omnis dies, tamquam cogat agmen, & consummet atque expleat vitam. *salutare præceptum, omnē diem velut vltimū intueri.*

Pacuuius, qui Syriam continuato imperio suam fecerat, cum vino & funereis epulis non sibi magis quàm luxuriæ parentauerat, sic in cubiculum efferebatur à cœnâ, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur, * Βεβίωκε, βεβίωκε. nullo non die se extulit. Hoc quod ille ex malâ conscientiâ faciebat, nos ex bonâ faciamus, & in somnum ituri, læti hilaresque dicamus: Seneca Epist. 12. * Vixit, vixit. *Quotidie dicendum est Vixi.*

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi. Virgil. li. 4. Aeneid.

Crastinum si adiecerit Deus, læti recipiamus. Ille beatissimus est, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixi, quotidie surgit ad lucrum.

Quartò hoc etiam interest inter viuentes & vitâ functos, quòd viuentibus demerendi Numinis tempus, & spiritualis mercatûs opportunitas conceditur; *mortui* verò *non habent vltrà mercedem*, *quia* in remuneratione bonorum operum *tradita est obliuioni memoria illorum.* Constans est magnorum Theologorum sententia, tempus meriti mortalis vitæ limitibus circumscribi. Iam nundinæ celebrantur: nisi tempore vtamur, elapsam è manibus occasionem serò deplorabimus. Operamini *donec dies est*, inquit Christus, *venit nox quando nemo potest operari.* Ioan. 9. 4. *Viuentes gratiam & gloriam mereri possunt, non item mortui.*

Expendit hoc momentis suis, vt decuit, eximius in Christianâ Philosophiâ D. Bernardus, dum ait: Nihil pretiosius est tempore, &, heu! nihil hodie vilius inuenitur. Transeunt dies salutis, & nemo recogitat corde. Bernardus Serm. ad Scholares. *Temporis ratio habenda.*

Licet

Licet fabulari, inquiunt, donec hora prætereat. O quid ais, Donec prætereat hora? quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio conditoris indulserat. O quid ais, Donec transeat tempus? quo diuinam propitiare debueras pietatem, suspirare ad amissam hereditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. Quid plura? hoc ipsum tempus est, quod amplissimam gloriæ segetem ac materiam subministrat, in moderandis cupiditatibus, vt & amoris illiciti flammæ castitatis antidoto suffocentur, & odium beneuolentiâ, inuidia fauore nitescat. O quàm nobili & immarcescibili coronâ hæc virtutũ exercitia in hac vitâ supremus Agonotheta remuneratur!

Damnati nec passiones cohibẽt, nec, si cohibere velint, quidquam merentur.

At vitâ functis nulla in his passionibus edomandis exercitatio, nulla pars laudis aut meriti relinquitur. Quid ergo? nullâsne persentiscunt flammas libidinum? quinimò potissimus hic est æterni incendij fomes. Nullísne stimulantur odiis? profectò vltricem Dei manum cane peiùs & angue execrantur. Nullâne contabescunt inuidiâ? certè hoc vnum suorum cruciatuum solamen comminiscuntur, si cuncta secum eâdem ruinâ viderint obruta. Sed nec has similesque passiones domare studeant, & siquid in edomandis passionibus studij adhibere voluerint, id omni mercede frustrandum: *quia*, vt ait Ecclesiastes, *tradita est obliuioni memoria illorum.*

Quânam ergo sorte apud te censentur, ô Deus? Non aliâ sanè quàm *sicut vulnerati* multiplici cupiditatum plagâ. *Sicut vulnerati*, inquam, *dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tuâ repulsi sunt.* O sors calamitosa, sequestrata ab omni fructuosâ

Psal. 87, 6.

mor-

mortalium functione! O miseri! quibus neque contra passiones suas & indomitas cupiditates certantibus virtutum præmia supremus proponit Agonotheta, neque, si vel amplissima proposuerit, istiusmodi certamen adlubescit.

Quare dimissis superbis illis leonibus, & contemptis diuinæ prouidentiæ contemptoribus, ad humiles catellos reuertamur, eosque soluto animo atque hilari esse iubeamus: quibus neque confusa hæc rerum humanarum perturbatio offendiculo est, neque mortis assidua meditatio alteri vsui, quàm cupiditatibus edomandis, animoque virtutibus excolendo, subseruit.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 7. Vade ergo & comede in lætitiâ panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: [a] quia Deo placent opera tua.

[a] LXX. & *Campensis*: quia iamdudum cõplacuerunt.

8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.

9. Perfruere vitâ cum vxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub Sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vitâ, & in labore tuo, quo laboras sub Sole.

METRICA PARAPHRASIS.

QVICVMQVE *indomitæ necis*
Prudens vulnera prospicis,
Et ludibria temporum,
Et sortis dubiæ vices
Justo examine pensas;
Si virtute præoccupans
Vitæ præcipitem fugam,
Mystes lustitiæ litas,
Et mystes Sophiæ litas
Casti cordis honore:
Vt post fata beatiùs
Viuat pars melior tui:
Et quidquid tumulo est super,
Heres fama per æthera
Vectet præpete penna
Tandem corde solutior,
Securusque operum Dei
Frontis nubila discute:
Iamdiu quæ geris approbat
Summi Iudicis vrna.
Cunctis dicita ferculis
Cœnas gaudia condiant,
Et festas hilarent dapes:
Euge! quæ geris approbat
Summi Iudicis vrna.
Euge! lætitiæ parens
Plena fusus amystide
Curas dissipet Euhyus,
Quando quæ geris adprobat
Summi Judicis vrna.

Præli

Prælı munere ſplendidas
Promat arcula ſyntheſes,
Omni feſta nouans die,
Quando quæ geris adprobat
Summi Iudicis vrna.
Crinem tingat amaracus,
Spirent Sidonio genæ,
Stillent cinnama perpetim:
Euge! quæ geris adprobat
Summi Iudicis vrna.
Quis te, quis pauido metu, aut
Triſti nube ſupercıl I
Coget rumpere gaudia,
Quando quæ geris adprobat
Summi Iudicis vrna?
Non te, ſi triſidâ face
Terras concutiat fragor,
Mentis deiiciat ſtatu,
Quamdiu quæ geris adprobat
Summi Iudicis vrna.
Ergo viue ſerenior
Cum charâ tibi coniuge,
Quam caſtis thalamis Hymen
Caſtis iunxit amoribus
Lectam è millibus vnam:
Blandi connubij memor
Vitæ ſiſte volubilis
Dulci lætitiâ rotam,
Cùm iam quæ geris adprobet
Summi Iudicis vrna.
Vitæ mobilis orbita
Quamuis nubigenâ face

Et perniciùs alite
Vento præcipitet fugam,
Lætos exige Soles.
Quamuis vita reciprocis
Semper fluctuet æstibus,
Vt Phœbi instabilis soror
Torquet æquora Nerei;
Lætos exige Soles.
Quamuis ludicra vanitas
Sit vita, ac tenuis vapor;
Soles exige candidos,
Quamdiu quæ geris adprobat
Summi Iudicis vrna.
Hæc sub Sole laboribus
Merces grata rependitur,
Mortalisque beatitas:
Quæ, dum carcere claudimur,
Vitæ tædia pensat.
Hac tu (dum tumuli memor
Te virtutibus excolis)
Quin fluctus animi domas,
Quando quæ geris adprobat
Summi Iudicis vrna?

PROSA EXEGESIS.

SI quis huius temporis nouatorum illotis, vt dicitur, manibus, soccisque lutulentis in hunc sacræ Paginæ locum irruerit, is profectò iudicabit, aut Epicurum hîc aliquem insanientis suæ sapientiæ candidatis præcepta tradere, aut Sardanapalum aliquem philosophari, qui hoc solum in lucro ponebat quod voluptati impenderat; cetera mortalium ne cassâ quidem nuce redimenda cense-

censebat. Quid enim potius arbitrarentur homines, qui carni & cupiditatibus patrocinantur, & superficie litteræ arcana Dei mysteria metiuntur?

Sed absit vt Ecclesiasten, id est Oratorem & Concionatorem diuinum, Cyrenaicæ philosophiæ doctori comparem, aut Heliogabalo nescio cui naturæ monstro, qui post mille fastidientis palati commenta, nauseante nihilominùs adhuc stomacho, ingenti mercede propositâ in excogitandis nouis obsoniorum condimentis, parasitorum suorum exercebat ingenia.

Cuius genij si quem vestrûm esse, aut id sibi persuadere existimarem, obiicerem illud, quod in promptu est, D. Augustini antidotum: Quære bonum tuum, ô anima Christiana. Summum bonum, hoc est bonum tuum. Quære ergo bonum tuum. Quid illi deest, cui summum bonum bonum est? Sunt & inferiora bona, quæ aliis atque aliis bona sunt. Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, carere indigentiâ, viuere, & gestire? Tale tu bonum quæris? Cohæres Christi quid gaudes? quia socius es pecorum? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Oblectamenta quæris? Hinc solum & solidum gaudium, quod cùm possederis, nemo à complexu tuo diuellet. Cui, vt ait Bernardus, omnis aliunde iucunditas comparata mœror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quod delectare possit, molestum. Hæc, inquam, obiicerem, si quid hîc esset quod Cyrenaicam disciplinam redoleret.

Bonum animæ quærendum. Augustinus in Psal. 102.

Bernardus Epist. 114.

Sed profectò non ea mens est Ecclesiastæ, qui cùm in fronte ptopemodum huius Operis dixisset; *Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis*, continuò subiecit: *Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas. & gaudio dixi: Quid frustrà* Eccle. 2, 1.

Ecclesiastes non vitam Epicuræã, sed securam mentẽ commendat.

deciperis? Cùm igitur crebra nobis cibi potusque fercula proponit, cùm oleum & vnguenta redolet eius oratio, cùm quotidianum splendidæ vestis vsum præscribit, non id agit, vt distentâ cute, & constipato ventriculo vix anhelo spiritu continuam ructemus crapulam, non vt cum Vitellio Romanorum Imperatore totos dies triclinijs affixi discumbamus, & alternis egerendo ingerendoque vino ætatem consumamus. Sed nimirum Allegoria ab iis ducta rebus, quæ sensus externos feriunt, & adagiali quadam loquendi formulâ mentem ab omni curarum tyrannide solutam ac liberam, vitæque tranquillæ numquam interpolatam possessionem ductumque præscribit. Cùm enim quodam loco asserat, securam mentem esse iuge conuiuium, quidni etiam per iuge conuiuium toties nobis commendatum securam mentem interpretemur?

Sueton. in Vitellio.

Prouer. 15, 15.

Itaque non absimile quiddam hîc videre videor illi paradoxo, quod inter cetera fastidientis palati commenta posuit Philoxenus, eas nimirum carnes esse suauissimas, quæ carnes non sint; eosque pisces gratissimos, qui minimè pisces. Sed vt hoc eorum iudicij faciam, quos palato plus sapere quàm corde dicebat Plato; hoc certè in re non adeò dispari fidenter adstruam, nullas epulas suauiores esse, quàm quæ epulæ non sunt; nullum conuiuium gratius, quàm quod minimè conuiuium.

Epulæ illæ gratiores quæ epulæ non sunt.

Vera animi voluptas ex virtute existit.

Hæc est illa solida voluptas animi supra mortalia erecti, hæc verè serena hilaritas, quæ non tetricam frontem remittit, sed contracti pectoris angustias dilatat, nec rugas explicat, sed curas. Quæ sit ista, interrogas, aut vnde subeat? Dicam. Ex bonâ conscientiâ, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex domitis cupiditatibus, ex meditatione mortis, ex contemptu fortuitorum,

Seneca Epist. 23.

torum, ex placido vitæ & continuo tenore vnam prementis viam.

Neque verò peregrinum aut inusitatum est sacris Scriptoribus, internum spiritus sensum ac gustum, & infusam diuinitus voluptatem, cibi potusque symbolis adumbrare. Quid enim aliud sibi vult hoc Euangelicum epiphonema: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei?* Cui consentanea scribit Propheta Regius, cùm ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Luc. 14, 15. Psal. 35, 9.

Ac tantumdem de spirituali voluptate iustorum in hac vitâ mortali degentium sancti Patres simili formâ verborum extulerunt. Sic enim de orationis oblectamentis loquitur S. Bernardus: Orando bibitur vinum lætificans cor, vinum spiritus, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem. Eodem similitudinis cortice tranquillæ conscientiæ nucleum inuoluit Chrysostomus. Quid tibi de præsentibus, inquit, iucundum videtur? nónne lauta mensa? nónne diuitiæ? hæc tamen suauia, si interiori voluptati comparentur, amara videntur: nihil enim suauius bonâ conscientiâ. Bernardus Serm. 18. in Cant. *Orationis voluptas.* *Conscientiæ tranquillæ suauitas.* Chrysost. Hom. 63. ad Populũ.

Denique ad istiusmodi voluptates sic inuitat Augustinus: O si potiora gustent ij, qui volentes gaudere forinsecus facilè euanescunt, & effunduntur in ea quæ temporalia sunt, & imagines eorum famelicâ cogitatione lambunt! O si fatigentur inediâ, & dicant: Quis ostendet nobis bona? Quid autem ostenderes, Augustine? Quoniam tu mihi Domine dulcescere cœperas, & dederas lætitiam in corde meo. Augustinus li. 10. Confess. c. 6.

Ad similes igitur internas oblectationes, &, qui fructus est bonæ conscientiæ, serenitatem animi inuitat eos Eccle- *Ecclesiastes ad serenitatem animi inuitat.*

Ecclesiastes, qui assiduâ mortis meditatione, crebrisque submissionis ac mortificationis exercitiis vitam suam Deo probarunt. *Vade*, inquit, *comede in lætitiâ panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua. Omni tempore vestimenta tua sint candida, & oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vitâ cum dilectâ tibi coniuge*. & si quæ sunt alia tranquillæ vitæ serenæque symbola.

Moderatè interdum genio licet indulgere.

Quamquam nihil vetat hîc litterali sensu moderatas etiam corporis recreationes, & vera gustûs oblectamenta commendari. nulla enim suadet ratio, qui Deo chari sunt, eosdem miseros esse oportere. Nemo virtutem inediâ atque egestate damnauit. Quinimò Deus ipse, cùm rudi Hebræorum populo, rebusque externis affixo, leges & instituta præscriberet, quoties sacris operati fuerant, toties ferè hilariter eos genio indulgere iubebat; ita vt in solo Deuteronomio septies, aut eo ampliùs, hæc verborum formula reperiatur: *Epulabimini coram Domino. Et adorato Domino Deo tuo epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.* Cui enim potiùs (adhibito semper rationis moderamine) Dei dona subseruiant, quàm ei, quem inculpatæ vitæ merito, paterno præ ceteris affectu curaque complectitur? Aut quorsum vir iustus ac sapiens, cuius labores diuina bonitas centuplici messe cumulauit, à fructu laboris sui tamquam à sacris abstineat manum, geniumque defraudet? vix enim alium in hac vitâ mortali fructum nobis pariunt hæc quæ vocantur fortunæ bona. Sed ne quis existimet, hominem voluptatibus tamquam balneo se posse immergere, totumque in cute curandâ studium collocare, saluberrimum huic persuasioni obiecit antidotum.

Deuter. 26.

SECTIO

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 10. Quodcumque facere potest manus tua, [a] instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

[a] *Veneta:* fac pro virili. LXX. prout virtus tua.

METRICA PARAPHRASIS.

Dvm canæ gremium gelu Cybelles
Riphæis Aquilonibus reuincit,
Et vellus tacitæ ruens aquaï
Plantas supprimit aridis sub vndis,
Frustrà lilia candidis labellis,
Iridemque, rosamque, calthulamque,
Narcissumque, & amaracum requiras.
Dum nox lurida nubiloque vultu
Terris omnibus abstulit colores,
Et silent fora, curiæque murmur,
Et vanis Icelon, volans per vmbras,
Somnos ludificat leues figuris,
Frustrà rauca negotiationis
Solus compita, MercurIque calles
Pernox exigui procus lucelli
Nocturnâ terat ambulatione.
Tu, si quid sapis, incubasque lucris,
Si rerum satagis catus tuarum;
Ne dum temporis incitæ flagello
Phœbi præcipitant fugam quadrigæ,
Nox te somnifera occupet, caueto:

Nox ſalutiferis iniqua curis,
Nox delenifico inuidens lepori,
Fluxæ gaudia demetens iuuentæ.
Viue, dum pote, quæſtuíque ducas,
Quod præſens tibi dedicabit hora.
Sera eſt craſtina vita, viue iam nunc:
Et fati memor, inclytos labores,
Condendos Sophiæ penu labores,
Virtutum obſequio ſacros labores
Non ſegni propera manu: tibíque
Famæ materiem, viaticumque
Morti congere, poſtumisque ſæclis;
Et vitæ decus occipe æuiternæ.
O quantum eſt hominum beatiorum!
Quid cordatius hoc beatiusque eſt,
Qui leni zephyro citatioris
Dextra temporis arripit capillos?
Optatis inhians propola lucris
Signat tempora nundinationis:
Tu quin mercibus impleas phaſelum,
Antè quàm fugitiuus orbis exul
Ad manes properes inane vulgus?
Non illic operi repoſta merces,
Non menti ratio facem miniſtrat;
Non ornat Sophiæ iubar clientes,
Non virtus meritis nefas adæquat,
Aut vllam ſceleri facit medelam.
Non ſi millia mille lacrymarum,
Deplorabiliumque lacrymarum
Luctus è ſcatebris gemens profundas,
Et tot millia mille lacrymarum,
Quot rores Hyadum cadunt ocellis

Verna

Verna in gramina, gemmeosque campos,
Noxas elueris prioris æui.

PROSA EXEGESIS.

SI ad metam huic mortalitati præstitutam fatalis nos vrget à tergo necessitas, eoque magnis passibus contendimus, vbi neque promerendæ in posterum gratiæ ac misericordiæ diuinæ, neque amplificandæ virtutum accessione gloriæ, facultas vlla fit reliqua; cuius socordiæ tandem est, vel potiùs dementiæ, ignauiâ dissolui, voluptatibus obbrutescere, plausibiles nugas, vanaque ingenij oblectamenta sectari, denique aut inerti otio computrescere, aut otio deterioribus distringi negotiis? Etiamsi multum supereset ætatis, parcè tamen dispensandum erat, vt sufficeret necessariis. Quænam ergo tam stolida lubentia est in hac temporis egestate, angustissimisque vitæ terminis in ludicra & superuacua maiorem eius partem erogare? *Mors imminens monet vt tempus vtiliter expendamus.* Vide Senecam Epist. 49.

Quis non insanire existimaret eum, qui cùm arietes portas sternerent, hostilia in muris tela vibrarent, ipsum solum suffossionibus & cuniculis tremeret, neglecto tam præsenti periculo, aut otiosus desideret, aut muscas cum Caligulâ captaret? Si quis stertentem te ad incendium domus tuæ iam iamque totis tectis erupturum vocaret, an conuerso in alterum latus corpore, nouo somno velificares? an non potiùs è lecto exiliens omni sedulitate, restinguendis ignibus temet impenderes? Atqui non minori in periculo versamur quotidie, neque segniori passu vitæ nostræ vestigia in exitium nostrum armata mors premit. *Homines ignaui præsens mortis periculum negligunt.* Sueton. in Caligulâ.

Errat qui in nauigatione tantùm existimat minimum esse, quo vita morsque disterminantur. Sed & nimium *Mors omnibus imminet.*

assignat spatij, qui duorum digitorum tabulam interesse pronuntiat. In ipsis visceribus corporisque penetralibus mortem subinde circumferimus. Denique nimis angustis limitibus vitæ pericula circumscribit, qui maris fluctibus ea contineri censet: in sicco tempestates nos quandoque excipiunt, & fluctus intra domesticos parietes, haud paulò marinis sæuiores.

Quid igitur consilij? Verbo complectar. Nescis quo loco te mors expectet: tu igitur eam omni loco expecta. Nescis quis tibi supremus vitæ futurus dies: tu igitur omnem tibi supremum crede diluxisse; & tamquam si huius vnius vsura tibi concedatur, *quodcumque poterit manus tua instanter operare:* vel, vt alij vertunt, *fortiter & efficaciter operare:* & quia nescis quamdiu superfuturus sis, etiam *constanter operare.*

Omnis vita dies tamquam vltimus habendus.

Tria igitur in opere nostro requirit Ecclesiastes, celeritatem, virtutem, & constantiam. Celeritatem commendat ipsius meriti ac mercedis bonorum operum conditio, quam huius præsentis, id est momentaneæ vitæ angustiis limitatam, magni nominis Theologi censuerunt, & è sanctis Patribus D. Hieronymus, dum ait: Tempus sementis, tempus præsens est: vbi occiderit hæc breuis lux, benè agendi tempus præteriit. Et Nazianzenus vitam hanc ait instar esse nundinarum, proindeque priùs vtendum occasione, quàm mercandi tempus elabatur.

Celeriter virtuti incumbendũ, & occasione vtendũ.

Hieron. in cap. 6. ad Galat.

Nazian. in Iambicis.

Sed nimiùm oscitantibus indulget, qui vitam hanc ait instar esse nundinarum: habet enim aliquid nundinarum indictio præsenti vitâ præstabilius; certo enim statutoque dierum numero & indicuntur & celebrantur: facile est autem, quamuis exiguum, fructuosè dispensare quod certum est; illud occupandum

est

est diligentiùs, quod nescias quando deficiat.

Itaque maxima vitæ iactura dilatio est. Ibit quà cœpit ætas, nec cursum suum aut reuocabit aut supprimet: nihil tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suæ; sed tacito pede, vt ait Poëta, labetur. Quid igitur cunctaris? quid cessas? Nisi occupas, fugit: & cùm occupaueris, nihilominùs fugiet. Itaque cum celeritate temporis, vtendi velocitate certandum est: & velut ex torrente rapido, nec semper casuro, celeriter hauriendum. Seneca de Breuit. vitæ c. 8. & 9. *Occupandum tempus fugitiuum.*

Si vitæ ad omnem honestatem reformandæ consilia, si virtutum studia, si opera pœnitentiæ in futuram, aut numquam fortasse futuram senectutem distuleris; Deus bonè! quanta voluptatibus ac flagitiis immersum nec opinantem opprimet cælestis vindictæ tempestas! quanta in extremo vitæ margine constitutum incesset desperatio! *Quàm noxia sit dilatio bonorum operum.*

Nihil id opus à me pluribus confirmari, cùm nemo sit, qui ignoret famosum illum, nec vitiis minùs quàm diuitiis nobilem Chrysaorium: qui cùm vitam superbiâ ac libidinibus contaminatissimam duxisset, sanaque consilia auersatus fuisset, morbo ad extrema perductus, cùm exitio suo imminentes vidisset iustitiæ diuinæ satellites, his vocibus frustrà repetitis, Inducias vel vsque manè, Inducias vel vsque manè, ad inferorum supplicia raptatus est. Quid Imperatorem Copronymum commemorem? qui post abominandas libidines, & atroces in Deiparam Sanctosque blasphemias, moriturus exclamauit: Viuens æternis ignibus traditus sum. Et nos in Flandriâ nouimus mulierem veneficam, in quâ ad sanam mentem reuocandâ cùm frustrà sudatum esset, accensâ tandem pyrâ desperabunda ac semiustulata clamauit: Ab his flammis pergo ad flammas æternas. Greg. l. 4. Dialog. cap. 38. Theophanes, Cedrenus, & alij.

Ex quibus hoc primùm conficitur, quàm sit omnis in negotio salutis pernicioſa procraſtinatio. Deinde, hoc etiam impio grauiſſimum ſupplicij genus à Deo infligi, vt internis domeſticisque furiis in deſperationem actus, in morte obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei.

Auguſt. Serm. 72. de diuerſis.

Maneat igitur, quod monet Eccleſiaſtes, antequam è manibus tempus elabatur, inſtandum eſſe operi, vitæq; fugam actionis aſſiduitate ſiſtendam. Nunc alterum etiam eodem auctore requiritur, ne elumbes ſint aut enerues actiones noſtræ, ne remiſſa ſint aut euanida virtutum ſtudia, ne languida & effœta ſalutis deſideria. Sunt enim nonnulli, qui generoſa heroum facinora meditari videntur, & magna de ſe promittunt, ſed cogitationes eorum mera ſunt vigilantium ſomnia. Cùm enim fatalis hora mortalitatis huius ſoporem diſcuſſerit, nihil in illis generoſum, nihil viro dignum reperitur, nullæ perdomitæ cupiditates, nulla de ſeipſis victoria, nullus de mundi faſtu, carnis illecebris, cacodæmonis inſidiis triumphus. Itaque aut Plautino Pyrgopolinici ſimiles ſunt, qui vel ſolo ſpiritu hoſtilem diffflaturus exercitum videbatur, cùm eſſet ignauiſſimus; vel potiùs pictis in tabulâ aciebus, quæ perpetuò ſtrictis mucronibus inuicem minantur, ſed numquam feriunt.

Studia virtutum non languida ſed generoſa eſſe debent.

Plautus Mil. glor.

Sunt alij qui vultu ac verbis pietatem ſpirare videntur, qui cæleſtes animo fouent conceptus, qui melioris vitæ parturitione ſuſpirant. Sed quid ad rem? Semper vterum geſtant. *Venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Quid autem prodeſt concepiſſe, ſi fœtus in vtero ſuffocatur? quid prodeſt animam geſtare deſideriis grauidam, ſi numquam ad perfectionem boni operis ſemianimes illi ac mutili fœtus adoleſcunt? Certè

Iſaiæ 37, 3

Bona deſideria & propoſita ad effectũ perducenda ſunt.

Certè cùm ante tribunal ſupremi Iudicis elumbes illi pugiles, vteriſque piis deſideriis grauidi comparuerint, tantum abeſt vt donatiuum aliquod ſperare poſſint, vt potiùs horrendo illo Væ percellendi ſint, quod effeminatis illis vterum ſemper geſtantibus Chriſtus interminatur, cùm de vaſtitate ac ſolitudine Ieroſolymæ, orbisque excidio vaticinans ait: *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus*. Væ illis animalibus, inquit diuus Hieronymus, quæ non perduxerint genimina ſua, id eſt pia deſideria, in virum perfectum. Matth. 24, 19. Hieron. ibidem.

Quid igitur conſilij hoc potiſſimùm loco ac tempore? Nihil mihi occurrit præſentius, quàm vt illud aſſiduâ meditatione ruminemus, quod ſuggerit Eccleſiaſtes, eò nos vel inuitos rapi, curſuque numquam interpolato properare, vbi nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia in ſpem præmij aut mercedis acceptantur. Hinc enim futurum eſt, vt tantò hîc impenſiùs occaſioni inuigilemus, & ad laudem veræ perfectæque ſapientiæ totis animi corporisque viribus connitamur.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 11. Verti me ad aliud, & vidi ſub Sole nec velocium eſſe curſum, nec fortium bellum, nec ſapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam: ſed tempus caſumque in omnibus.

METRICA PARAPHRASIS.

DVM *Cimmeriis mens cæca ſtupet*
Merſa tenebris, dum ſollicitæ

Tædia

Tædia vitæ, dumque ancipitis
Tædia fati mœsto tacitus
Corde voluto; subijt tristes
Rapidis curas spargere ventis.
Sed dum lassum conuerto caput,
Meque à tetricis auoco curis,
Et nunc his, nunc pascor in illis,
Quæ Phœbeis subiecta rotis
Rutilo Titan lustrat ab axe;
En noua mentem tædia pulsant,
Cerno ancipitis stolido casus
Subdi arbitrio præmia recti:
Ac frustrari plerumque suo
Fine labores. Non qui clarus
Puluere Pisæ leuior Zephyris,
Leuiorque Notis, cursu anteuolat
Fulminis alas, meritâ cingit
Daphnide crines. Nisus quondam
Littore Siculo cursu melior,
Dum præ sociis exultat ouans,
Sanguine rapidos fallente pedes,
Palmæ Euryalo præmia cessit.
Quid Mauortis prœlia memorem?
An magis anceps alea mundo est?
Quoties fortes exosa manus
Palma refugit? Quoties lacrymis
Sors fœdauit bruta triumphos?
Centaurorum magnus alumnus
Phthius Achilles, licet Hectoreis
Truncum exuuiis vestisset ouans,
Paridis iaculo confossus humum
Ore momordit. Quid quòd & Abner

Martius

Martius Heros lauro ſuetus
Redimire comam, cæco foſſus
Mucrone latus, vitam exhauſto
Sanguine fudit? Quid duo referam
Fulmina belli, natum atque patrem,
Gelboa quorum funera planxit?
Heu! nil fas eſt fidere neruis.
An fors Sophiæ potiora manent
Præmia myſtas, aut qui varias
Excoluerunt corda per artes?
En Samuelis deſpecta iacet
Inclyta virtus: & cui cæli
Calculus amplum dedit imperium,
Hunc deſtituit fauor Iſacidum.
Et quot claros Palladis arte
Preßit egeſtas? Et Caſtalij
Quos pulchra chori vehit aurato
Per inane vagum gloria curru,
Hos abſcondit trita lacerna:
Et quos virtus inſerit aſtris,
Affligit humo cura peculI.
O fatorum denſis ſeries
Merſa tenebris! Tantúmne datum eſt
In terrigenas ſorti imperium?
An ſub denſâ fati nebulâ
Ludum hunc terris ludere geſtit
Arbiter orbis?

PROSA EXEGESIS.

ITÀ profectò ſe res habet: nihilque eſt in iſtâ totius creaturæ ampliſſimâ quadam immenſaque Republicâ, ait Auguſtinus, quod non de interiori atque intelligibili Auguſtinus lib. 3. de Trinit. c. 4.

gibili aulâ ſummi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur. Quod dum vulgus hominum non ſatis expendit, non minùs frequens, quàm in ſpeciem plauſibilis, contra Auctorem naturæ paſſim auditur expoſtulatio. Quis enim induſtriæ humanæ locus relinquitur, ſi fortuitis caſibus cuncta permiſcentur? Aut quis locus eſt ſapientiæ, ſi, vt ait Liuius, fortuna plus humanis conſiliis pollet? Atqui veriſſimum eſſe, quotidiana docet experientia, quod ait Comicus:

Fortuna ſæpè plus poteſt quàm conſilium. Liuius Decad. 5. l. 4.

Plautus in Pſeud.

Centum doctum hominum conſilia; ſola hæc deuincit Dea.

Nec magis corporis robur ac nerui, quàm animi vires fortunæ prævalent. Quis enim ignorat ancipites bellorum caſus, Martemque communem, qui ſæpè ſpoliantem iam & exultantem euertit & perculit ab abiecto? Et ſanè vidimus nonnumquam exiguo planè momento ſtrepitus alicuius temerè concitati, aut Panico terrore ab illâ rerum humanarum dominâ palmam è manibus victoris extorqueri.

Fortuna ſæpè plus poteſt quã robur corporis. Cicero pro Milone.

Nec eodem ſemper modo per orbem fortuna graſſatur. Interdum effectuum diſſimilitudine ſuſpendit animos, omnemque vim conſultationis eneruat. Interdum ſimilitudine caſuum ſibi ipſi diſſimillima neſcio quo modo naturam exuiſſe, & fatalem quamdam neceſſitatem induiſſe videtur. Notat Plutarchus, duos olim Atties illuſtres fuiſſe, Syrum vnum, Arcadem alterum, vtrumque ab apro interfectum: rurſus ex duobus Actæonibus alterum à canibus, alterum ab amatoribus diſcerptum: duos fuiſſe Scipiones, quorum alter Carthaginem debellauit, alter excîdit: ter captum Ilium, primùm ab Hercule, propter equos Laomedontis; deinde ab Agamemnone, per equum durateum; tertiò à Charidemo, equi lapſu in portâ: ex præſtantiſſi-

Fortuna ſemper fortuna, ſiue ſimilis ſibi ſit, ſiue diſſimilis.

Plutarch. in Sertorio.

mis

mis bello ducibus, & qui res maximas calliditate gesserunt, altero oculo caruisse, Philippum, Antigonum, Annibalem, & Sertorium. Nónne hanc effectuum similitudinem fatali necessitati propemodum adscribas, quam tamen fortuito variarum causarum occursu certum est contigisse?

Sed siue adumbratâ fatorum similitudine sors nobis illudit, sic omne consilium industriamque penitus euertit; siue (quod verius arbitror) in solâ constans est inconstantiâ, sic magis ancipites inopesque consilij suspendit.

Hinc factum est, vt cùm rebus humanis olim Fortuna præsidere crederetur, eiusque petulanti arbitrio cuncta sursum deorsum permisceri, bonos vexari, improbos extolli, ad huius aras potissimùm se supplicabunda prostrauerit antiquitas, hanc statuis erectis diuinitati consecrarit, huius potissimùm Numen votis muneribusque studuerit demereri. *Fortuna ab antiquis impensè culta.* Et quidem Bupalus apud Smyrnæos, teste Pausaniâ, primus statuam Fortunæ erexit, capite polum, alterâ manu, quasi rerum omnium dominam, cornu copiæ gerentem. Porrò apud Romanos, auctore Seruio Tullio (quòd ab illâ è seruitute in regnum esset euectus) tam impensè culta fuit, vt successu temporis ædem Fortunæ Malæ ac Detestatæ in Exquiliis, & Fortunæ Fortis in ripâ Tiberinâ, & Equestris iuxta theatrum, & Paruæ, & Virginis, & Virilis, & Obsequentis, & Primigeniæ, & Conuertentis, & Auertentis, & Dubiæ, & Barbatæ, & Muliebris, in variis Vrbis regionibus consecrarint.

Pausanias lib. 4.

Lud. Vives in c. 18. l. 4. de Ciuitate Dei.

Ridiculè profectò, inquit D. Augustinus. Cùm enim Deum non nisi bonum existimare debeamus (ipso etiam Platone cum aliis Philosophis, rerumque publica-

Augustinus lib. 4. de Ciuit. Dei, c. 18.

Fortuna incassum ab antiquis culta.

rum rectoribus adstipulante) quomodo Fortunæ & ædes, & ara, & sacra, & Numen adstruitur, quæ nunc Mala & Detestata, nunc Conuertens, nunc Auertens, nunc Dubia describitur? Aut quomodo vmquam bona est, quæ nullo iudicio ad bonos venit & malos? Quorsum autem colitur, quæ ita cæca est, & passim in quoslibet incurrens, vt cultores suos plerumque prætereat, & suis contemptoribus adhæresçat? Aut si quid eius cultores proficiunt, iam non fortuitò venit, sed merita sectatur. Vbi nunc ergo nomen eius à fortuitis casibus inductum? Nihil enim prodest eam colere, si fortuna est: sin autẽ cultores suos discernit vt prosit, fortuna non est.

Et hæc quidem vanitas Ethnicorum apud Christianos non difficulter exploditur. Sed restat alter scrupulus, qui non paucos apud Senecam torquet, qui non minorem à casu & fortunâ, quàm à fato laqueum humanis actionibus liberoque arbitrio necti arbitrantur.

Seneca Epist. 16.

Quid, inquiunt, mihi prodest Philosophia, si fatum est? Quid prodest, si Deus rector est? Quid prodest, si casus imperat? Nam & mutari certa non possunt, & nihil præparari potest aduersus incerta, si aut consilium meum Deus occupauit, decreuitque quid facerem, aut consilio meo nihil fortuna permittit.

Non est curiosè disputandũ quid fortuna possit aut prouidentia.

Duo potissimùm hîc respondet. Primò ictum declinando, Non est, inquit, in hanc disputationem transeundum, quid sit iuris nostri, si prouidentia in imperio est, aut si fatorum series illigatos trahit, aut si repentina & subita dominantur. Scio hac in parte Stoicos caliginem passos, vt hæc non satis cum libertate arbitrij conciliare potuerint, sed Christianis Theologis negotij nihil est hæc inter se concordi fœdere colligare. Sed non est huius loci hanc telam ordiri.

Itaque

Itaque secundò respondet Seneca: Siue nos inexorabili lege fata constringunt, siue arbiter vniuersi Deus cuncta disponit, siue casus res humanas sine ordine impellit & iactat; philosophandum est nihilominùs: Philosophia tueri nos debet. Quid autem subsidij præbebit? Illud nimirum constantię tranquillitatisque fundamentum, semper de fortunâ cogitare, & nihil sibi de fide ipsius promittere. Sic enim fiet, vt nos minùs afficiat, si quid inopinati casus inciderit. Minùs enim iacula feriunt quæ præuidentur, ait D. Gregorius; & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Necesse est enim leuiùs ad animum peruenire destitutæ cupiditatis dolorem, cui successum vtique non promiseris. Itaque nihil præter voluntatem, appetitum, consilium eueniet sapienti: quia cum exceptione fortuiti casus omnia facit aut conatur; & nihil eorum quæ aduersari possunt, non est ei præmeditatum: semper enim præsumit animo, posse aliquid interuenire quod destinata perturbet. Imprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere.

Sapiens fortuitos casus habet præmeditatos.

Gregorius Hom. 5. in Euangelia.

Seneca de Tranquill. c. 13.

Vide Stobæum Sermone 262.

Senec. li. 4. de Benefic. c. 34.

Et hęc quidem satis dilucidè, naturâ ipsâ facem prælucente, dicuntur; sed addo tertium responsum è Christianâ Theologiâ depromptum: nimirũ in hac ipsâ mundi (vt apparet) ataxiâ nihil esse fortuitũ, nihil casu euenire, si prouidentiæ diuinæ consilia pensitemus. Quidquid enim casu fit, temerè administratur. Atqui temeritati nihil in regno prouidentiæ licere, pluribus explicat D. Augustinus, & habemus huius veritatis experimenta certissima in sacris Codicibus. Quid enim magis fortuitum dixeris ipsâ sorte, quâ, missis in vrnam tribuum calculis, Rex Israëlitici populi renuntiatus est Saul? & tamen tantò antè diuino admonitu à Samuele in Re-

Deo nihil est in mundo fortuitum.

Augustinus l. 83. Quæstionum, quæst. 34.

Arist. lib. 2. Physic. c. 6. gem fuerat inunctus. Et si casum vocamus eum, cùm quid præter intentionem accidit iis qui alicuius gratiâ operantur, quid magis alienum contingere potuit ab Genes. 37. intentione filiorum Israëlis, dum innocentem Iosephum Ismaëlitis vendiderunt, quàm vt fratrem Regio diademati proximum in Ægypto conspicerent? & tamen hanc illi dignitatem post varios casus, vitæque ac Genes. 45. famæ pericula in solatium suæ gentis diuina prouidentia destinauerat.

Boët. lib. 5. de Consol. Metr. 1.

Sic quæ permissis fluitare videtur habenis,
Fors patitur frænos, ipsáque lege meat.

Exposui quid in hac vitâ sit acerbitatis ac molestiæ, propter varios incertosq; casus, & ex verâ Christianaque Philosophiâ nonnihil adhibui temperamenti: nunc cum Ecclesiaste non minùs ancipites esse mortis quàm vitæ casus ostendamus; vt ex huius etiam acerbitatis meditatione aliquem deinceps fructum carpere possimus.

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 12. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.

METRICA PARAPHRASIS.

QVID *breues longo iaculamur arcu*
Multa, quæ sortis dubiæ rotatu
Tempus inuoluit, fragilique vitæ
Inuidet hora?

Heu!

Heu! nimis cæcos rapiunt futuri
Fata: nec canos Lacheſis moratur.
Prima, quæ vitam tulit, imminutam
Clepſydra carpſit.
Quælibet letho properatur ætas;
Mors nouam ſemper trahit atra mœſti
Syrmatis pompam, premiturque denſo
Fûnere funus.
Nec moram rugis trahit alma virtus,
Fila nec penſis adicit Sororum:
Omne fatorum mouet vrna nomen
Lege citatum.
Moribus Moſen ſuperes, Aronem
Inſulâ & cultûs pietate vincas,
Corde Samſonem impauido laceſſas;
Victima fatis
Occides. O ſi liceat vel iſtud
Noſſe, quæ finis tumulum minetur!
Sed volat furuâ cooperta pallâ
Mortis imago,
Subdolas texens pedicas ſub vmbris.
Fata quæ vitent homines in horas
Non ſatis cautum eſt. Siculi procellas
Nauta Pelori
Horret, & cæco ſcopulos latentes
Gurgite: aſt illi populata puppes
Flamma deprenſo mediis ſepulchrum
Condet in vndis.
Miles intentus furiis Gradiui,
Fata in hoſtili meditatur enſe:
Aſt in hibernis genio litantem
Inter amicos

Ædium præceps tumulat ruina.
Quid feram ſicas nemorum, necisque
Conſcios ſaltus? quid hiulca ſæuis
Nubila flammis?
Quælibet morti famulatur hora,
Ac velut piſces vitrei profundi
Incolas hamo latitante ineſcans
Linea fallit;
Aut velut turmæ laqueos volucri
Nectit aprico nemorum receſſu, aut
Flexili viſcum ſalici doloſus
Allinit auceps:
Mille ſic fatum pedicis labantes
Induit greſſus generis Promethei.
Quis ſatis lethi ſinuantis arcum
Spicula vitat?
Dum vacat feſtis dapibus Gomorrha,
Et face accensâ canit hymenæos,
Sulphuris nimbus latices Lyeos
Miſcet, & arctos
Fulmen amplexus medium reuellit.
Quid Thetin mundi ſcelus expiantem,
Quidve Noæâ celebrata puppi
Sæcula dicam?
Cùm vagos ſaltus, tygridumque luſtra
Sæua texerunt freta, cùm recepit
Squammeum nido pecus hoſpitali
Fulminis ales.
Ite mortales, date vela votis,
Et voluptatum ſeries in annos
Nectite æternos: malè ducta rumpent
Stamina Parcæ.

Ne-

Nescies, vitæ properatus exul,
Hora fatalis tibi quæ minetur:
Ergo fatalem sapienter omnem
Duxeris horam.

PROSA EXEGESIS.

NON omnino insulsè, tametsi non vsquequaque Christianè, philosophatus est quicumque dixit: Omnis vita supplicium est, quam nemo (si Senecæ credimus) acceptaret, nisi daretur ignaris. Nam præterquam quòd in regnum Fortunæ durum atque inuictum nos compactos existimat, illius arbitrio digna atque indigna passuros (Fortunæ inquam, quæ, vti Sectione præcedenti vidimus, variis nos fluctibus iactatos, diu inter vitam mortemque detinet, & vt libidinosa ac fastidiosa, mancipiorumque suorum negligens domina, pœnis præmiisque nullo delectu exercet) illud tandem ad cumulum malorum accedit, quòd variis casibus concussos inexorabili mortis imperio transscribit: quæ impotentem in omnes dominatum exercens, non minùs incerto exitu mortales torquet, quàm dubiis vitæ periculis illa vexauerat.

Seneca Consol. ad Marciam, cap. 22. & cap. 10. *Vita hæc acerba est.*

Etenim siue decretorium illud ac fatale momentum perpendas, à solo Dei nutu dependet; nulla senectus hoc sibi vindicat, nulla florentis ætatis prærogatiua differt: siue genus mortis; id ita varium est ac multiplex, vt nihil sit in hac vitâ, quod incolumitatem nobis ac salutem spondeat, nihil in oculos incurrat, quod non meritò nos timore percellat.

Mortis tempus & genus incertum ac varium.

Mille ad mortem patent viæ, nulloq; non calle mors laqueum aliquem abscondit. Quidquid aut allicit cupiditates, aut detinet, viscum existima: quidquid aut ocu-

Mors ab omni parte imminet.

lis blanditur, aut palato ſapit, eſcam eſſe fatalem cogita mortis hamis, quouis gurgite pendulis, obductam.

Prætermitto nunc vſitata illa, quæ inimicitias cum vitâ humanâ profitentur, morborum luem, bellicas clades, maris tempeſtates, ædium conflagrationes, carnificum tormenta. Illud potiùs monendum cenſeo, tunc magis luctuoſa eſſe funera, cùm per inſidias mors & cuniculos graſſatur; nec vllam ſperari poſſe ſecuritatem, vbi tempus, vbi locus, vbi familiares, vbi corpus ipſum, imò & animus famulare morti præſtat obſequium.

Omne tempus morti ſeruit.

Primùm enim, quòd tempus morti præmaturum eſſe putamus, cùm non ignoremus, quot infantes ne vnicum quidem diem adſpexerint, ſed poſt vnius noctis vſuram, æternum in vtero materno ſepulchrum inuenerint? Deinde, ſi quis in vitâ dies à luctu funeris exemptus, ſi quis boni ominis haberi, feſtoque conuiuiorum apparatu celebrari conſueuit, is apud pleraſque nationes fuit dies natalis: & tamen Pergameno Regi Attalo, Pompeio, Cæſari, Auguſto, & ex noſtris magno Pontifici Gregorio, & magno Imperatori Carolo eumdem & natalem diem & fatalem fuiſſe accepimus.

Plutarc. in Camillo. Sabel. l. 9. c. 4. Ioannes Diaconus. Crantzius lib. 2. Sax. c. 20.

Sed neque mollia fandi tempora captare ſolet hæc Rhadamantæa legum ſuarum vindex, vt nobis diem dicat; ſed omni temporum diſcrimine neglecto, aut mediis ſe voluptatibus interſerit in Epulone Euangelico, aut honoris curſum ſufflaminat in Criſpo Conſtantini filio, aut pubeſcente iam ætatis vere floſculum demetit in Auguſti nepote Marcello, aut breuem ſomnum cum æterno connectit in Chananæo Principe Siſarâ.

Omnis occaſio morti eſt opportuna. Luc. 16. Suidas in Conſt. Propert. l. 3 Eleg. 18. Iud 4.

Quid quòd nullus etiam locus importunam hanc ſui iuris exactricem excludit? Nam neque pudor obſtitit, quò minùs olim in gremio Timandræ meretricis con-

Nullus locus morti eſt importunus.

foderetur

foderetur Alcibiades; neque læta cœnaculi facies prohibuit, quò minùs eiusdem ruinâ oppressis Philisthinorum Satrapis, lætitia in funebres luctus verteret; neque sacrosancti Templi religio Banaiam coërcuit, quò minùs in ipsis adytis Ioabum obtruncaret; neque fractum ætate Priamum à violentis Pyrrhi manibus tutata est ara Iouis Hercæi. Plutarch. in Alcibiade. Iud. 14. 3. Reg. 2. Virg. Aeneid. 2.

Sed quid ego loca nullo sensu prædita in crimen voco, cùm inter homines neque iura connubialia, neque reuerentia sanguinis, quæ duo potissimum amorem conciliare & securitatem spondere solent, nefarios ac sceleratos à mutuis vulneribus ac cæde deterreant? An non ille tot populorum rector Agamemnon, de exciso Ilio triumphans, vxoris suæ Clytemnestræ mucrone percussus occubuit? An non Cambleta Lydorum Regem eò peruenisse voracitatis accepimus, vt vxorem, instar beluæ cuiusdam, dentibus laniauerit. *Homo homini causa mortis, nullo sanguinis aut connubij respectu.* Athen. l. 13 cap. 1. Athen. l. 10. c. 1.

Quid nunc iura sanguinis despecta commemorem? Quis enim Thebanos fratres ignorat, Etheoclem & Polynicem, mutuis vulneribus corruisse, & ita quidem, vt in ipso rogo rediuiuas flammæ simultates exercuerint? *Nec frater fratri parcit.* Statius in Thebaide.

Sed neque reuerentia sanguinis obstitit, quò minùs in templo Nesroch filiorum manibus obtruncaretur Sennacherib. Neque parturientis vteri labores Orestem flexerunt, quò minùs fatali sicâ matri suæ Clytemnestræ vicem redderet. *Nec filij parentibus.* 4. Reg. 19. Sophocles in Electrâ.

Quid autem parentes? an ab hoc scelere manus abstinuerunt? Certè religiosissimus iuuenis Hermenigildus impij patris mucrone confossus est. Et ne sola detestabilis sit Medea, fecit obsidio Ierosolymitana sub Tito, in quâ matres non paucæ, cùm crudelitate Medeam exæquassent, hac insuper immanitate superarunt, quòd *Nec parentes filiis.* Ritius Neapol. l. 1. Reg. Hisp. Hier. l. 1. commen. in Lament. Ieremiæ.

ventrem maternum filiorum carnibus saginarunt.

Quòd si nec à filiis parentes, nec à parentibus tuti sunt filij; cuius non aliquando manus aliquod morti obsequium præstituras existimamus? Quid dico manus? cùm nihil in hoc vniuerso reperiatur, quod non aliquem mortis laqueum contineat. Si longa fames exitium minatur, Childericus Saxo nimiâ cibi oppletione suffocatus est. Si à ventris ingluuie perniciem metuis, fame eò redactus est Erisichthon, vt propria membra deuorarit. Si sitim pernicioſam credis, nimio vini potu phrenesim, adeoque mortem accersiuit Alexander. Si à potu appetitum coërces, nimiâ siti in theatro periit Thales Milesius.

Etiam contrarijs ex causis mors aditum inuenit.

Greg. Turonensis.

Ouid. l. 8. Metam.

Plutarch. in Alex.

Laërtius lib. 1. c. 10.

Infinitus hîc sim, si innumeras terrâ marique mortis insidias recensere voluero. Ipsum tantummodò hominem intuemini. Quot mortis laqueos non in corporis tantùm morbis, sed etiam animi perturbationibus sibi ipse circumfert? Nam, vt corporis affectiones, tamquam morti familiares, præteream, quis ab animo, qui suapte naturâ immortalis est, violentas, vt ita dicam, vitæ manus iniiciendas timeret? & tamen nónne Harpalice Iphicli amore contabuit? Annon Dido, amore in odium verso, post diras & maledicta, vitæ tædium violentâ manu abrupit? Quid Chilo Lacedæmonius? annon filium in Olympicis victorem complexus, gaudio exanimatus est? Contrà Oenone, conspecto Paridis cadauere, mœrore contabuit, geminumque funus eidem rogo tradidit. Quid impotentis iræ vires commemorem? quâ percitus Bohemiæ Rex Wenceslaus, dum pincernam cupit interficere, paralysi extinctus est. Contrà nimio risu Chrysippum ferunt exanimatum. Denique Nabal Ziphæus, nuntiatâ Dauidis irâ, timore diriguit:

Homo sibi ipsi multipliciter est causa mortis.

Athen. l. 14 cap. 6.

Virg. Aeneidos 4.

Plin. lib. 7. cap. 32.

Dictys l. 4.

Cromerus lib. 18.

1. Reg. 16.

&

& Diodorus Cronus, cùm ad Stilponis quæstionem re- Plinius l. 7. c. 53.
sponsum in promptu non haberet, pudore suffusus con-
cidit. Ex quibus manifestum est, nullam animi pertur-
bationem suo vacare periculo.

His si nubium fragores & fulminum iacula, si exun-
dationes Oceani, si terrarum concussiones adieceris, quis
in tot tantisque terroribus, tot insuper laqueis circum- *Mors præ-meditata*
septus, animo securo poterit infractoque consistere? *securitatem ad-*
Vnus ille scilicet, qui assiduâ mortis meditatione exerci- *fert.*
tatus, subductis rationum calculis, omnem diem velut
extremum clauserit.

Non absque causâ per Ægyptiorum mensas olim sce-
letus, id est ossea corporis compago, iactabatur, & eo-
rumdem Antistitibus vas aureum terrâ plenum præfe- *Varia mortis symbola.*
rebatur: nec immeritò gentes quædam, alioquin bar- Herodotus lib. 3.
baræ, mortuorum ossa velut χρήματα, id est pecuniam,
quotidianis commerciis terebant. Videbant enim, ni-
hil conducibilius, nihil ad componendas vitæ rationes,
assiduâ mortis meditatione præsentius inueniri posse.
Hoc igitur & nos agamus assiduè, & mortis imminentis
causâ sic ordinemus omnem diem, tamquam cogat ag-
men, & consummet atque expleat vitam: ita fiet, vt ni-
hil nobis neque terroris neque acerbitatis mors adferat,
cuius vis omnis crebrâ cogitatione fuerit eneruata. Illis
enim mors acerba, quibus numquam meditatione præ-
gustata: illis grauis est ruina, quibus est repentina.

SECTIO OCTAVA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 13. Hanc quoque sub Sole vidi sapien-
tiam, & probaui maximam:

14. Ciuitas parua, & pauci in eâ viri: venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.
15. Inuentusque est in eâ vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.
16. Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?

METRICA PARAPHRASIS.

PERSPECTAM *meritis quisquis honoribus*
Virtutem decoras, aut sapientiæ
Externæ radiis facis
Natiuum cumulas decus;
Virtutem populi nil opis indigam
Ne vanis populi subiice plausibus:
Nil quidquam sapiens tulit
Vrnâ plebis iniquius.
Quem sors muneribus diuitis Indiæ
Thesauroque Arabum multiplici beat,
Esto iudicio Midas;
Hîc Rex, hîc sapiens cluet.
Aurum diuitibus stemma dat, & genus,
Et formam, & titulos, & sapientiam,
Dives labra resoluerit,
Suadæ filius audiet.
At quamuis sophiæ lumine splendeat
Angustæ dominus non humilis rei;

Illum

Illum flexanimâ inclytum, ac
Summæ præsidium rei
Infestus populi sibilus exiget.
Vidi quadriiuges quà Phaëton regis
Hunc florem sapientiæ
Protritum populi pede.
Cùm Rex exigui stringeret oppidi
Vallo bellipotens ciuica mœnia,
Certatim pluteos phalanx
Nectit vimineâ crate:
Pars gressum propiùs ferre cuniculis,
Murosque è latebris tundere vectibus:
Pars fundas volucres rotans
Excussos silices vibrat:
Cornu pars obices arietat æneo,
Libratisque ferit claustra molaribus:
Pars è turribus imminens
Plumbo vulnerat alite.
Quid rari facerent millibus incolæ
Bellantum oppositi (ceu nemorum feras
Venantum insinuant plagæ)
Cincti indagine Martiâ?
En vili latitans tegmine penulæ
Augusti sapiens pectoris extitit,
Qui cordis referans opes
Linguâ interprete consili,
Fatali exanimes erigeret metu,
Et versis cuneis incolumes daret
Ciues, hostica territans
Curis castra sagacibus.
Sed quid dissimulem vipeream indolem,
Ingratosque canes? Ut redijt dies

Pulsâ

Pulsâ nube ſerenior,
Diſcuſſisque periculis;
Lauru nemo fuit qui viridi comas,
Aut ſertis premeret tempora querneis,
Aut victricis adoreæ
Ferret munera pauperi:
Sed tantum tenebris poſt merita hæc ducem
Merſerunt latebræ ignobilis otij,
Damnatusque inopi casâ
Fortunæ opprobrium tulit.
Quiſnam hic, tunc ego, quis pectus habet furor?
O ciues! patriæ siccine in otio
Deſpectus iaceat parens?
Quis mentem eripuit Deus?
Tam vilis pretij eſt merx ſapientiæ? aut
Tam fidum columen mentibus excidit?
Plus pollet vigor ingenI,
Quàm nerui, latera, aut manus.
Vt tauri immodicis luxurient toris,
Vngues Marmaricus imperioſiùs
In pugnam exacuat leo,
Aut tigres animet furor;
At virtus domitis imperitat feris,
Palmam vis animi corporibus rapit:
Vt neruis ſuperent feræ,
Vincunt ingenio viri.
Si neruis animi vis ſupereminet,
Cur mens celſa inopis ſuadaque ſpernitur?
Cur tantum patriæ iubar
Demerſum tenebris iacet?

PROSA EXEGESIS.

MIRVM fortasse cuipiam videbitur, cùm hactenus Ecclesiastes velut æger in vanitatis lecto volutatus, quocumq; caput verteret, nihil nisi morbum suum, id est vanitatem, & è vanitate conceptam animi ægritudinem inuenerit, nunc eumdem præter consuetudinem inuentâ singulari sapientiâ recreari, & in eadem acquiescere. Sed profectò si quis in eius scopum paulò accuratiùs mentis aciem intenderit, perspectâ rei indignitate, fatebitur hîc nouâ potiùs vanitate eius animi vulnus exulcerari.

Et quidem non vnum, sed varium ac multiplex vanitatis genus in hoc seu vero seu commentitio stratagemate deprehendet. Primùm enim vanissimum est, cùm ciues illi sapienti salutem atque incolumitatem suam acceptam ferre debeant, pluris tamen apud eos esse fortitudinem ac robur corporis, quàm sapientiam. Deinde multum vanitatis habet ac molestiæ tanta ingratitudo erga salutis suæ vindicem. Denique omnium vanissimum est, propter honestam minimeque indecoram paupertatem, sapientiam contemni. Excutiamus singula paulò enucleatiùs.

Homines passim robur corporis admirantur ac deprædicant.

Antiqua est illa non vulgi tantùm, sed nobilium atque optimatum insania, corporis robur & bellica facinora in cælum vsque extollentium. Hinc Herculem Græci monstrorum debellatorem ex Oetæis flammis in cælum euolasse fabulati sunt. Romani verò sic bellicam virtutem suspexerunt, vt vix aliam ad cœtum Deorum viam agnouerint, quàm exercitus ducere, vrbes delere, liberos populos aut trucidare, aut subiicere seruituti. O merum cacodæmonis inuentum! Quis ille tan-

Lactantius l.1 de Falsâ relig.c.18. tantus est aut stupor, aut furor? Si quis vnum aliquem iugulauerit, nefarius habetur, nec ad vllum fani angulum admittitur: qui verò infinita hominum millia trucidauerit, cruore campos inundauerit, flumina infecerit, non modò in templum, sed etiam in cælum admittitur. Apud Ennium sic loquitur Africanus:

Si fas cædendo cælestia scandere cuiquam est,
Mi soli cæli maxima porta patet.

O quantis in tenebris, Africane, versatus es, qui per cædes & sanguinem patere hominibus aditum in cælum putaueris! Cui vanitati & Cicero assensus, Est verò, inquit, Africane: nam & Herculi eadem ipsa porta patuit. Tamquam ipse planè, cùm id fieret, ianitor fuerit in cælo. Profectò si alia ad immortalitatem non patet via, quàm per sanguinem ac ruinam plurimorum; misera erit earum gentium conditio, quæ pietatem, quæ iustitiam, quæ pacem concordiamque sectantur. At si hoc nemo vestrûm ita sentit, restat vt hoc solum apud posteritatem gloriæ sibi fore crediderint, virtute bellicâ feris barbarisque gentibus, aut numerosis exercitibus præualere.

Sapientia præualet viribus corporis.

Quod si glorioſum ducimus, quantò maior honos habendus est sapientiæ, quæ non rarò absque cæde & sanguine truculentos Reges barbarosque exercitus subiugauit? Videte nunc igitur sapientissimum Pontificem Leonem, verè Magnum, non tantùm ferociſſimo Hunnorum Regi Attilæ, qui à crudelitate Flagellum Dei cognominabatur, sed toti etiam eius exercitui victoriis insolescenti, vnicum & inermem oppositum; & tamẽ tam potenter eorum animis dominatus est, vt retrò abire iussis, Romam excidio, Italiam vastitate liberauerit. Nec minori sapientiæ laude non ita multò pòst Geiserico,

Ciaconus in Vitâ eius, & Baronius anno Christi 452.

iam

iam Vrbe potito, persuasit, vt à stupris, incendiis ac cædibus abstineret.

Quid Franciscum Xauerium commemorem, illustre Societatis nostræ decus? qui, irruente in Trauancoridem magnâ Bagadarum manu, iam iamque Christianorum iugulis imminente, vt suos protegeret, nudum pectus eorum mucronibus obiecit, acribusque verbis eorum dementiam castigauit. Nec verò mentis ardorem ex vultu & oculis micantem barbari tulerunt; sed siue miraculo audaciæ obstupefacti, siue reuerentiâ virtutis permoti, Franciſci causâ ceteris pepercerunt. Sed dum sapientiæ laudibus indulgeo, opinione meâ longiùs prouectus sum. Turſellinus lib. 2. Vitæ Xauerij, c. 11.

Alterum itaque quod in hac historiâ vanissimum deprehendo, est insignis erga patriæ parentem ac vindicem ingratitudo, quam paucis verbis expressit Ecclesiastes. *Inuentus est*, inquit, *pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.* Quid tam indignum, quàm eius beneficium, cui vitam & salutem debeas, ne gratâ quidem memoriâ recolere? Certè cùm nulla satis digna eius meritis sint præmia, hoc saltem, si qua humanitatis scintilla in eorum cordibus arderet, ipsa ratio suggerere debebat, vt eius inopiæ opportunis mediis subuenirent. At contrà fieri non rarò videmus, vt qui referendis gratiis pares esse aut non possunt, aut nolunt, obliuione potiùs beneficium oblitterare, quàm vel leuissimâ affectûs significatione prosequi contendant: & quos pudet eò redactos fuisse vt beneficio opus habuerint, iidem se illud accepisse indignentur. *Ingratitudinis vanitas atq; indignitas.*

Non ingrediar hanc ingratitudinis siluam cæduam, vt exemplis indignitatem rei exaggerem: vnum tan-

tummodò ramum defringam. Quantum gratiarum vrbis Romanæ Patres debuisse arbitramur Agrippæ Menenio, Senatum inter plebemque pacis arbitro? & quantis auctum præmiis publicæ salutis auctorem credimus? Hic tamen, nisi à populo collatis in capita sextantibus funeratus esset, ita pecuniæ inops decessit, vt sepulturæ honore fuerit priuandus.

Val Max. lib. 4. c. 4.

Sed ne longior sim, & ad tertium, idemque vanissimum, stylum conuertam, illa me Ecclesiastæ interpellat admiratio, *Quomodo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?* Mirari desine, vir sapientissime, acerbiorem etiam, si voles, sapientis casum in medium producam. Quis vlli vmquam ciuitati aut Reipublicæ vtilior fuit, quàm Athenienſi Aristides: qui cùm prudentiâ vsuque rerum ceteris antecelleret, non solùm nullum egestatis suæ subsidium spectabat, sed ne contentionem quidem laudis & gloriæ cum Themistocle suscipiendam sibi putabat, sed omnia iustitiâ, integritate, patriæ charitate, rectèque factorum conscientiâ metiebatur: hunc tamen pauperem sapientem, nulli noxium, Reipublicæ salutarem, non tantùm populus contempsit, sed etiam ostracismo in exilium relegauit. O stulta semper turba, & vulgus meritorum pessimus æstimator! qui nimiùm oculis suis de homine credens, magnitudinem eius externo splendore metitur. Quo quid esse potest iniquius? Vel ob id ipsum suspiciendus erat Aristides, quòd gratuitam non mercenariam ciuibus operam nauabat. Et si quis alius sub Sole pauper sapiens inuenitur, eò nobis carior esse debet, quòd virtutem in virtute, non fortunam quæstumque consectetur.

Sapientia vulgo contempta.

Plutarch in Aristide.

Sed macte animis, quicumque hanc veram Philoso-

phiam,

phiam, nulloque fuco adulteratam procaris: neque minùs esse te felicem arbitrare, si te populus infesto cachinno exsibilet, quinimmò illud Publij frequenter expende: Nondum felix es, si nondum te turba derideat. Nihil magis mihi persuasi, inquiebat Socrates, quàm ne ad opiniones vestras actum vitæ meæ flecterem. Solita conferte vndique verba; non conuitiari vos putabo, sed vagire velut infantes miserrimos.

Sapiens cõtemnit vulgi iudiciũ.

Publius Mimus.

Seneca de Vitâ beatâ, c. 26.

Et verò quid sapienti detrahit stultorum contemptus fortunæ donis, vestiumque pompâ, quâ prætexta sunt corpora, cuncta metientium? Vt externum aliquem splendorem auferant, natiuam certè lucem illi relinquent. Infra animum sapientis est, quidquid extrinsecus occurrit, & nubium modo interuenit, quæ solares interdum radios nobis abscondunt, sed ipsum solem adeò non inquinant, vt ne tangant quidem. Itaque nec si populi fauor accesserit, insolescit; neque si petulantis vulgi pedibus obtritus fuerit, alienis sordibus obsolescit. Denique & in tenebris instar Cynosuræ cuiusdam radios diffundit, & in recessu solitudinis amplissimum sibi theatrum repræsentat. Hinc subiungit Ecclesiastes:

Stulta vulgi iudicia sapienti nihil detrahunt.

SECTIO NONA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 17. Verba sapientium audiuntur in silentio plus quàm clamor Principis inter stultos.

METRICA PARAPHRASIS.

VIRTVTE quisquis inclytâ mentem excolis,
Et Sophiæ tacito pectore condis opes,
Si te proteruæ plebis vrna despicit,
Dissimilem vitiis, dissimilemque sui,
Monitusque surdâ vulgus aure præterit,
Prægnans consiliis quos tibi lingua parit:
Lucem perosus publicam, atque intus canens,
Virtutis cochleâ cornua conde, precor.
Virtus sibiipsi regium est capitis decus,
Æquat & in cochleæ maxima regna sinu.
Hanc nocte liuor vsque luridâ premat,
Discutiet radiis noctis opaca suis.
Erit vt in astra tollat excelsum caput:
Et monitis pretium tunc sapientis erit.
Quisquis recessu segrege æstum plebei,
Et rabidi fugiet murmura rauca fori,
Verba sapientis aure non surdâ bibet,
Vt Clarios tripodes enthea virgo solet.
Non Stentor æquè ducet auritum gregem,
Rauca licet tumido guttura folle crepent.
Licet imperita turba plausum conciat,
Et rabulam fausto murmure ad astra ferat;
Non turba rerum pretia sed ratio facit.
Plus valet insano murmure docta quies.

PROSA EXEGESIS.

Sapiens non semper delitescit, nec si delitescat, lumen amittit.

NEC semper despectus in tenebris sapiens delitescit, neque in illo suo recessu ac solitudine minus habet veri splendoris ac felicitatis: quemadmodum neque semper densis nubibus Sol ille mundi oculus obducitur,

tur, neque, cùm adspectui nostro subtrahitur, aliqua luminis illi portio decedit; sed æquè semper in se splendet, & eadem lucis & mœnitate (si fas est dicere) tamquam suâ quadam beatitate fruitur atque oblectatur. O beatum illum, qui præclarè sibi conscius, & à strepitu tumultuantis mundi seductus, intra suam se cutem cogit, sibique viuit, ac Deo! Satis amplum virtuti theatrum est conscientia, & vnus instar omnium spectator, ac bonorum remunerator Deus.

In hoc theatro pulcherrimam contemplationis scenam explicat Sapiens, & in conuersationem aduocat, quidquid eximij cælo terraque continetur: nec opus illi turbâ, cum quâ grata misceat colloquia. Nam, vt ait Ambrosius, quâ non frequentiâ stipatur in solitudine, quem vita beata circumdat? Ambros. li. 1. de Vitâ Iacob, c. vl.

Viderat olim quasi per nebulam Seneca huiusce modi Sapientis obscuram quamdam effigiem, cœpitque de illo inquirere, qualis esset eius vita futura, si aut in solitudinem abditus esset, vel in custodiam coniectus, vel in aliquâ gente alienâ destitutus, vel in desertum littus eiectus: & respondet, talem fore qualis est Iouis, cùm resoluto mundo, paulisper cessante naturâ, acquiescit sibi, cogitationibus suis traditus. Seneca Epist. 9. *Sapiens secum conuersatur Deum imitatus.*

Nos verius talem fore dicamus (quatenus cùm infinitæ proportionis interuallo) qualis ab omni retrò æternitate fuit omnium rerum auctoris & conditoris Dei, antequam pulcherrimum hoc vniuersum è nihilo educeret, cùm secum ipse esset atque ageret, & in se acquiesceret, & huius vniuersi gubernationem æternis consiliis agitaret,

Pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens.

Boet. lib. 3. de Consol. Metro 9.

Ita

Ita sapiens in tenebris velut in chao deliteſcens, ad illud exemplar vitæ ſuæ normam fingit,

Virgil. 2. Aeneid. ——*ſequiturque Patrem non paßibus æquis*,

& à turbæ contagione ſequeſtratus, ſuaſque in ſe opes, id eſt Dei dona recolligens, cogitationibus fruitur ſe dignis.

Sapientia non ſemper deſpecta. Non ſemper tamen in tenebris ſapiens & ſqualore deliteſcit, ſed incidunt ſubinde tempora, quibus deſpecta paupertas in deſiderio eſt & veneratione, cùm ſcilicet plus ad ſalutem communem conferunt pauperum conſilia, quàm diuitum opes & copiæ.

Vidit hoc olim Græcia in eo, de quo nuper egimus, Ariſtide Iuſto: qui cùm popularis vrnæ ſuffragiis in exilium pelleretur, vrbe excedens ſupinas in cælum manus porrexerat, Deum precatus, ne dies vlla Populo Athenienſi tam calamitoſa illuceſceret, quâ Ariſtidis meminiſſe cogeretur. Quid tandem? vix tres anni fluxerant, cùm, Xerxe Græciam inuadente, veriti Athenienſes, ne Ariſtide ad Perſas deficiente, optimus quiſque eum ſequeretur, exules omnes in patriam reuocant. Sed Ariſtides multò antè pro patriæ ſalute deſudabat: & cùm Græcos circumuentos videret, ab Æginâ præceps per mediam claſſem hoſtilem properauit ad tabernaculum Themiſtoclis, ſoliſque euocato, Nos iam vanâ, inquit, Themiſtocles, ac iuuenili contentione depoſitâ, aliud pro ſalute Græciæ certamen ineamus: tu Dux & Imperator, operâ ego & conſilio tibi ſubſeruiens. Quid multa? pauperis & quidem exulis ſapientia ingratæ patriæ ſaluti fuit.

Plutarch. in Ariſtide.

Sapientiæ modeſtia præualet tumultuoſis imperiis. Hoc vindictæ genus virtuti placet ac ſapientiæ, vt tandem vel ab inuitis ametur: & potentiùs hominum animis dominetur genuina minimeq; fucata modeſtia, quàm

quàm Princeps aliquis inconditis clamoribus ac tumultuosis imperiis. Neque verò ad populi plausum componit orationem, aut à vocis contentione verbisque sesquipedalibus commendari desiderat, cùm sapientiæ maiestatem fastus dedeceat & vociferatio: semper enim veræ sapientiæ ac modestiæ indiuiduum fuit contubernium.

Ambrosius.

Quare non abs re monet Ambrosius, ille melleus totus, nominique suo non difformis. Ipsum, inquit, vocis sonum libret modestia, ne cuiusquam offendat aurem vox fortior. Nemo certè Cycloborum clamore superabit aut Tyrrhenam tubam: & huius tamen sonus per aëra diffunditur, atque euanescit, nullo fructu relicto. Et vt clamosi vel maximè finem suum fructumque consequantur, quid tandem sequuntur nisi fauorem popularem, plaususque & vociferationes insanæ multitudinis, ceteraque pantomimorum ornamenta?

Seneca Epist. 52. *Stultum est, populi plausus & clamores captare.*

Quanta autem dementia est eius, inquit Seneca, quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittunt? Quid lætaris, quòd ab hominibus iis laudaris, quos non potes ipse laudare? Quid turpius Philosphiâ captante clamores? Deinde, nemo prudens illos vitæ duces eliget, qui præconem agunt, non doctorem: qui verba magnâ celeritate præcipitant, & communes locos voluunt, & in priuato circulantur, sed eos qui vitâ docent, qui cùm dixerint quid faciendum sit, probant faciendo: qui docent quid vitandum sit, nec vmquam in eo, quod fugiendum dixerint, deprehenduntur. Hi sunt, qui quouis Monarchâ potentiùs humanis affectibus dominantur: hi sunt, vt ait Sapiens noster, quorum *verba plus audiuntur in silentio, quàm clamor Principis inter stultos:* hi sunt, qui maiori cum fructu versantur inter audito-

res Pythagoreo silentio deditos, quàm Princeps aliquis in confertissimâ multitudine, quæ nihil nisi theatrales clamores, & inconditas voces, oratori suo velut minerual rependit.

Christus est pauper & sapiens, qualis à Salomone describitur.

Talem sapientem pauperem initio quidem despectum atque explosum, sed tandem doctrinæ moderatione vitæque mansuetudine Monarchis omnibus superiorem, nobis exhibet Isaias, apud quem sic loquitur diuina Maiestas, dum eum nouo Testamento doctorem ac legislatorem destinat: *Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium* (non illud forense, sed legem faciendorum & cauendorum) *Gentibus proferet. Non clamabit, nec audietur vox eius foris.* Ostendens hac ratione, vt interpretatur Iansenius, Euangelicam Philosophiam non terroribus, non conuitiis, non contentionibus esse defendendam aduersus rebelles, sed mansuetudine superiorem euasuram. Hinc subiungit Propheta: *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ iudicium; & legem eius insulæ expectabunt.* En veræ sapientiæ triumphum, cui (tametsi primùm à Iudæis instar scandali, Gentibus instar insaniæ repudiaretur) superbam atque indomitam ceruicem & imperij fasces submisit orbis vniuersus.

Isaiæ 42,1.

Iansenius in cap. 12. Matthæi.

Isaiæ 42,3.

Iisdemque modestiæ ac patientiæ vestigiis discipulos suos insistere voluit magnus hic legislator, hortatus ne animis concciderent, si diu despectos in tenebris mœrere contigerit; tandem enim aliquando superiores hostibus euasuros. *Ego enim*, inquit, *dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* His similia postquam ad communem sapien-

Luc. 21,15.

sapientiæ commendationem paucis insinuauit Ecclesiastes, tandem ad fabulæ suæ seu historiæ catastrophen verbis proximè sequentibus reuertitur.

SECTIO DECIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 18. Melior est sapientia, quàm arma bellica: & qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

METRICA PARAPHRASIS.

NVLLA sic splendens Siculis caminis
Fulgurat cassis, simul ac minacis
Torua Mauortis furians Enyo
Cluserit ora,
Nulla vis ferri chalybisve tantùm
Pectus aduersum tegit, vt pauentum
Corda confirmans Sophiæ irretortus
Protegit vmbo.
Si qua præpollens ratio Gradiuo
Excubat fidâ statione mentis,
Saxeis frustrà catapulta nimbis
Territat vrbes.
Consili parmâ sapienter vsus
Despicit fundæ Balearis imbres,
Despicit nerui salientis ictu
Concita tela.
Scimus vt montes iaculata pubes
Pelion celso imposuisse Olympo
Pertinax structis gradibus polorum
Scanderit arces.

Fabulæ ſi quid fidei, reuulſis
Arborum truncis Superos laceſſens
Terruit Rhœcus iaculator audax
Caſtra Tonantis.
Sed quid, heu! proſunt ſine mente vires?
Gorgone obiectâ ſapiens virago
Centiceps monſtrum pepulit Typhœa in
Tartara Pallas.
Ceteram pubem Patareus Apollo
Delium numquam poſiturus arcum,
Rore qui Pimplæ lauit ora vatum,
Perdidit orco.
Sæuit incaßùm ſine mente robur,
Viſque vaneſcit ſine Marte & arte:
Ars tamen Marti rapit inuidendæ
Præmia palmæ.
Martio ſi quis ſtrepitu ingruente
Deuio greſſu Sophiam reliquit,
Hic rei ſummæ tumidis ſalutem
Tradidit Euris.
Heu! quibus demens locupletat vndas
Naufragæ rector ſpoliis carinæ,
Iura dum puppis maris æſtuoſis
Credidit vndis?
Seu ratem ditet Perües metallum
Erutum mundi latebris ſepulti,
Siue ſtipatam nemoroſa Idume
Thure ſaburret;
Siue in audacis caua texta pinus
Congerat myrrhæ Braſilus liquorem, &
Balſami ſuccos, & ineuolutis
Cinnama libris;

Addat

Addat & gemmas Malabar ſub imo
Gurgite inuentas, adamasque pulchris
Grandinet capſis, geminâ repertum
Munus Iauâ:
Vnus hæc vaſto Thetidos profundo
Error ignari tumulat magiſtri.
Ipſe tempeſtas, Notus ipſe, & alno
Naufraga Syrtis.

PROSA EXEGESIS.

NON minori certè periculo exercitus aut Reipublicæ gubernacula duci imperito, aut rectori, qui oculos à prudentiæ Cynoſurâ deflexerit, creduntur. Neque enim mitiores in bello tempeſtates, quàm in oceano, neque tutiùs fortunæ, quàm ventis rei ſumma committitur. *Gubernator improuidus rem perdit.*

Sed duo potiſſimùm occurrunt, à quibus inter bellorum fluctus metuenda ſunt Imperatori naufragia, niſi ad ſapientiæ ſideriten animum adfricuerit, ſtulta ſecuritas, & inconſulta temeritas, vtraque aut ſtultitiæ aut ignorantiæ filia.

Et neſcio quâ ratione fieri dicam, vt qui neruis & corporis robore ceteris antecellunt, minùs fermè animo ingenioque polleant. Itaque hi tales contemnendis quàm cauendis hoſtibus meliores, à contemptu ſæpè nimiaq; fiduciâ initium calamitatis, atque adeò vaſtitatis patriæ dederunt: & quos ſpreuerant hoſtes, negligentiâ violentiores reddiderunt. Vide Lipſ. l. 5. Politic. c. 16. *Cauenda nimia ſecuritas hoſtiumq; cõtemptus.*

At contrà nihil tam leue, tamque infirmum ducendum erat, quod non magnæ interdum rei momentum facere poſſet: & ſæpè paruis in bello momentis magni caſus intercedunt. Quo magis præceptum illud in omnium Cæſar l. 1. de Bello ciuili. Aemilius Probus in Thraſ.

nium animis esse deberet, nihil in bello oportere contemni; nec sine causâ dici, Matrem timidi flere non solere.

Stultam securitatē in bellis quæ pariant.

Hanc à stultitiâ natam securitatem duo fermè in bellis lactare solent, armorum apparatus, & militum copiæ: quibus ita se munitos putant quibus infirmum est ingenium, vt nihil illis ad victoriæ summam deesse videatur. At nisi prudentia in consilium fuerit adhibita, quæ in omnes casus excurrat, & quidquid aut fortuna aut hostilis industria moliri potest, cogitatione præcipiat, quid erit tandem omnis ille armorum apparatus, nisi fumus? & quid militum copiæ, nisi longâ pompâ deplorandum funus?

Temeritas vulgo probatur, non sapientibus.

Altera stultitiæ proles est inconsulta temeritas, quæ ferociter omnia ac præproperè aggreditur, & simul atque hostilem aciem viderit, generosi ducis opinionem apud imperitos captans, fortunæ cuncta committit. Et verò si vulgi sententiis res definienda sit, omnis cunctatio seruilis & abiecta, prompta verò executio, ac periculorum contemptio, generosum quid ac Rege dignum præ se ferre videbitur.

Liuius lib. 22.

Cùm Fabius ille, qui rem Romanam cunctando restituit, castris in monte collocatis, Annibalis ferociam pertinaci cunctatione frangeret, à militibus pugnæ cupidis pro cauto timidus, pro considerato tardus, pro perito imbellis, castrensi conuitio vocabatur. Sed aliud certè fuit Annibalis, omnia prospicientis, & moram illam suspectam habentis, iudicium, qui malè sibi suisque metuens, Ista nubes, inquit, quæ sedet in montibus, sollicitata procellâ aliquando imbrem dabit.

Nihil itaque præproperè, nihil inconsideratè tentandum est: non vt perpetuò cunctando nihil agas, sed vt agentem

agentem te ratio, non fortuna ducat. Rectè Cæsar Augustus prælium aut bellum numquam suscipiendum monebat, nisi cùm maior emolumenti spes, aut damni metus ostenderetur: velle enim tentare fortunam, eius esse arbitror, cuius res cùm angustæ sint, spes etiam angustior in dies futura videatur. Meritò igitur Carthaginienses, duces bella prauo consilio gerentes, etiamsi prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebant; quod benè gesserant, Deorum immortalium adiutorio; quod malè commiserant, ipsorum culpæ imputantes.

Sueton. in Augusto, c. 25. *Prudentia in bellis adhibenda.* Simonetus apud Iou. Pont. hist. lib. 1. Valerius l. 2. c. 7.

Maneat igitur, primam Imperatoris virtutem esse sapientiam. Tametsi enim multum in re militari potest fortuna, adeoque multum, vt quidquid est prosperè gestum, id pænè omne ducat suum; tamen consilij magnæ in rebus arduis adeoque præcipuæ sunt partes. Quo sensu dixit Attius apud Sallustium, fabrum esse quemlibet suæ fortunæ. & Fabius apud Liuium, bono Imperatori haud magni momenti fortunam esse: mentem potiùs rationemque dominari.

Sapientia fortunæ præualet. Cic. pro M. Marcello. Lipsius l. 5 Politic. cap. 16. Sallustius ad Cæsarem. Liuius l. 22

Nec plus illi in armis aut robore corporis est præsidij, quàm in fortunâ. Quemadmodum enim machinæ illæ bellicæ, quæ nitrato puluere confertæ, tonitrua acfulmina imitantur, nulli sunt vsui, nisi flammam veluti spiritum vitamque conceperint; ita nihil prodest aut armorum apparatus, aut militum virtus, nisi ducis sapientia tamquam vigor quidam vitalis accesserit.

Sapientia corporis viribus præstat.

Quin ipsum etiam Imperatorem, tametsi corporis viribus polleat, si sapientiæ lumine fuerit orbatus, non alium existimabo, quàm Cyclopem illum Siculum, qui Vlyssi, id est sapientiæ ludos præbens, hastam irritis

irritis ictibus libret, vires in ventum effundat, scopulis manus allidat, ac suâ tandem mole corruat. Meritò igitur Agamemnon, vt Troiam euerteret, non decem Aiaces aut Diomedes, sed Nestoras optabat.

Adamus Contzen lib. 4 Politic. c. 12.

Et verò si quis historiarum monimenta peruoluerit, inueniet, celeberrimos Imperatores non minùs litteris ac scientiis excultos, quàm armis exercitatos; non minùs consilio superiores euasisse, quàm gladio. Nónne Periclem, Græciæ fulmen, annos quadraginta accepimus eloquentiâ populum, fortitudine militem, vtrumque prudentiâ gubernasse? Nónne ducum præstantissimus Timotheus ab Isocratis disciplinâ exiens, res Græciæ collapsas instaurauit? Et quoties Cneus Pompeius, depositâ casside, mitioribus Philosophorum certaminibus operam dedit? Ac inprimis è bello Mithridatico victor Rhodum veniens, sigillatim omnium Professorum ædes circumiuit, & fasces illos laureatos priuatorum ianuis submisit.

Summi Imperatores scientiis excultifuerunt.

Quid ego nunc infinita ducum stratagemata commemorem? quorum pleraque, si rectè ratiocinabimur, non tam fortitudinis, quàm ingenij prudentiæque fœtus esse fatebimur. Non ingrediar hîc infinitum exemplorum pelagus: duo tantùm ex omni numero producam, quæ planè gemina sunt illi historiæ, quam de obsessâ vrbe, ac per sapientiam liberatâ, perstrinxit Ecclesiastes.

Stratagemata in bello sunt prudentiæ fœtus.

Liuius l. 5.

Alterum Romanorum est, qui, cùm Galli Capitolium obsiderent, eiusque potiundi spem in fame obsessorum reponerent, prudenter vnico illo perseuerantiæ irritamento victores spoliarunt: proiectis enim, compluribus ex locis, in eorum castra panibus, spectaculo obstupefactos ad pactum soluendæ obsidionis compulerunt.

Alterum

Alterum nobis suppeditat Agathocles Syracusanorum Rex: qui, obsessâ, maiorique ex parte captâ vrbe à Carthaginiensibus, vt reliquæ parti consuleret, relictis paucis propugnatoribus, exercitum in Africam traiecit, vt metum metu, vim vi discuteret. Nec frustrà: nam repentino eius aduentu perculsi Pœni, libenter incolumitatem suam saluto hostium redemerunt. Val. Max. lib. 7. c. 4.

In re militari sapientia præstat fortitudini.

Ex quibus omnibus luce meridianâ clariùs efficitur, non tantùm in re militari sapientiam fortitudini præstare, sed vsque adeò ducibus esse necessariam, vt si quis vel in vno ab eius normâ deflexerit, multorum bonorum iacturam, vt ait Sapiens, sit incursurus. Non licet in bello bis peccare, ait Plutarchus: quia nimirum vnicus error totius rei summam in discrimen adducit. Hinc meritò turpe esse affirmabat Africanus, in re militari dicere, Non putaui. Cùm enim inemendabilis sit error, qui violentiâ Martis committitur; explorato & excusso consilio ea, quæ ferro aguntur, administrari censebat oportere. Plutarch. in Apophthegm.

Etiam in administratione Reipublicæ.

Quæ autem de re militari diximus, eadem in Reipublicæ administratione locum habere, nemo non videt. & signanter idem affirmat Sapiens, dum sic inquit: *Vbi non est gubernator* prudens, *populus corruet; salus autem, vbi multa consilia.* Quin hoc etiam amplius de Republicâ pronuntiauit Liuius: Excellentibus ingeniis citiùs defuerit ars quâ ciuem regant, quàm quâ hostem superent. Et Nazianzenus: Profectò ars quædam artium & scientiarum mihi videtur esse, hominem regere, animal maximè varium & multiplex, quod in nullum magis insurgit, quàm in eum quem imperium in se affectare persentiscit. Vis igitur Prou. 11, 14. Liuius li. 2. Nazianz. Orat. Apolog. 1.

tur morosum hoc animal in gyrum rationis ac obedientiæ redigere, & quidem sine vi & armis? vtere suaui ac moderato prudentiæ fræno. Hæc vnica & propria virtus est imperantis. Et sanè plura, vt ait Tacitus, in summâ fortunâ auspiciis & consiliis, quàm telis ac manibus geruntur; vt verum sit Poëticum illud oraculum:

Tacitus 13. Annal.

Euripides. *Mens vna sapiens plurium vincit manus.*



SPECV-

SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE CAPVT DECIMVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 1. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Pretiosior est sapientia & gloria, parua & ad tempus stultitia.

Alia versio habet: Ponderat præ sapientiâ, & præ gloriâ stultitia parua.

2. Cor sapientis in dexterâ eius, & cor stulti in sinistrâ illius.

3. Sed & in viâ stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

METRICA PARAPHRASIS.

MVSCAS *dum crocei aut cinnamei hospites*
Liquor retentat vnguinis,
Si molli tumulo fortè superstites
Virtus odoris enecet:
Vnguento species & pretium perit,
Nullisque seruit vsibus:
Sic quos nobilitat puluere Olympico
Heroïcum palmæ decus,

Queis virtus pretium, queis sapientia
Cæli fauores adijcit,
Si fors vel tenui stultitiæ notâ
Splendorem obumbrant gloriæ;
In fumos abeunt conspicuæ faces,
Et digna fastis nomina.
Alcides humeris sidera fulciens
Atlante vix Atlas minor,
Post fixa Hesperij margine littoris
Partæ trophæa gloriæ,
Ritu Mæoniæ comptus amiculæ,
Et Cypriâ comam hispidam
Sub mitrâ cohibens, inter adulteras
Prodegit immensum decus.
Heu! serò hanc maculam nominis intuor,
Mihique canto fabulam.
Heu! quòd me Cypridis præcipitem dedit
Vertigo mentem fascinans.
Deuita, Sophiæ quisquis amicior,
Hunc turbinem dementiæ.
Si curru celebrem fama Hyperionis
Per astra cæli vexerit;
Vt primùm nebulam stultitiæ hauseris,
Vanescet extinctum decus.
Hoc spectans sapiens, indecoris fugit
Vitæ perosus tramitem:
Cælo conspicuum tollere verticem
Virtute clarâ gestiens.
Seu curas animo peruigili coquat,
Palmam & coronam cogitat:
Seu fessis veniat luminibus sopor;
Trophæa somnus erigit.

Virtus dulce putat ſanguine poſtumam
Vitam paciſci nominis:
Virtus indigetum nata penatibus
Cognata ſpectat ſidera.
At ſtultus ſequior deſidis otij
Alumnus, ac plangens humum,
Nil dignum rutilo cogitat æthere,
Famæque cantandum tubâ:
Nil fauſto ſtolidus concipit alite,
Nil ordine aut modo gerit,
Virtuti anteferens regna pecuniæ,
Honeſta fœdis poſthabens,
Quin iſthuc fatui prouehitur furor,
Vt cùm ſit inſtar caudicis,
Nigriſque Anticyris immedicabilis,
Totuſque rus merum; tamen
Fungos inſipidos & pepones vocet,
Quos obuios dedit via.
Solus fatidicus Tireſias ſupra
Examina vmbrarum ſapit.
Sic queis in vitreis fors ſpecularibus
Infuſus eſt ater liquor,
Fallaci radio luminis autumant
Cunctos peruſtos Solibus.
O quantum ſolidæ gens ſapientiæ
Vulguſque inane diſſident!

PROSA EXEGESIS.

MAGNVM omnino diſcrimen ſapientem inter & ſtultum, ac diſpar vtriuſque vitæ ratio. Cùm enim hoc vnicè commendatum ſit ſapienti, ne vnquam ab originis ſuæ ſplendore degeneret, ſemperque honeſta, *Sapientis & ſtulti diſcrimen.*

cæloque affinia conſectetur, nec eodem ſepulchro cum corporis exuuiis memoriam ſui computreſcere patiatur; fatuus contrà nihil altum ſpirans, nihil arduum, ſic vitam inſtituit, vt à morte nihil diſcrepet; naturæque melioris oblitus, tamquam corpus voluptati, anima illi ſit oneri, ad inſtar ignauæ pecudis, aut in cœno ſordibuſque volutatur, aut rebus nihili diſtinetur, aut negotium tractat otio pernicioſius.

Ambitioſorum ſtultitia. Eccle. 1.

Pone ſub adſpectum, ſi placet, ætatum omnium terarumque compendium; & quoniam *ſtultorum infinitus eſt numerus*, pleraque mortalium ſtudia contemplare, videbis quoſdam & ridebis trabearum faſciumque candidatos, aut veriore nomenclaturâ abiectiſſima aulæ mancipia, qui pudendâ ſubmiſſione etiam infimi cuiuſque genua prehenſant, & veſtigia exoſculantur. Quo fructu tandem? vt aliquando pro honore fumos, pro Iunone nebulam vani Ixiones amplexentur.

Auarorum ſtultitia.

Videbis alios, quibus auaritia omnem vitæ guſtum fructumque abſtulit. Imperioſum malum! cuius tyrannidi neque dies operoſi ſufficiunt, neque noctes inſomnes: cuius implendo gurgiti neque terrarum fertilitas, neque marium commercia, imò nec inferorum theſauri pares eſſe poſſunt. Certè nimis anguſtæ Neroni fuerunt opes Imperij Romani, quas poſtquam abliguriuerat, turpi nundinatione Magiſtratuum inſtitutâ, conſorti ſcelerum ſuorum non pecuniam tantùm, ſed ſuccum & ſanguinem emungenti, hoc idemtidem inculcabat: Noſti quid ſitiam; hoc agamus, ne cuiquam quid ſit reſidui.

Sueton. in Nerone.

Bernardus l. 2. de Conſiderat.

Otioſorum ſtultitia.

Præ hac dementiâ leuior eorum ſtultitia cenſebitur, quibus otium arridet, mater nugarum, nouerca virtutum: quibus neque degener vmquam aſſurgit animus

ad

ad excelsas & heroicas cogitationes sapientum, neque roboris aut industriæ satis est ad euellendas vitiorum fibras, aut excutiendum lethargi stuporem. Itaque si virtutis decor inuitauerit, aut honestatis alicunde radius effulserit, Deus bone! quas non difficultatum moles sibi obiiciunt? quas non periculorum vmbras ignauiæ suæ prætexunt? Væ mihi! exclamat piger, *leo est foris in viâ, in medio platearum occidendus sum.* Quid ergo consilij? Satius est igitur versare me *in lectulo, sicut ostium vertitur in cardine suo.* Et quamuis animum eius efficaci cohortatione non minùs in omnem partem verteris, atque corpus voluitur in plumâ; non aliud tamen impetrabis, quàm verba lenta & somnolenta. Nimirum cogitationes eius similes sunt conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine rursus remerguntur. Prou. 22, 13. & 26, 13. Augustinus lib. 8. Confess. c. 5.

Sed omnes mihi dementiâ superare videntur illi, qui nominis ac famæ, fortunarum & salutis dispendio se libidini voluptatique manciparunt. Quis enim hostis in victos ac profligatos tam contumelioſus vmquam extitit, quàm in quosdam suæ voluptates fuerunt? *Libidinosorum dementia.*

Sed gradum figo, ne in hoc latissimo stultitiæ campo, inter tot errores labyrinthum sibi texat oratio: in quibus cùm multa sunt indigna, tum nihil intolerabilius, quàm insanos illos optimum quemque ac sapientissimum dementiæ insimulare. *Sed & stultus in viâ ambulans,* inquit Ecclesiastes, *cùm sit ipse insipiens, omnes stultos æstimat.* Enimuerò quid magis obuium est in rebus humanis? *Stultitia damnare vult sapientiam.*

Audi, si placet, auaros, illos inquam vilissimos terræ vermiculos, qui lucem exosi, auriqué cupiditate excæcati, circa lutulentam prædam, ad ipsa pænè tartara pro- *Auari despiciunt pauperes spiritu.*

proreptant: nónne fanaticos illos aut lunaticos interpretantur, qui nudum Christum nudi sequuntur, & vltroneam paupertatem professi, nuntium rebus humanis remittunt?

Otiosi strenuos damnant.

Quid autem desides illi, quorum, vt antè docui, nihil aliud est vita, quàm viui hominis sepultura? Ij verò sapientiam sibi præ ceteris arrogant. *Piger* enim

Prou. 26, 16. *sapientior sibi videtur septem viris loquentibus sententias,* puta septem illis Græciæ luminibus, aut apud Romanos capitalium causarum arbitris. Quas autem loquitur sententias? Iamdudum hanc produxit noster Eccle-

Eccle. 4,5. siastes. *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore & afflictione animi.*

Libidinosi continentibus insultant.

Sed multò etiam intolerabiliùs, castis, sobriis, continentibus insultant Circæa mancipia, libidinis ac voluptatis asseclæ, dum velut vltimos & calamitosissimos mortalium despiciunt eos, qui carni in carne bellum inferentes, ciliciis corpus affligunt, inediâ macerant, flagellis excruciant. Iam olim ceteros mortalium præ se despexit perditissimum illud libidinis mancipium Sardanapalus: qui cùm vitam omnium turpitudinum fœcibus contaminatissimam, subditisque suis exsecrabilem duxisset, sepulchrum suum his verbis in-

Athenæus lib. 12. signire non erubuit: Ego regnaui, & quamdiu lucem Solis sum intuitus, bibi, comedi, Venerem exercui. Ede, bibe, lude: reliqua ne digitorum quidem strepitu digna sunt. Quid igitur virtus? Res horrida, spinosa, vilis, abiecta, despicabilis. O pudor vbi es? Quid enim aliud, inquit Aristoteles, in bouis, non in Regis

Cic. lib. 5. Tusc. quæst. sepulchro inscriberes? hæc habere se mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutiùs habebat, quàm fruebatur.

Quó-

Quónam vsque tandem hæc stultorum somnia valebunt? donec nimirum detersâ huius vitæ crapulâ, serò ad contemplandam aliam rerum faciem oculos aperient, & inopinatâ iustorum gloriâ perculsi, cum gemitu dicent: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Sap. 5, 3. *Sera stultorum pœnitentia.*

Quare non immeritò sapientiæ iustitiæque candidati stulta hæc improborum iudicia pro nihilo habentes, vnam virtutem sequuntur ducem; licet per ardua, per confragosa, per maleuolentiæ spicula, per inuidiæ faces, per aduersæ fortunæ tela, ad immortale decus eius enitendum sit. Nihil illis pulchrum, nisi rectæ rationi conforme: nihil suaue, nisi gustum habeat veræ sapientiæ. Nihil opinionis causâ, omnia conscientiæ faciunt. Quibusuis laboribus obuij, corpus animo fulciunt; & cælum velut scopum intuentes, maiora mente concipiunt: denique sui semper similes, vitam citiùs, quàm honestatem, extorqueri sibi patiuntur; non ignari scilicet, quàm facilè præteritæ vitæ splendorem superueniens obnubilet vmbra stultitiæ. *Sapientes stultorum de se iudicia contemnunt.*

Quod dum initio huius Capitis nobis inculcat Ecclesiastes, nescio an ad virtutem generosas mentes incitet magis, an verò in cursu prouectas, metæque iamiam imminentes, sufflaminet. Quis enim non animo concidat, si persuasum habeat, totum anteactæ vitæ decus, quantumuis exiguæ stultitiæ nebulâ fuscatum, euanescere? Enimuerò quotusquisque est, cui non leuis aliquando fatuitas obrepat? quis ita cir- *Etiam sapiens interdum cespitat.*

cumſpectè ſingula figit veſtigia, vt non aliquando ceſpitet?

——*Semel inſaniuimus omnes,*

D. Leo Serm. 11. de Quadr. ait Poëta: magniſque laboris eſt (vt cum D. Leone loquar) cùm vndique innumeræ vanitatum illecebræ blandiantur, ad nulla contagia vigorem animi relaxare. Quis picem tangit, & non inquinatur ab eâ? quis non infirmatur in carne? quis non ſordeſcit in puluere? quis tantæ puritatis eſt, vt iis non polluatur, ſine quibus vita non ducitur?

Quid eſt igitur? An tale nobis Eccleſiaſtes cum Stoicis hîc proponit exemplar ſapientiæ, quod nuſquam terrarum vmquam extiterit, vt ait Plutarchus? ita vt præter generoſos conatus nihil hîc à nobis exigatur? An verò popularis hîc iudicij trutina ſugillatur, in quâ, ſi quid humanitus acciderit ſapienti, magnis vitæ meritis exiguus error præponderat? An denique eorum nos exitus vult perhorreſcere, qui vitam diu laudabiliter actam inſigni tandem dementiæ labe contaminarint? quique, vt ait Propheta, enutriti in croceis, amplexati ſint ſtercora? Quidquid horum ſibi propoſitum habuit Eccleſiaſtes, hoc certè voluit vnicuique noſtrûm curæ & cordi eſſe debere, ne qua turpitudinis aut ſtultitiæ macula vitam contaminet. Videamus nunc igitur quid porrò cuique cauendum hoc Capite præſcribat.

Plutarchus de Pugnâ Stoicorum.

Thren. 4, 5.

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERS. 4. Si spiritus[a] potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

[a] *Campens.* Si cupiditas dominandi animum tuum inuaserit.

METRICA PARAPHRASIS.

FELIX, *procellas quisquis vndantis sali*
Sua vela stringens horret, & Zephyros timens
Nimiùm ferentes, patrium remo legit
Propiore littus: quippe rupe sub cauâ
Tumultuantis Æoli ridet minas,
Et portuosi marginis tutus sinu
Fragiles in altum prouehi spectat rates,
Disterminantes limite angusto metus,
Tabulaque sectas mortis & vitæ vias.
Felix, paterni cultor & custos laris,
Qui priua rura bubus exercens suis,
Popularis auræ prosperos flatus timet,
Modicusque voti, patriam gremio premit
Fouetque sortem; vela nec pandit spei:
Securus auidas cuius infaustum comas
Diadema cingat; cuius in caput minas
Diri cometæ vibret ignicomum iubar.
Hac sorte viue, quisquis in sortem venis
Beatitatis: nulla te sursum vehat
Fauoris aura. Gloriæ splendor licet
Percellat oculos, iura sceptrorum licet
Animos adulent stemmate illustri satos,

Licet ad ſecures vrna popularis vocet;
Ne crede ſorti, fige conſtantem gradum,
Maleſida neu te ſceptra dimoueant loco.
Quod ſis, id optes eſſe, nec quidquam prius
Potiúſve ducas. Regna nihil aliud putes,
Quàm nomen oſtro putrido infectum, & comam
Vano ſuperbam vinculo. Hæc caſus breuis
Subruit; eoque promptiùs, quò celſius
Fortuna culmen rebus ambiguis dedit.
Sic alta terret fulmen acroceraunia:
Humilis agreſtes vallis abſcondit caſas.
Leuiora leuiùs Numen iratum ferit:
Potens potentes pœna diſcruciat reos.
Quid lacera curis pectora, & luctus graues,
Obuia ſopori ſpectra quid memorem? Minor
Tyrio ſub oſtro corpori obrepit quies.
Quid, quòd potentum limine pietas, fides,
Morumque candor exulat? ferrum Themis,
Libido lex eſt: quà iuuat, Reges eunt.
Quid ſcelera memorem, luridæ prolem ſtygis,
Cubile in ipſis Regiæ penetralibus
Locare? Regis impotens ſolium occupat
Faſtus, palati ſtipat æratas fores
Furor ſatelles: inuidia culmen tenet
Crinita colubris: ædibus penitis locum
Fucata vultum deligit calumnia,
Fraudumque laruæ: bella molitur foris
Furiata Enyo: fas, nefas, dolus, fides
Perinde habentur. Vidit infandos Gaba
Saulis auſus, cùm patri inferias meo
Toties pararet Martis occulti dolis.
Videre Thebæ mutuam Regum necem,

Fra-

Fratrumque in ipsâ morte discordes rogos.
Quin prima mulier nobilis fastu ac probris,
Mentita sexum, Regiam inuasit Nini.
Quid vos Mycenæ? (mentis admonitu stupet
Perculsa vox) vidistis horrendum nefas,
Atrei furores, ac Thyestæas dapes.
Quid si & venenis mensa conditis scatet,
Et sculpta tacitam gemma propinat necem?
Adde impiata iura socialis thori,
Fatoque Regem classis Argolicæ datum
Maiorem Atridam: Phœbus vbi dubius stetit,
Solitáne abiret, an Thyestæâ viâ.
Nullum superbâ purpurâ facinus abest.
Quotquot potentes admouent sceptris manus,
Nimiùm sibi licere, quod libuit, volunt.
An non honoris futile hoc nomen rear,
Quod tanta scelerum sæpè dehonestat lues?
Hæc scelera vitat quisquis inuolucris suâ
Se sorte, plebis non graues curas amat,
Sibique tacitus viuit, & viuit Deo.

PROSA EXEGESIS.

SVPERVACVA videri posset hæc Sapientis cohortatio, nisi tragicorum nos exemplorum vetustas doceret, plus posse in animos hominum tyrannicum ambitionis imperium, quantacumque vanitatis aut periculi denuntiatione. Nimiùm scilicet oculis suis credunt, externâ rerum superficie contentis, & inani splendore fascinatis. Atqui penetrandum potiùs erat in ipsa viscera, & cum experientiâ vitæ magistrâ de rerum naturâ consultandum.

Satísne splendoris ac maiestatis habuisse videtur Regina

Honor ac dignitas quàm parui sint pretij.

gina Persarum Esther impendio tot Prouinciarum ornata, quæ ab ipso Reginæ cultu nomen sortiebantur? Satísne, inquam, splendoris ac maiestatis habuisse videtur, vt de Regiâ fortunâ sententiam dicere possit? Audite quo in pretio apud illam fuerit tanti regni diadema. *Tu Domine*, inquit, *qui habes omnium scientiam, nosti quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ.* Satísne fortuna Regia perspecta fuit Antigono? ille tamen vetulæ, felicitatem eius deprædicanti, Si nosses, inquit, ô mater, quot malis hic panniculus inuoluatur, ne de sterquilinio quidem iacentem auferres.

Esther 14, 14.

Stobæus Ser. 47.

Regia fortuna miseria. Seneca Troad.

Neque minùs exploratam habuit hanc vmbratilem felicitatem ille tot Regum ductor Agamemnon: qui aliud nihil esse pronuntiauit diadema, nisi *vano fulgore tinctum nomen* (vt rem vocaret, adduci non potuit) *& falso comam vinclo nitentem.* quasi dicat: Vulgus capitis ornamentum vocat, cùm verius catena sit, & verticis nostri vinculum, quod miseros capite minuit, veram tollens libertatem, & in veram compingens seruitutem. Quid enim aliud est magna fortuna, nisi magna seruitus? Senserat hoc Monima Milesia Mithridatis vxor, mulier apud Græcos in paucis nominata: quæ vt se in libertatem assereret, ipso se diademate suo suspendit. sed eo fracto cùm in terram corruisset, detractum collo pedibus conculcauit, dicens: Execrabilis fascia, nec in vitâ suaue quidquam mihi contulisti, nec in tam tristi obsequio quidem mihi vales opitulari. eoque dicto, pectus mucrone Bacchidi transfodiendum præbuit.

Plutarch. in Lucullo.

Et hi quidem testes omni exceptione maiores, qui non vt Philosophi plerumque de Chimæris aut ideis animo fabricatis otiosè disputant, sed de iis nos certio-

res

res faciunt, quæ vsu quotidiano contrectarunt. Quis igitur splendidam hanc amet seruitutem, tot miseriis circumseptam? Quis tam demens est, vt omnium velit obsequiis reuerà substerni, vt in speciem dominari videatur? Et hoc potentiam, hoc regnum vocant, omnium domos suâ vigiliâ defendere, omnium otium suo labore, omnium delicias suâ industriâ, omnium vacationem suis occupationibus? Hoc est esse beatum, manus omnium circumspicere, nutus obseruare, suspectum habere loquendi audiendique commercium? Non magis sanè, quàm olim verè Rex fuit personatus ille Syracusanorum tyrannus sub ense districto & ceruicibus imminente collocatus. Non enim minùs attonitos & perplexos, quàm Damoclem illum, habet lubrica dignitatum conditio, & ipsa per se metuenda altitudo.

Hanc olim vocem Mecænati in ipso dignitatis equuleo veritas extorsit. Ipsa, inquit, altitudo attonat summa. Quis nescit, præruptis montibus adiacere præcipitia? & inter perfidorum impellentium manus procliuem esse ruinam? Ostendit hoc magnorum exitus, quos in exemplum fortuna, tamquam nauseantis stomachi vomitum, posuisse videtur. Quis Ablauium Constantini, Rufinum Arcadij, Iunioris Theodosij Flauium, aliosque innumeros, quasi totidem fortunæ ac dignitatum pilas ignorat? Olim certè nec Manlio Capitolij defensio, nec Seiano Imperatorius sanguis, nec Pompeio orbis victoriis lustratus, nec Cæsari terrarum triumphi profuerunt; iacent coniunctissimorum mucronibus interempti.

Seneca Epist. 19.

Scriban. l. 1. Polit. c. 21. *Magnorum funesti exitus.*

Nec meliora fata extra Romanum Imperium in viris magnis inuenies. Mithridates tot Regnorum dominus, bellis fractus, ne fortunæ suæ supereſſet, violentâ manu

manu vitam abrupit. Idem mortis genus placuit Hannibali, ne viuus ludibrio esset hostibus. Quid plura? Nónne Crœsus rogum suum vidit, Agis laqueum, venena Phocion, Baiazetes caueam, Manfredus securim? Prorsus vt opimas fortuna sibi saginare videatur victimas, aut cum Tarquinio summa papauerum capita ferro destinare.

Honores attingere periculosum.

Quisquis hæc legis, fuge nimis alta fastigia, grauiori semper ruinæ obnoxia: nec te publicæ lucis amor, aut dignitatum splendor alliciat, quæ non rarò tam infelici exitu funestantur. Rides subinde pyraustam flammæ pulchritudine delectatum ad lucernas aduolantem: qui dum flammam nimis prehensat, comprehenditur, ludumque in exequias vertit. Non meliore fortunâ ex hac honorum palæstrâ discedes, quisquis illos immodico adfectu concupiscis.

Aelianus lib. 12. c. 8.

Ambitio multorum peccatorum causa.

O pone modum magnis cogitationibus, quæ prauâ semel viâ ingressæ, fas ac nefas iuxtà habent, æquum & iniquum, pudorem & infamiam. Vt enim quisque est altissimo animo, & gloriæ cupido, ita facillimè ad res iniustas impellitur. Nec aliud spectat impotens ambitionis dominatus, quæ disertè à D. Bernardo dicitur subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium. Certè excæcatrix cordium. Non enim aliter credibilis esset tantus in vllo furor, qui tam temerè diuina humanaque iura proculcaret. An per stupra paterni tori ad regna gradum sibi strueret Absalom, nisi ambitionis eum dementia prorsus excæcasset? An Regiæ stirpis sanguine se proluеret Athalia? An spuria Gedeonis proles septuaginta fratres legitimi

Cic. lib. 1. Offic.

Bernard. in Psal. 90.

2. Reg. 16.

4. Reg. 11.

Iudicum 9.

thori

thori prærogatiuâ potiores, in vno saxo cupiditatis suæ victimas immolaret? An Tullia, vt virum Tarquinium Regem salutaret, supra cruentum patris cadauer vecta carpento, consternatos equos ageret? Florus l. 1. c. 7.

Rursus nisi ambitio hominem ex homine tolleret, & cum ratione mentem penitus extingueret; numquam Nabuchodonosor exterminatis gentium diis, solus ipse Deus haberi voluisset: numquam aras & sacrificulos affectasset Tiberius: numquam Olympici Iouis simulacro capitis sui effigiem imposuisset Caligula: numquam Bacchum, &, quod extremæ dementiæ est, Cybelen habitu expressisset Heliogabalus. Quid nunc post tam infanda scelera inausum aut intentatum ambitioni credimus? An non igitur meritissimo iure noster Ecclesiastes: *Curatio* ambitionis *cessare faciet peccata maxima?* Iudith 3, 13 Suetonius in Tiber. Suetonius in Calig. Fulgosus l. 9. c. 5.

Viderunt hoc illustrissima orbis Christiani lumina: quos inter Ambrosius, ab Imperatore ac populo Mediolanensis Episcopus postulatus, nocturnâ se fugâ proripuit. Taceo Chrysostomum, quem Antiochiâ profugum Flauianus diuino monitu in speluncâ deprehensum sacris initiauit. Sileo Magnum Gregorium, igneæ columnæ indicio proditum, & ad Pontificatus apicem cum lacrymis raptatum. Prætermitto Bernardum, Thomam Aquinatem, nostrosque Laynesium, Borgiam, aliosque quamplurimos, qui Pontificias infulas, ipsamque sacram purpuram constantissimè repudiarunt. Huic sapientum cœtui quicumque se aggregat, is demum sapit: & extra fortunæ aleam constitutus, soluto animo ac libero pronuntiat: Paulinus in Vitâ. *Viri sancti honores fugerunt.* Metaphrastes in Vitâ. Ioann. in Vitâ.

Stet quicumque volet potens Seneca Thyest.
Aulæ culmine lubrico;
Me dulcis saturet quies.

Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio.

Sed vela verto, vt ad alia ſtultitiæ genera, quibus euanidum redditur boni nominis vnguentum, deflectat oratio.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 5. Eſt malum quod vidi ſub Sole, quaſi per errorem egrediens à facie Principis:

6. poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & diuites ſedere deorſum:

7. Vidi ſeruos in equis: & Principes ambulantes ſuper terram quaſi ſeruos.

METRICA PARAPHRASIS.

QVIS *fumum decus æſtimet?*
Quis vanis pretium ponat honoribus,
Dum quos purpura veſtijt,
Vitæ degeneris commaculat pudor?
Falſo nomine dignitas
Indignos decorat. Vidi ego Principis
Errore exitiabili
Magnatum fatuos ſcandere culmina,
Et quos dedecorant probra,
Ornatos trabeâ ac faſcibus Imperi,
Triſti nube ſupercilI
Deſpectare humiles nobilium greges:
Dum quos diuitiæ beant
Virtutum, & Sophiæ nobilitant opes,

Ad

Ad subsellia plebei
Regum desipiens calculus abijcit.
Vidi ergastula splendidis
Sublimes in equis, dum Proceres humi
Seruorum obsequia occupant.
O morum scabiem! ô perniciem rei
Summæ! sicne ferociens
Virtutum rapiat præmia seruitus?
O qui sidera concutis!
Sic risu placet hæc infima vertere?
Quod maius trabeæ probrum,
Quàm si secta flagris tergora vestiat?
Quid quòd turgidius nihil
Orbis fert humili, dum solio incubat?
Quod vitæ meritis nequit,
Maiestate manus, ac tumido gradu
Affectat decus ImperI.
Cùm nil eximium mancipia erigat,
Hoc solum eximium putant,
Si rerum dominos sub pedibus premant,
Et ius fasque libidinis
Seruilis misero subijciant iugo.
Quid flammas memorem, & cruces,
Spirantesque animos sanguineam necem?
Regnat sanguine plurimo,
Qui vili ad solium è sanguine prosilit.
Surgit res tenuis, vapor,
Cùm Solis radiis in nebulam coit:
Sed mox parturiens minas,
Mundum terrifico fulmine concutit.

PROSA EXEGESIS.

Diligenter expendendũ quis Reipublicæ præficiatur.

ERROR certè Principis exitiabilis! cui cùm tranquilla ac beata ciuium vita debeat esse proposita, videndum est etiam atque etiam, quibus Reipublicæ clauum committat, quos Iuri dicundo præficiat, quos legum publicæque tranquillitatis vindices eligat. Nam, vt rectè monet Cassiodorus, diu ipse trutinandus est, cui traduntur examina trutinæ: talisque debet à Principe deligi, qualis ab ipsâ posset lege dictari.

Cassiodor. l. 5. Var. c. 40.

Quid cauẽdum in Principum ac Magistratuum delectu.

Cauendum est igitur, ne turpe lucrum sectatus fœdâ Magistratuum nundinatione, quæstui Rempublicam habeat. Nec solo maiorum stemmate commendabiles, cetera fungos & caudices, assumat; memor illius quod notat Paterculus, Optimum quemque esse nobilissimum, & in cuius animo insit virtus, ei plurimum esse tribuendum. Nec denique affectui suo plus æquo indulgens, seruos aut libertos vilissimi obsequij merito in proprium dedecus immodicis extollat honoribus, ne obiiciatur illud Plinij: Præcipuum est argumentum non magni Principis, liberti nimis magni.

Velleius lib. 11.

Plinius in Panegyr.

Sed, prô dolor! in iis qui omnia sibi volunt licere, plus non rarò valet cupiditas, quàm ratio aut honestas. Deus bone! quàm indigna olim passa est Romana Respublica, cùm, libertate pessumdatâ, æquum & iniquum Imperatorum iugum subiret! quæ non monstra vidit illa ciuitas, cùm seruis, aurigis, citharœdis, cupediariis, ceterisque eiusmodi quisquiliis Magistratûs insignia, tamquam aurei circuli suillis naribus aptarentur? cùm parasitis, aleatoribus, exoletis, vt erat quisque moribus perditissimis, ita maximè ad honores aditus pateret?

Magistratus indoctei.

Certè

Certè Vitellius magnam Imperij partem non niſi consilio & arbitrio viliſſimi cuiuſque hiſtrionum & aurigarum, & maximè Aſiatici liberti adminiſtrauit. Quid Claudius? annon libertos ſuos Poſidem, Felicem & Harpocram ad inuidiam extulit? De Heliogabalo quid attinet dicere? qui per Gordum & Muriſſimum, libidinum ſuarum conſortes, creauit Præſides, Legatos, Conſules: omnesque dignitates polluit ignobilitate hominum perditorum. Sueton. in Vitellio. Idem in Claudio. Lampridius in Heliogabalo.

Prætermitto illos, qui Rempublicam ludibrio habuerunt: inter quos Caligula, poſtquam equo ſuo, quem deperibat, equile marmoreum, purpurea ſtragula, monilia, ceterumque luxûs apparatum dediſſet, etiam Conſulatum eidem traditur deſtinaſſe. Nec minùs infamis Nero, qui cùm Doryphoro nuberet, Imperium Romanum pro dote aſſignauit. Sueton. in Nerone cap. 29.

Sed piget his portentis diutiùs immorari: hoc tantùm dico, quoties dignitas indignis contingit, non tantùm eos hoc honoris faſtigio non cohoneſtari, ſed eorum etiam indignitatem magis in propatulo conſtitui. Quis, obſecro, non rideat in Coloſſæâ baſi collocatam pumilionis ſtatuam? Quis ſtrumam in ſellâ curuli (ſic Nonium Catullus appellat) non deteſtetur? Non enim poſſumus ob honores reuerentiâ dignos iudicare, quos ipſis honoribus iudicamus indignos: nec tamquam humano faſtigio maiores venerari, quos vix hominum numero cenſendos iudicamus. Quid eſt enim aliud Principatus ſine meritorum ſublimitate, ait Saluianus, quàm honoris titulus ſine homine? aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto? *Honor indignos deheneſtat.* Boëtius lib. 3. Proſâ 4. Saluianus lib. 4. de Prouident.

Adde, quod caput eſt, pernicioſiſſimum eſſe, pulſis è Republicâ ſapientibus, aut in ſquallore ſituque iacentibus, *Indignorum promotio Reipub. perniciosa.*

bus, ſtultos, improbos, mortalium fæces, erectâ ceruice lætos alacresque volitare. non quòd ſapientis magnopere interſit, quo loco aut numero habeatur (virtus enim per ſe lucet in tenebris, & pulſa loco manet, ſplendetque per ſe ſemper, nec vllis vnquam ſordibus obſoleſcit) ſed intereſt inprimis Reipublicæ. Certiſſimam enim peſtem eſſe Reipublicæ pronuntiat Antiſthenes, ſicubi virtutis & ſapientiæ præmia ſtultitia & ambitio poſſident. Et ipſe noſter Sapiens orbem concuti affirmat per ſeruum, cùm regnauerit. Sic enim res habet, vt ſi gladium paruo puero, aut imbecilli ſeni aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat; ſin ad nudum vel fortiſſimi viri corpus acceſſerit, poſſit acie ipsâ & ferri viribus vulnerare: ita cùm ſeruis, fatuis, indignis, Magiſtratus tamquam gladius datur, qui per ſe pungere neminem vnquam potuiſſent, hi publicæ poteſtatis nomine armati, Rempublicam contrucidant. Intereſt etiam priuatorum, quorum fortunis imminent ſerui, quorum felicitatem perturbant fatui, quorum calamitatibus inſultant improbi. Quinimò intereſt & ipſius Principis, vt rectè docent ea quæ ſubiicit Eccleſiaſtes.

Cicero pro Sextio.

Prouerb. 30, 22.

Cicero pro Sextio.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERS. 8. Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber.

9. Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui ſcindit ligna, vulnerabitur ab eis.

METRICA PARAPHRASIS.

ESTIS *iô Superi! cælique Aſtræa tribunal*
Supplicia factis digna diſpenſans tenet.

Et

Et benè, quod fructus carpit consultor iniqui
Consilij, & ipsum redit in auctorem scelus.
Quisquis enim scrobibus grassabitur insidiosis,
Cespite viarum abrupta mendaci occulens;
Hunc operæ in pretium priùs ipse vorabit hiatus,
Fraudumque fossor damna, quæ parat, feret.
Sanguine Pigmalion fraternas imbuit aras,
Et quod patrare docuit Anthæum, tulit.
Sic multos fluuij cursu qui stante per annos
Litare docuit hospite infenso Joui,
Futilis occubuit vates Nilotide ripâ,
Primamque sæuis victimam dedit sacris.
Quis furor, indignis populi mandare secures?
Stolidisque seruis publicæ clauum rei?
Queis nihil est pensi, nulla est reuerentia legum:
Et quidquid animo libuit, actutum licet.
Queis vbi mens tulerit pessumdare publica, honoris
Auctorem in ipsum prima cudetur faba.
Sic vbi latrones hortorum septa reuellunt,
Coluber nocentum vulnerat morsu pedes.
Aut vbi quis lapides subduxit mœnibus vrbis,
Cumulo dehiscens machina auctorem obruit.
Aut qui ligna secat legum, tabulasque refigit,
Vt immerentes edito locet gradu,
Saucia crudeli gestabit pectora luctu,
Dum cuncta secum viderit clade obruta.
Melloni quæ causa fuit populoque Sichemi, Iudic. 9.
Diadema rhamno germini spurio dare?
Sed suus admisso sceleri ne deforet vltor,
Rex ipse flammas expiatrices dedit.

PROSA

PROSA EXEGESIS.

ET quis neget digna factis rependi supplicia, dum ij, qui fatuis, abiectis, indignis Magistratibus Rempublicam pessumdederunt, communi patriæ ruinâ inuoluuntur; aut qui subditis suis vuas acerbas obtruserunt, eorum dentes inprimis obstupescunt?

Error in delectu Magistratuum ipsi Principi perniciosus.

At, inquies, humanum est errare; & quibus ea cura incumbit, vt idoneos ciuibus Magistratus præficiant, non rarò aut ambitu candidatorum, aut amicorum importunitate, aut adulatorum præstigiis, aut simulatâ virtutis specie in fraudem inducuntur. Quid dicam? siqua fraus istiusmodi Principis diligentiam, & in delectu habendo sedulitatem eluserit, magnum malum; sin autem per socordiam nullo delectu probos iuxtà atque improbos habens, ambitioso cuique aditum ad honores patere permiserit, certa pernicies; si denique cupiditate cæcus, aut vitiis indulgens, consortes scelerum suorum, & ad libidines suas factos, ad Magistratus & dignitates euexerit, hoc verò flagitium est, omnibus diris ac pœnis expiandum. Sed quidquid horum interuenerit, persuasum sibi habere debet, quisquis fatuos, abiectos, indignos Reipublicæ præficit, quam subditis foueam hac ratione fodit, eam sibi vel maximè patere; & quem effractis legum repagulis, tabulisque dissipatis, ad honoris fastigium euexit, fore, vt iisdem ille legibus conculcatis, promotori suo perniciem machinetur.

Principes indigni promotoribus pernicioſi.

Euexerat olim Cn. Pompeius ad præcipua Reipublicę munia Marcellinum quemdam, hominem cui nec res nec spes vlla domi, verbo famelicum. Is, inclinante iam fortunâ, ad partes Cæsaris à patrono suo deficiens, grauiter in illum inuectus est, vsque adeò, vt indignitatem

Plutarc. in Vitâ Pompeij.

non

non ferens Pompeius, sic eum interpellarit: Non te pudet, Marcelline, ei maledicere, cuius beneficio ex muto factus es facundus, ex famelico eò perductus, vt vomitum non teneas?

Sed hæc leuioris sunt improbitatis; quæ subnectam, acerbiora sunt. Promouerat Alexander Imperator Maximinum quemdam genere Thracem, primùm opilionem, mox lixam, deinde militem, denique Seueri satellitem; eumque, solâ gladiatoriâ corporis firmitate commendabilem, tyronum legioni, adeoque toti mox exercitui præfecerat. Quod expectaris hîc gratiæ redhostimentum? Illeipse seu opilio, seu cacula, imperium orbis terrarum affectans, Alexandrum cum matre Mammeâ è medio sustulit. Lamprid. in Alexandro.

Quid Leonem Imperatorem commemorem? qui cùm Michaëlem Traulum, cuius antè memini, hominem ex omnium hæresum atque adeò vitiorum colluuione conflatum, addo etiam bipedum illiteratissimum, hostemque omnis politioris litteraturæ, ad summos dignitatum gradus extulisset, eodem conspirationis auctore, in ipsis sacratioribus templi adytis, cruentis inimicorum gladiis telisque discerptus est. Baronius Tom. 9. ex Zonarâ & Curopalate.

Prætermitto Amalasuentam Ostrogothorum Reginam, quæ cùm Theodahatum hominem hæreticum, multisque de causis Reipublicæ pernicioſum, in Regni thoriique consortium admisisset, mox ab eodem per causam conseruandæ inter Gothos concordiæ, in lacûs Vulsinienſis insulam relegata, tandemque, conculcato iureiurando, perfidissimè trucidata est. Sigon. li. 7. de Imper. Occid.

Taceo ceteros, qui Tragico suo occasu omni ætate historiarum monimenta locupletarunt. Quæ si quis attentè perlustrauerit, inueniet hoc diuino humanoque

Iure præscribi, vt in Magistratibus creandis magnus delectus adhibeatur: & si quis in administratione muneris torpor obrepserit, nullus in acuendâ industriâ nimius aut superuacaneus labor censeatur. Vnde non incongruè ad hanc industriam digressus subnectit Ecclesiastes:

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 10. Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt priùs, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.

METRICA PARAPHRASIS.

QVEM temperare publicæ clauum rei,
Imperijque iubes
Dominis præesse fascibus,
Ne patere luxu torpidum obbrutescere, aut
Desidiæ tumulo
Viuum cadauer obrui,
Non temerè lucis pristinæ accendit iubar
Ignea vis animi
Immersa terræ fœcibus.
Nec vera virtus marcida elumbi otio,
Cùm semel exciderit
Se robori antiquo refert.
Non arte quiuis pollet acris Vlyssei,
Vt sociis stabuli
Fœda ora Circei exuens,

Vultus

Vultus priores reddat, & Menti bonæ
(Post venerem atque iocos)
Emancipatos consecret.
Viden' vt securis abstinens operis, situ
(Supplicium ipsa sibi)
Rubiginoso carpitur?
Hanc si retuso chalybe, si sorde obsitam,
Dissimilemque sui
Luci redonatam cupis;
Ferrum nitori pristino tersum dabit,
Restituetque aciem
Vix improbus tandem labor.
Tu si medelam languido cordi paras,
Exacuisque aciem
Rubiginosis mentibus;
Sudoris imbre industriæ cotem irriga:
Præmia mox Sophiæ
Parturiet impensus labor.

PROSA EXEGESIS.

SEQVOR hîc digredientis Ecclesiastæ vestigia, aut latiùs etiam, si placet, excurro; & quod ille ad exstimulandam Principis sollicitudinem de indignis Magistratibus, quique muneri suo desunt, affirmat, id in omni vitâ locum habere contendo. Etenim vt in administrandâ Republicâ, imperiique fascibus ac securibus, sic in omni vitæ officio dupliciter peccatur, aut peruersis actionibus, aut officij neglectu. peruersis scilicet actionibus, legibusque violatis, ferrum retunditur; officij neglectu, adeoque otio, torpore atque ignauiâ securis hebetatur.

Sed siue vitiis in transuersum agitur humana mens,

Peruersi mores inueterati difficulter corriguntur.

siue in similitudinem otij sui soluitur ac eneruatur; si inueterata peccandi consuetudo conscientiæ callum obduxerit, magni laboris erit atque industriæ, pristinum in eâ virtutis splendorem veræque sapientiæ decus instaurare. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas*, inquit Ieremias: sic anima sanie peccatorum suppurata (loquor cum Basilio) & in habitu vitiorum constituta, vix magno negotio elui potest. Tantumdem de inueterato otio confirmat Cassianus. Mens, inquit, otiosi ita paulatim noxiis cogitationibus irretitur, vt velut serpentis alicuius spiris obstricta, numquam deinceps ad perfectionem professionis antiquæ se possit enodare. Laocoontem aliquem cogita, qui inter sinuosa anguium volumina, quantumcumque brachiorum nisu luctetur, numquam eluctabitur.

Ieremi. 13, 23.

Basil. q. 55

Cassianus lib. 10. c. 6.

Virgilius lib. 2. Aen.

Emendationi obstat cor durum.

Sed quid ego Laocoontæos dracones loquor? Maius hîc grassatur malum, tantoque maius vinculum, quantò interius. Non enim serpentis alicuius spiris constringuntur miseri, nec ferro alieno, sed suâ ferreâ voluntate, aut, si mauis, adamantinâ. *Posuerunt* enim *cor suum*, inquit Propheta, *vt adamantem, ne audirent legem*, quam non tantùm à limine cordis auriumque vestibulo procul habent, verùm etiam pedibus per ludibrium conculcant. Nihil enim in dignitate constitutis tam familiare, quàm contemptus: neque est quidquam duro cordi tam congruum, quàm remedia salutis aspernari.

Zachar. 7, 12.

Cor durum quid.

Quod certè nemini dubium erit, si à D. Bernardo quæsierit, quid sit hoc ipsum cor durum. Ipsum est, inquit, quod nec compunctione scinditur, nec mouetur precibus, nec minis cedit: ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia,

Bernardus l. 1 de Consideral.

turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentia negligens, futura non prouidens.

Magna est hæc inueteratæ consuetudinis tyrannis, adeoque magna, vt perinde cogat ac natura. Addo, quòd etiam violentiùs quasi catenis quibusdam constrictam circumducat voluntatem. Certè tantumdem de seipso fatetur D. Augustinus: Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersâ facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis quibusdam (vnde & catenam appellaui) tenebat me obstrictum dura seruitus.

Chrysost. in cap. 4. 2. ad Corinth. *Inueteratæ consuetudinis vis.* Augustinus lib. 8. Confess. c. 5.

Nec deerat interim amica vox Numinis ad pileum & libertatem vocantis: Sed ego, inquit, adhuc obligatus, militare tibi Domine recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Ita farcinâ sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar. Et quamuis consumpta & conuicta essent argumenta omnia; remanserat tamen muta trepidatio, & quasi mortem reformidabat animus restringi à fluxu consuetudinis, quo tabescebat in mortem.

Cor durum diuinis inspirationibus resistit. Idem ibid. lib. 8. c. 7.

Quænam, obsecro, in tanto remediorum fastidio spes salutis est reliqua? aut quis labor par esse poterit tam inueteratæ consuetudini? Quæ denique huic desperationi succurret industria? Nihil tamen desperandum, diuino fauore conatibus nostris adspirante. Nihil enim est, quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura. Robora in rectum, quamuis flexa, reuocabis; curuatas trabes calor explicat, & aliter natæ

Seneca Epist. 50. *Labor improbus omnia vincit.*

in id finguntur, quod vsus noster exigit: quantò faciliùs animus accipiet formam; animus, inquam, flexibilis, & omni humore obsequentior?

Laborandum est igitur, vt expugnetur inueterata consuetudo; & quidem improbus labor adhibendus est: sed tamen, vt ait Ecclesiastes, *post industriam sequetur sapientia.* Industria enim in hoc genere palmam eripit labori. Docet hoc disertè Bernardus; Consuetudo grauis est quædam ac pernicioſa catena, soluenda vtique faciliùs quàm rumpenda, adeò vt valeat hîc vulgare prouerbium, Industriam violentiâ potiorem: vt quemadmodum vis vi repellitur, ita feruore spiritus feruor extinguatur desideriorum, vt maligni artem arte deludas, & consuetudini consilium opponas. Alioqui si fortè vim pares, & castigationem corporis speres consuetudini posse præualere, verendum omnino est ne sit pernicioſus labor, & priùs ipsa substantia deficiat, quàm inolita concupiscentia.

Industria plus potest quàm labor.

Bernardus Serm. de Septem donis Spiritus sancti.

Opus est igitur consilio à Magni consilij Angelo, vt non tam iubendo quàm suadendo, non tam minando quàm monendo, inueterata consuetudo vincatur. Quod qui semel assecutus fuerit, inueniet deinceps viam virtutis floridam & complanatam, quam priùs asperam & abruptam, sentibusque ac spinis obsitam sibi cogitatione formauerat, & inusitatâ spiritus suauitate delibutus, in has voces cum D. Augustino lætitiæ testes prorumpet: Quàm suaue mihi subitò factum est, Deus meus, dulcedo mea, quàm suaue factum est, carere suauitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me, vera tu & summa suauitas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni luce cla-

Post laborē virtus suauis est & facilis.

Augustinus lib. 9. Confess. c. 1.

clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & saluti meæ, Domino Deo meo. En vera sapientia. Sed redeamus in viam, & nouum stultitiæ genus cum Ecclesiaste discutiamus.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.

METRICA PARAPHRASIS.

CVM Lybiæ fœtus per inhospita tesqua cerastes,
Impatiens Cancri, tactusque Hyperione multo,
Æstuat, hirta petit nemorum dumeta, & opacâ
Valle latens, patulis defendit frondibus æstus.
Hunc si fortè vagus per deuia rura viator
Pressit humi nitens, bifidæ mox cuspide linguæ
Emicat, ac tacito perstringit vulnere plantam.
Ille sui securus, & illætabilis ictus,
Carpit iter salebrosum, & cæco carpitur igni,
Donec sæua lues sensim insinuata per artus
Labitur, & penitas cæco ebibit igne medullas.
Tum verò fuscari ora, & caligine mergi
Lumina, torqueri cruciatu viscera, nerui
Distendi: veluti cùm taxum in cornua lunat
Parthus, & in vulnus neruo sua spicula iungit.

Tan-

Tandem vbi nona caput Tithonia ſuſtulit vndis,
Conſpicit inſperſum maculis liueſcere funus.
Parua loquor. Grauior terras infeſtat echidna,
Cùm ſua vipereæ iaculantur toxica linguæ,
Atque homini ſit homo ſerpens. O prodiga culpæ
Germina, naturæque vtero fatalia monſtra!
Queis nimis innocuo volupe eſt in ſanguine victus
Tingere, fraternasque fibras, cognataque paſci
Viſcera, & arroſæ deglubere funera famæ.
Quæ morum iſta lues? quænam tam dira nocendi
Prurigo? Nec ſæua tigris cum tigride miſcet
Prælia, nec furibundus aper dentem aſperat apro.
Cede Hircana tigris, Erimanthi bellua cede:
Tuque genas natura tuas obnube pudori.
Sæuius ingenium eſt homini, grauioraque fata
Lingua cruenta ſerens non vno in funere ludit.
Sed quoties bibulas repetitis imbuit aures
Criminibus, toties reſtat poſt funera funus:
Quæque priùs reptante calumnia nata ſuſurro
Vix ſteterat, prono aſſenſu ac popularibus auris
Aßurgens, centum ora mouet, centum explicat alas.
Sic mundi decora alta, tot inclyta faſcibus orbis
Nomina, tot Phœbi myſtæ, Sophiæque medullæ,
Tot vitæ morumque duces, tot Martia corda,
Illuſtres Heroum animæ, quos aurea virtus
Compoſitos aſtris ſupra contagia vulgi
Extulit, occumbunt funeſtæ victima linguæ.

PROSA EXEGESIS.

NIHIL hîc opus me pompam funebrem ducere eorum omnium, quos petulantis linguæ furor è medio ſuſtulit, aut è publicâ luce ad ignobiles latebras reda-

redactos, quasi viua cadauera sepeliuit: pauciſſimos ex omni antiquitatis memoriâ producam. Atque vt Hippolytum prætermittam nullis non vatibus, nullis non theatris decantatum: vt Myrtilum etiam prætercam Hippodamiæ calumniis circumuentum, & à Pelope in mare præcipitatum (quod in tanti sceleris memoriam etiamnum Myrtoï nomen retinet) recentius exemplum & luctuosius habemus in Flauio Crispo Cæsare Constantini Augusti filio, qui ex Alemānico bello victor tertiùm Consul, foris partâ pace, domi bellum offendit. Is à Faustâ nouercâ ad stuprum sollicitatus, & ab eadem falso crimine oppressus, cùm honestè cadere quàm turpiter facere maluisset, Faustam nouercam Phædræ, patrem Theseo simillimos est expertus, Hippolyto ipse constantior.

Exempla variorum per calumniam oppressorum.

Stephanius ex Eutropij lib. 10 & Nicephori lib. 7.

Non minorem obtrectationis vim expertus est Coriolanus, primùm ab ingratâ patriâ penatibus ac focis expulsus, ac deinde Volscorum mucronibus, quos Tullij Aufidij calumniatrix lingua exacuerat, discerptus.

Plutarc. in Coriolano.

Quid Annibalem proferam? an minùs in talem tantumque virum multiplex calumnia, quamuis citra sanguinem, debacchata est? quoties solum vertere coactus est? donec ad extremum, nullo suo merito, Antiochi Regis aulâ expulsus, vitam finiuit inglorius.

Auctor Vitæ Annibalis.

Nec dispar fuit Scipionis Africani fortuna. is enim post res tam præclarè gestas variis criminationibus impetitus, & suspicionibus magis quàm argumentis accusatus, maluit sponte inimicorum inuidiæ cedere, quàm vi & armis magnitudinem suam tueri. Itaque in Linternensi pago delitescens, hoc generoso tandem epitaphio iniurias suas, quoad licuit, vltus est: Ingrata patria, ne ossa quidem habebis mea.

Auctor Vitæ Scipionis.

Denique vt ab Eccleſiaſticis Scriptoribus ſymbolam mutuemur, quid, obſecro, Narciſſum religioſiſſimum Antiſtitem, & ad ſalutem ciuium ſuorum natum, ex Epiſcopali throno in deſertam expulit ſolitudinem, niſi perpetuæ improborum obtrectationes? Satius enim exiſtimauit ſe tempeſtati ſubducere, Deoque & ſibi vacare, quàm in tantâ acerbitate verſari.

Euſebius lib. 6. c. 8.

Multiplicia calumniæ dãna.

Longum eſt ſingula perſequi: illud compendio dicam, quidquid fraudium, oppreſſionum, ſcelerum vmquam aut vſquam in aulis Principum extitit, ab hoc vno vitio ceu fonte promanaſſe. Alexandrum illum Magnum in tot amicorum neces quid niſi calumnia impulit? Socratem vitâ, Rutilium ciuitate, quid niſi calumnia expulit? Tiberios, Caligulas, Nerones, & tot portenta tyrannorum, quid niſi calumnia peperit? imò tot priuatorum lacrymas, tot Reipublicæ clades, tot maria calamitatum, quot indies videmus & patimur, ſi rectè ratiocinabimur, vni referemus accepta calumniæ.

Lipſ. Orat. de Calumniâ.

Plinius l. 7. c. 16.

Valeriam quamdam, quæ dentata in hanc lucem prodierat, ferunt ciuitati illi, in quam deportata eſt, exitio fuiſſe; ſic in quemcumque cœtum dentata hæc Furia ſeſe intulerit, maledictorum virus effundit, & in perniciem bonorum graſſatur.

Calumnia vulnus immedicabile.

Aelianus lib. 1. de Animalib. cap. 56.

In quo illud magnopere deplorandum, quòd maledicæ illæ linguæ in alienum exitium prurientes, vulnus infligunt prorſus immedicabile, adeò vt paſtinacam marinam imitari videantur, cuius radius ab omni medicinâ inuictus exiſtit: mox enim vt pupugit, perimit. quare telum ipſius etiam peritiſſimi rei nauticæ perhorreſcunt. Neque enim quiſquam ab arte medicâ inſtructus, neque vulneratrix ipſa (quod haſtæ Pelei, imò & ſcorpio conceſſum dicitur) medicinam facere vmquam poteſt.

Quid

Quid enim faciat obtrectator? Laudet quem antè vituperauit? aut seipsum mendacij coarguat? Nihil aget: prima enim validiùs inhærent, & iam abierunt ad plures; maximè cùm nocitura fecundiùs serpant, profutura seriùs proueniant.

Quæ quidem licet in totum hoc genus obtrectationis & calumniæ conueniant, signanter tamen eos Ecclesiastes serpenti comparat, qui bonorum famæ atque existimationi occultè detrahunt. Quemadmodum enim serpentes (aspides puta siue ptyades) lethale venenum silentio despuentes, pænè citiùs perimunt viatorem, quàm se læsum esse sentiat; ita maledicentiæ virus securos, absentes, nihilque sinistri suspicantes interimit. Magnum malum, ac propemodum ineuitabile. Nam quî vites telum, quod nec vides? Tempestatem nobis nubes denuntiant, incendium fumus, hostem exploratot: sed à calumniatore subita est ac improuisa pernicies. *Occulta calumnia perniciosissima.* Lipsius Orat. de Calumniâ.

Et quidem in duplici genere calumniatores occultos reperio. Sunt enim, qui velut Neurici boues non aduersâ fronte incurrunt, sed in humeris cornua habentes, obliquè feriunt, obscuris dicteriis & ambagibus alienam carpentes famam. Quinimò commiserationis aut beneuolentiæ simulatione auditorem sibi primùm conciliant: & velut scorpius in manu primùm ludere videtur, mox obliquâ caudâ percutit; sic illi merum mel & nectar loqui videntur, sed melleis tandem venena sermonibus, opprobria laudibus inspergunt. Alij, inquit Bernardus, quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & *Calumnia obliquè feriens, valdè noxia.* Caussinus l. 7 Symb. 18. ex Aeliano. Bern. Sermon. 14. in Cant.

quidem tantò persuasibiliorē, quantò creditur ab his qui audiunt, corde inuito, & magis cōdolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Heu! fuge hæc hyænæ suspiria, quæ dum adumbratâ humanitatis imitatione fallunt, tantò faciliùs innocentiū famam existimationemq; pessumdant.

Calumnia in absentes interia.

Alterum genus occultè sæuientium sunt ij, qui dum ab eorum congressu, quibus detrectant, consultò abstinent, apud absentes interim maledicentiæ spicula in eos contorquent, silentium à singulis pacti, vt tantò securiùs grassentur. Ignauum profectò genus hominum, nec absimile, meo quidem iudicio, Troiano illi Paridi, qui ne vultum quidem irati Achillis contrà intueri sustinuisset, & tamen ex insidiis, in templo Apollinis Tymbræi, venenato illum spiculo confodit.

Calumnia occulta vitari vix potest. Sallustius in Catilin.

Misera mortalium conditio! quis sapiens hæc spicula satis vitabit? Hostem aduersum, ait egregiè Sallustius, deprimere homini strenuo haud difficile est: occulta pericula neque facere neque vitare bonis in promptu est.

Aduersus calumniam patientia clypeus.

Vnum supereſt quod his hostibus obiici possit, patientiæ clypeus. Nam vt extra teli iactum te proripias, fieri non potest. Nimis impunè grassatur toto orbe hoc malum, & quidem absque pœnâ à legibus constitutâ; non quòd tam cæci fuerint legislatores vt hanc perniciem non viderint, aut tam fatui vt visam approbarint; sed consultò vitium hoc extra pœnam habuerunt, quòd esset extra medelam.

Quid ergo? nullúmne supplicium grassatoribus istis, famæque & existimationis latronibus, est constitutum? Imò vel maximum, æternum dico, quod abundè forensis tribunalis neglectum diuturnitate pœnæ & acerbitate compensabit. Audeo dicere, non alio vitio magis

Calumnia pœna aeterna.

ex-

exaggerandam infernalium titionum ſtruem, quàm his gehennæ fomentis. Quis igitur furor eſt, in alienam famam aculeum ſtringere, vt inſtar ſerpentis perimendo pereas, & æternùm pereas? Sapientem audi, quiſquis huic vitio affinis es, & quanto in periculo verſeris, etiam atque etiam expende. *Multi ceciderunt*, inquit, *in ore gladij*, *ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam ſuam. Beatus qui tectus eſt à linguâ nequam, qui in iracundiam illius non tranſiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non eſt ligatus: iugum enim illius, iugum ferreum eſt; & vinculum illius, vinculum æreum eſt. Mors illius, mors nequiſſima: & vtilis potiùs infernus quàm illa.* Bone Deus! tantúmne à membro tam tenero tamque delicato periculi? Omnino tantum; ac plus etiam quàm cuiuſquam mens aut cogitatio capere poſſit: ſed intereſt vſus, à quo mors & vita, pernicies & incolumitas, vt mox docebit Eccleſiaſtes, ne cui iuſta cum naturâ expoſtulandi cauſa relicta eſſe videatur. Eccli. 28, 22.

SECTIO SEPTIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 12. Verba oris ſapientis gratia: & labia inſipientis præcipitabunt eum:

13. Initium verborum eius ſtultitia, & nouiſſimum oris illius error peſſimus.

METRICA PARAPHRASIS.

O QVAE lingua parit monſtra potentiæ!
Præſens nunc Sipyli pectora cautibus
Exciſa eloquij melle perungere,
Nunc in perniciem ſui,

Consortisque animæ, stringere spicula.
In linguæ manibus fatidicam colum
Fixerunt Superi. Stamina nunc secat,
Nunc fila agglomerans trahit.
Hæc cùm flexanimis eloquij fauos
Instillat modulis, corda hominum rapit;
Vt quondam attonitos Gallicus Hercules
Vinclis nexuit aureis.
Sic Amphionijs imperio chelys
Adreptaße ferunt marmora mœnibus:
Sic & Threiciam fabula barbiton
Post cantu domitas tigres,
Arrectisque auidas frondibus ilices,
Narrat cum rabie tartarei canis
Flexiße in lacrymas difficiles deos,
Et noctis stygiæ arbitros.
Quem non lingua, fauis nectaris oblita,
Aut vincat Sophiæ feruida ab ignibus?
Quot promit sapiens verba, tot aloidis
Subdit pectoribus faces.
At stultus simul ac ora resoluerit,
Auctori exitium lingua volubilis
Percussisque creat, quos rabidæ vorat
Ritu dilanians feræ,
Nunc famæ adijciens vulneribus probra,
Nunc putri residens vnguis in vlcere.
Quandoque & Nemesin in proprium caput
Ructu sacrilego ciet.
Hic si Suada tuis ambitioßior
Venit mysta sacris, vix ruit in sonos,
Quin primo titubans limine, cespitet
Emoti cerebri caput:

Sin

Sin orsus etiam persequitur suos,
O quas non apinas vaniloquus crepat!
Sacris sacrilega, absurda decentibus
Miscens, ludicra seriis.
Quem finem dabit hæc garrula vanitas?
Vt quondam labyrinthi ancipites vias
Carpens Dædalides Icarij freti,
Pennas gurgite condidit:
Sic vanæ fatuus turbine gloriæ
Subuectus pluuios trans Hyadum lares,
Per fas perque nefas, per vaga & inuia
Linguâ in perniciem ruet.

PROSA EXEGESIS.

SAPIENTER illud à Poëtâ Sulmonensi dictum accepimus,

Nil prodest, quod non lædere possit idem. Ouid. lib. 2 Trist. Eleg. 1. *Nihil prodest quod nocere non possit.*

Igne quid vtilius? qui vsque adeò vitæ mortalium censetur opportunus, vt is cui aquâ & igni sit interdictum, extra communis naturæ terminos proscriptus existimetur; ab hoc tamen incendia, vrbiumque vastitates ac ruinæ. Ac tantumdem de aquâ proportione quadam dicere possumus: tantumdem de ferro & armis. Si enim vita nostra in insidias aut tela inimicorum inciderit, quis nescit, expediendæ saluti gladium nobis ab ipsis porrigi legibus? Et tamen si eodem gladio se latro aliquis aut insidiator accinxerit, quæ non ille funera, quas non lacrymas dabit? Cicero pro Milone.

Atqui omni gladio acutior est lingua, omnique serpente nocentior, si quis eâ in fraudem ac perniciem abutatur: eâdem autem nihil præstabilius, nihilque diuinius, si quis eâ vtatur ad salutem bonorum, contra audaciam *Lingua optimum quid & pessimum.*

Laërtius lib. 1. c. 9. daciam perditorum. Vt non immeritò rogatus Anacharsis, quid optimum esset in homine, quid pessimum, semper linguam assignauerit. Multoque neruosiùs pronuntiatum à Sapiente: *Mors & vita in manibus linguæ.*

Prou. 18, 21.

1 Reg. 25. *Bonæ linguæ mirabiles effectus.* An non olim gratiosissimâ eloquentiâ suâ Abigail familiæ suæ salutem peperit, quam stultus Nabal superbo suo responso in summum discrimen adduxerat? Et quàm gratiosè Thecuitis Dauidis iram expugnans pro Absalone perorauit? Quid verò Nathan? quàm blandâ orationis conciliatriculâ, quamque artificiosis eloquentiæ ambagibus in animum Regis pœnitudini inaccessum penetrauit?

2. Reg. 14.
2. Reg. 12.

Philipp. Epigr. l. 1. Anth. 40. Vt nihil iam mirer, Poëtas, aliosque Scriptores Mythologos, sapientis eloquij vim atque energiam fictis fabulis supra fidem extulisse: dum nunc luscíniam celebrant, quæ Boream fugiens, & per mare volitans, delphini dorso suscepta vectaque sit, suauissimo cantu pro naulo idemtidem repenso: nunc Orphei lyrâ leones tigridesque belluinam feritatem exuisse: nunc Amphionis testudine aurita saxa ad arcis Thebanæ fabricanda mœnia adrepsisse.

Eloquentia vis cum sapientiâ & virtute communis. Nihil est enim, quod non emolliat sibique conciliet illa præstigiatrix animorum, quæ à bono Poëtâ dicta est flexanima & omnium regina rerum, oratio, quoties ad sapientiam vitæque integritatem comes accesserit. His enim velut subnixa pennis sapientis vox, occupatis priùs aurium vestibulis, ad intima penetrat auditorum pectora, eaque gratissimâ omnium seruitute sibi mancipat: quæ simul atque possederit, quas non ibidem tragœdias, quas non metamorphoses excitat? Inflammandi sunt animi? in ignem accenditur: pungendi? in stimulos acuitur: illustrandi? funditur in lucem: consolandi?

Cauſſin. Parallel. lib. 1. c. 4.

spargitur

spargitur in Nepenthes: compescendi? frænum est: sanandi? Panacæa est: deliniendi? fit Sirenula. Dici non potest, quot sint sapientis facundiæ mites præstigiæ, quàm despoticum in animos imperium.

Contrà verò incredibile dictu est, quantum damni, infamiæ, exitij stultis adferat importuna loquacitas, & fastidiosa verborum proluuies. Non incongruè dixit quidam: Infrænis oris vectigal calamitas. Et alius non minùs appositè: Naufraga est omnis oratio, silentij anchorâ, clauo rectæ rationis, velis remisque sapientiæ destituta: nec quidquam ab illâ speres, nisi vt in breuia & syrtes incurrat. Cùm enim neque in diuinæ legis Cynosuram defixum habeat mentis oculum, neque silentij anchorâ, cursum interpolans, tempestates declinet, sed nullo tacendi loquendique discrimine tumultuosæ huius vitæ procellis se committat, ac denique temeritate potiùs quàm prudentiâ in altum prouehatur, quî potest famæ, vitæ, fortunarum vitare naufragia? *Linguæ stulti sibi aliisq; perniciosa.*

Poterat Amalecites ille, qui spolia Sauli, ipsamque adeò armillam ac diadema detraxerat, silentio tutus euadere; ille tamen apud Dauidem stultâ temeritate facinus suum professus, extremam sibi perniciem accersiuit. 2. Reg. 1.

Nec minùs stultâ, quàm superbâ loquacitate Roboamus potiore paterni regni parte depulsus est. Cùm enim subditorum animos benigno facilique responso æternùm sibi deuincire potuisset; inconsultæ iuuentutis proteruiam secutus, *Minimus*, inquit, *digitus meus grossior est dorso patris mei. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* 3. Reg. 12.

Nec prætermittendus mihi Ctesiphon ille apud Lacedæmonios, qui cùm stolidè profiteretur se de re quali- Plutarch. in Laconicis.

bet, quantumuis exigui momenti, toto die verba facturum, tamquam Reipublicæ pernicioſus, è ciuitate proſcriptus eſt. tantam enim verborum proluuiem, nugaſque tam operoſas, quis ferat?

Garrulitas prona ad lapſum.

Vt omittam, in multiloquio non deeſſe peccatum, coſque qui inconſideratâ verborum profuſione tamquam æſtu aut fluctibus abripiuntur, in omne vitium & flagitium temerè deferri: nunc enim in famam innocentium inuolant, nunc etiam cælum conuitiis laceſſunt; nunc ſcurrilibus verbis aures exulcerant, nunc adulatione demulcent; nunc odia ac diſſenſiones fouent, nunc amicitias diſſoluunt; nunc mendaciis graſſantur, nunc periuriis; nunc animum nugis detinent, & ad præſentis vitæ oblectamenta pelliciunt (vti mox videbimus) & dum arcana diuinæ prouidentiæ rerumque futurarum ancipites euentus ſuſque deque habent, blandâ oratione ſeductos, inextricabilibus vitæ labyrinthis inuoluunt.

SECTIO OCTAVA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante ſe fuerit: & quid poſt ſe futurum ſit, quis ei poterit indicare?

15. Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere.

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

REGIS Neritij vagas
Dum puppes pelago dißipat Æolus,
Mulcentes Siculi freti
Littus, præteriit cantu Acheloides.
Harum qui modulo obſequens
Blandis littoribus fixerit anchoram,
Non vxor patrio ſolo
Amplexus reduci porriget obuios,
Non hic poſtibus ædium,
Non charæ ſoboli diuidet oſcula, at
Extorris patriis focis
Putreſcet vacui margine littoris.
Ah! ne conſimilis furor
Sirenum in ſcopulos nauifragam ratem
Pellat, dum fatuus tibi
Verbosè ingeminat, Viuite floridæ
Ætatis memores viri:
Dum per fata licet, viuite, viuite,
Dum frons marmore candicat,
Dum pingunt Charites purpureas genas:
Soles ducite lucidos,
Ætatis roſeæ carpite floſculos,
Securi quibus oſtiis
In vitam introitus detur, & exitus.
Neſcit maſſa Promethei
Quo pulchram faciem è puluere duxerit:
Et quis nuntius aliger,
Qui limen ſuperum, qui terit inferum,
Certo digeret ordine
Quæ poſt fata, animæ fata ſuperſtiti

Reſtent, cùm tetigit latus
Fax buſti, & cineres vrna coërcuit?
An toti morimur? neque
Iuratam Superis qui ſubiit Stygem
Vſquam eſt? vt calidus vapor
Arctoi Boreæ flatibus interit.
Quis ſcit num ſtygij lacus
Inferniáque rogi, vitáque poſtuma, &
Stellati domus ætheris
Par ſit ſollicito fabula ſomnio.
Ergo ſepoſito metu
Ætatem profugam ſiſtite gaudiis.
At tu, quem Superùm domus,
Scintillanſque trahit patria ſiderum,
Dulces auribus excute
Sirenum modulos, ne patriâ exules.
Hanc peſtem procul ac procul
Arceto: hanc ſtolidi dum penitis bibunt
Hauſtam viſceribus, procul
Cæleſti Solymâ obliqua per auia
Vitam erroribus implicant,
Laſſi deliciis, & ſaturi vago
Luxu, nil niſi tædia
Ructantes, ſolidis dum vacui bonis
Marcent Tantaleâ fame.
Aut Ixioniis implicitos rotis
Æternâ labor orbitâ
Feſſos circumagit. Dædalides iter
Perplexum, vt memorant, legens,
Et ſpiras Ariadnæ irremeabiles,
Numquam ſe patriæ redux,
Nec Pandioniis mœnibus intulit.

Sic

Sic quos immemores Dei,
Securoſque nimis poſtuma quid ferat
Aetas, & Venus, & ioci,
Et vitæ inſtabilis ludicra detinent;
Quam per mille petunt vias,
Vano ludificat nomine fauſtitas.
Eſto ambagibus omnia
Europæque, Aſiæque, & Libyes vagi
Errones ſola permeent,
Et vitam excrucient mille laboribus;
Numquam ad mœnia patriæ
Prouectos animorum excipiet quies,
Nequidquam Antipodum freto
Aut terris alio Sole calentibus
Veſtigant animæ bonum,
Cùm ſtellata habitet templa beatitas.

PROSA EXEGESIS.

TAMETSI naturâ ita comparatum eſt, vt ad ſummum bonum quilibet adſpiret, & occulto quodam impulſu ad veræ ſolidæque beatitatis domicilium pro ſe quiſque alius aliud iter inſtituat; tamen ab hac metâ nulli magis aberrant, quàm qui de vitâ poſtumâ, animæque immortalitate aut deſperant, aut ambigunt. Cùm enim nulla poſſit eſſe vera beatitas, cuius poſſeſſionem non firmat æternitas, æternitas autem vltra mortalitatis huius limites inueſtiganda ſit; quomodo miſeri iſti beatam illic vitam inuenient, vbi nec vitam exiſtimant inueniri?

Varia opiniones aberrantium à ſcopo beatitatis.

Et hi quidem omnes triplici ferè viâ ad futilem quamdam, & fallaci cogitatione adumbratam contendunt beatitatem. Nonnulli ſepoſitâ omni curâ felicis

aut infelicis æternitatis, nullum alium vitæ ſcopum, quàm quem in diem caſus obtulerit, intuentur. Alij & certum ſibi ſcopum præfigunt, & à verâ ſapientiâ propiùs abſunt, dum ad ſummum bonum collineant, quod in congruentiâ cum naturâ rationali, adeoque in ipsâ virtute conſtituunt. Alij denique diuitias, honores, voluptates, ceteraque præſentis vitæ commoda conſectantur. Primæ quam dixi viæ vulgus hominum inſiſtit: alteram Zeno cum totâ fermè Stoicorum ſcholâ delegit: tertiam Epicurus, Ariſtippus, ceterique Cyrenaici frequentarunt. Sed quamuis medij illi tolerabiliùs quàm ceteri inſaniant, in omnes tamen quadrat illud Eccleſiaſtæ: *Labor ſtultorum affliget illos, qui neſciunt in vrbem pergere.*

Inconſtans vita illorũ qui nullum ſibi ſcopum præfigunt.

Itaque videas inprimis quoſdam incertis vitæ officiis non minùs quàm tempeſtuoſi maris fluctibus, ventiſque aduersâ fronte concurrentibus iactari. Nunc eos trahit ardor militiæ, nunc mercandi præceps cupiditas per terras omnes mariaque ſpe lucri circumducit: nunc oſtentandi ingenij aut eloquentiæ causâ circa Iudicum ſubſellia tamquam muſcæ volitant; nunc partem aliquam Reipublicæ capeſſunt; nunc ſuperuacuis eos laboribus detinet operoſa ſedulitas, nunc alienæ fortunæ affectatio, aut odium ſuæ. Ita pleroſque nihil certum ſequentes, vaga, & inconſtans, & ſibi diſplicens leuitas per noua conſilia iactando fatigat: & cùm nihil ſit quod oſcitabundis & nauſeantibus conſtanter placeat; nihil eſt quod illos prouehat ad eam, quam cæci palpitando quærunt, beatitatem: quemadmodum iis qui nullum ſuæ nauigationi portum deſtinant, nullus ventus propitius eſt ac ſuus.

Itaque audias quoſdam inter clientum greges, & rauca

rauca fori iurgia, Ianiq́ue tumultus, ceteraſq́ue honeſtas miſerias, aut veriùs nugas plauſibiles, non rarò exclamantes, vix viuere ſibi concedi: tantum abeſt vt benè beateq́ue viuant. Qui licet inter curas & negotia conſenuerint, non illi quidem diu vixere, ſed fuêre. Quid enim? an illum putas multum nauigaſſe, quem ſæua tempeſtas à portu exceptum huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex aduerſo furentium per eadem ſpatia in orbem egit? Non ille multum nauigauit, ſed multum iactatus eſt. *Eorumdem querela.* Seneca de Breuitate vitæ, c. 8.

Tolerabiliùs errant cum ſuo Zenone Stoici, minuſq́ue à mœnibus beatę patriæ aberrant, ſed errant tamen. Vis noſſe quis eorum ſit error? Reſpondeo cum Senecâ (vt ſuo ipſum gladio iugulem) cùm omnes beatam vitam optent, quòd inſtrumenta eius pro ipsâ habent. Virtutes, inquam, ſummum bonum ſtatuunt, quæ licet per ſe beatitudini ſubſeruiant, dum tamen in iis vltimum finem conſtituunt, nec ad Dei perfectiſſimam cognitionem mentis oculos erigunt, aut eiuſdem amore cordis affectus inflammant, euaneſcunt in cogitationibus ſuis, & infatuatur inſipiens cor eorum; atque ita longiùs ab eo quod petunt ſemper abſcedunt; & quò plus operæ impendunt, hoc ſe magis impediunt. quod euenit in labyrintho properantibus, vt ipſa illos velocitas implicet. *Error Stoicorum qui in virtute ſummum bonum conſtituunt.* Seneca Epiſt. 44. Rom. 1, 22.

Quorum non ignobilem cœtum dum ante oculos conſtituo, ſubit animum ipſius Senecæ inter ceteros miſeratio, Deus bone! qualis quantiq́ue viri! Qui cùm intra quadriennium amicitiæ Neronis ſeptem millionum aureorum cum dimidio ſibi comparaſſet, tamen in tantâ diuitiarum affluentiâ non tantùm in omnem vitam oſtreis ſibi ac bòletis interdixerat, vinoq́ue, vnguento *Seneca abſtinentia infructuoſa.* Tacit. Annal. lib. 13.

guento & balneo abſtinebat ; ſed ſimplici victu, & agreſtibus pomis, ac ſi ſitis admoneret, profluente aquâ, vitam tolerabat. Culcitam in terrâ ſternebat, in quâ ſenilis corporis veſtigium apparere non poſſet : & poſtquam partem noctium ſtudiis vindicaſſet, non vacabat ſomno, ſed ſuccumbebat, & oculos vigiliâ fatigatos cadenteſque in opere detinebat, vt poſteris prodeſſet, quibus ſalutares admonitiones velut medicamentorum vtilium compoſitiones, litteris mandabat. Sed heu ! vir ille tantus quam æternitatem aut beatitatem ſibi ſpondere potuit, cùm nec animam quidem corpori ſuperſtitem, niſi fortè ad tempus aliquod, agnouerit ?

Idem ibid. lib. 15.

Seneca Epiſt. 87.

Epiſt. 8.

At ipſa, inquiunt, virtus beatos efficit. Etiámne deſpectos, proſcriptos, mille moleſtiis & incommodis circumſeptos ? etiámne eos, qui totâ vitâ in Phalaridis tauro mugiant, aut ad Caucaſum alligati rediuiuo ſemper iecore paſcant vultures ? Apage cum fanaticâ illâ ſapientiâ, quæ non tantùm ſapientiſſimi cuiuſque calculo, ſed etiam communi mortalium iudicio refellitur.

Conſolat. ad Marciam, c. 19.

Sola virtus in Phalaridis tauro beatos non efficit.

Tametſi enim in fruitione ſummi boni animæ præcipuæ ſint partes, cùm tamen hominem non anima ſola conſtituat, & incredibilis illi cum corpore intercedat ſympathia ; profectò neceſſe eſt ad perfectam beatitatem (quæ bonorum omnium aggregatione perficitur) corporis bona non omnino eſſe nulla. Ergo & illi *erauerunt in ſolitudine in inaquoſo*, in ſterili inquam humanæ Philoſophiæ myriceto, & *viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.*

Beatitudo non animã ſolam ſed etiam corpus afficit.

Pſal. 106, 4.

Sed omnium turpiſſimè ac ſtultiſſimè hallucinantur, qui in diuitiis, honoribus ac voluptatibus ſolidam beatitatem conſtituunt. Quos ſi rationibus coarguendos cenſerem, latiſſimus hîc mihi campus aperiretur.

Beatitudo nõ conſiſtit in huius vitæ bonis.

Hoc

Hoc inpræsentiarum sufficiat, stultam eorum opinionem diuinis humanisque suffragiis condemnari.

Quid enim aliud sibi volunt Poëtæ, dum multiplices Vlyssis errores celebrant, eiusque inter varia itineris blandimenta sapientiam constantiamque deprædicant? qui certè numquam ad Ithacense, id est patrium littus appulisset, si aut ad Sirenum scopulos adhæsisset, aut meretricio Circes poculo hominem exuisset, aut loto degustatâ patriæ desiderium præsenti Lotophagorum amœnitate pepulisset.

Sed multò grauiùs, multoque neruosiùs eorum, qui se voluptatibus manciparunt, amentiam, ac infructuosos labores coarguunt diuinæ Litteræ. sic enim illos metaphoricè describit Isaias: *Oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur; & quod confotum est, erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.* Heu! quàm vana merces tantis laboribus respondet, quantos ipsimet apud Sapientem deplorant: *Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles*, dum nimirum aut concupiscentiæ luto fœdantur libidinosi, aut diuitiarum spinis cruentantur auari, aut arduo præruptoque ascensu lassantur ambitiosi. Isaiæ 59. 5. Sapient. 5. 7.

Sed præstat eorum lamenta Sapientis ipsius verbis in medium proferre, ne quid de sacrarum Litterarum Maiestate infantia mea deterat. *Errauimus*, inquiunt, *à viâ veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius percurrens, & tam-* *Eorũ querela qui in bonis huius vitæ beatitatem posuerant.* vers. 6.

quam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam; cuius, cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquam auis, quæ tranſuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris: aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum; diuiſus aër continuò in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius. Sic & nos nati continuò deſiuimus eſſe: & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Nos autem ad aliud ſtultitiæ genus, quod in dignitate conſtitutos præcipuè dehoneſtat, gradum faciamus.

SECTIO NONA.

ECCLESIASTES.

VERS. 16. Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt.

17. Beata terra, cuius Rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.

METRICA PARAPHRASIS.

NON tot procellis feruet Ionium,
Non tot ſub Arcto Luna puerpera
Niuiſque grandiniſque nimbis
Sarmaticas onerat nouales,
Quot regna clades exitiabili
Torrente inundant, cùm diadematis
Sceptriſque, non virtutis heres
Rex viridi iuuenatur æuo.

Infida

Infida regno dum Procerum cohors,
Clauumque ſummæ deſtituens rei,
Regique reſpondens, pudendis
Fræna libidinibus relaxat,
Vigilque anhelat præproperas dapes,
Dum vix recludens Leucothoë diem,
Lancesque craterasque primis
Miſſilibus radiorum inaurat.
Exciſa quondam regna Etheoclea
Ter execrandi funeris auſpicem
Damnaſſe, fraternique buſti
Diſſidium ſtupuiſſe matrem,
Videre Thebę, diſſociabilis
Cùm flamma regum funera diſſecat,
Stratæque Adraſtæis caternis
Congeminat patriæ ſepulchrum.
Quiſquis tenellâ ſceptra vibrans manu
Indulget annis, ancipiti metit
Mucrone commiſſam ſalutem,
In geminam properans ruinam,
Sui atque regni. Nempe libidini
Gemella tendunt vbera regiæ
Sceptrum ac iuuentus, queis alatur
Dedecorum malè ſanus auſpex.
Eheu! cicatricum & ſceleris pudet.
Quò me voluptas præcipitem dedit
Procacis aulæ? quàm probroſo
Implicuit Cytherea nexu?
Quid ergo ſperes, marmore lubrico
Si ceſpitantes impulerit gradus
Palpo obſecundans? bulliensque
Si iuuenum vituletur ætas?

Vt Rex adæquet nobilis Imperi
Cum Sole metas, quot vitiis tamen,
Tot ille ſceptris, tot lupatis
Mancipat indecorem coronam.
Beata tellus! nobilis indole
Cùm iura ſceptri nobilium tenet
Sanguis parentum, quem vetuſti
Stemmatis exſtimulant trophæa:
Quem priua virtus cœtibus inſerit
Heroum, & aſtris æquiparat ſoli
Deſpecta calcantem, paternæ
Iuſtitiæ decorisque alumnum,
Qualem miniſtrum fulminis ardui
Rex educauit pennigeri gregis,
Aut vnguis heredem iubæque
Marmarici generant leones.
Ah! tantum Atlantem ne patriæ Patres
Fidâ gementem deſtituant ope,
Ceruice concordi labantis
Ferre iugum patriæ doloſi:
Sed optimatum curia Principum,
Prudensque cœtus conſiliantium,
Firmare conſentes laborent
Sceptra Ducis, dominosque faſces.
Non hos Falerno Baſſaridum pater
Ingurgitatos cum grege turpium
Dementet, infamique mergant
Naufragio calices doloſi.
Nec teſte Lunâ damna liguriant
Opima cenſus, donec ab æthere
Pollucis inſpectans gemellus
Damnet aqualiculi ſaginam,

Sed

Sed temperato mensa parabilis
Delectet vsu, dum stata tempora
Famesque dat gustum, recusans
Delicias operosiores.
Sic regna florent nescia cladium,
Si luxus aulæ moribus exulet,
Sanisque sceptrorum probrosa
Ingluuies inimica curis.

PROSA EXEGESIS.

SI vmquam viros gloriâ ac maiestate conspicuos stultitiæ labes in contemptum adducit, id certè in Regiâ fortunâ vel maximè cernitur: quæ velut in pharo vel montis alicuius vertice constituta, quaquauersum radios suos in subiectum longè lateque populum diffundit. Habet enim hoc magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum esse patiatur. Principum verò non solùm domus, sed cubilia ipsa intimosque recessus recludit, omniaque arcana noscenda proponit famæ. quo fit, vt nullum eorum stultitiæ secretum patrocinetur, sed potiùs tantò illa manifestius in se crimen habeat, quantò maior is qui peccat habetur.

Principes omnium oculis expositi. Plinius in Panegyr. Traiani.

Et quidem tolerabilis esset ea calamitas, si in solâ Principis infamiâ staret hoc malum: nunc autem, cùm stulto aut puero Principi Reipublicæ moles incumbit, in totius regni perniciem ea seu stultitia seu improbitas redundat.

Principum stultitia in Remp. redundat.

Auertat igitur hoc inprimis Deus, Principes nominari pueros, & Patres patriæ dici impuberes, quibus ad subscribendum Magistri litterarij manum teneant, quos ad Consulatus dandos dulcia, & circuli, & quæcumque voluptas puerilis inuitet. Sanè fusis ad Deum

Fl. Vopiscus in Tacito. *Princeps puer Reip. noxius.*

precibus, auertendum hoc malum. Nimis enim miserum est huiusmodi habere Imperatorem, qui nullam suæ dignitatis habeat rationem, neque quid sit Respublica nouerit: qui nutritium timeat, respiciat ad nutricem, manusque magistralis ictibus terrorique subiaceat.

Sed magis noxius qui sensu puer est. 1. Cor. 14, 20.

Sed illos magis Principes auertat Deus, qui non tam ætate quàm sensu pueri sunt (vtor verbis Apostoli) quibus neque vlla sobria cogitatio est, nec vllus veræ laudis gustus: qui neque milites bello formant, neque prudentes iuri dicundo præficiunt: qui non in ore populi degunt, sed vmbraculis hortorum inter scorta abditi, velut ignaua pecora ad pastum abiecti sunt.

Ab his hominum portentis proficiscitur illud Væ, quod terræ denuntiat Ecclesiastes: quod hauddubiè maiore sensu vocique contentione ingeminasset, si heredem regni, non sapientiæ suæ, Roboamum, despecto seniorum consilio, cum inconsultâ iuuenum turbâ insolescere vidisset; & extenuatâ non minùs stolidè quàm insulsè maiestate paternâ, ab iratâ plebe potissimâ regni parte deturbari. 3. Reg. 12.

Cuspinia. in Histor. Francor.

Huic geminum Christiano æuo exemplum Gallia suppeditat. Cùm enim Pipinus Iunior, acceptâ Aquitaniâ, auiti regni parte, comessationibus poculisque interdiu noctuque vacaret, & prouincia interim cædibus vndique ac rapinis infesta redderetur; captus à subditis Pipinus, tamquam regno inutilis, Carolo Caluo traditus est: qui, communicato cum Episcopis consilio, Monasterij septis eumdem mancipauit.

Principum vitia in subditos deriuantur.

Et verò quis pro dignitate deploret, quot à tali Principe in Rempublicam vniuersam, tamquam in membra à capite, mala deriuentur? Quæ certè plurima deriuari necesse est, cùm in parte gloriæ suæ reponant subditi, si Prin-

Principem vitâ referant. Plerumque enim, ait Basilius, subiectus populus solet se conformare eorum moribus qui potentiâ præualent, ita vt, quales fuerint ij qui præstant viæ ducatū, talem esse necesse sit qui in vitam ducitur. Igitur & ignauiâ virtus langueſcere, & leges negligi, & statuta conuelli, & luxus inualeſcere, & comeſſationes frequentari, & libidinum fomenta ſuccendi, & tota denique Reſpublica in ruinam incumbere. D. Basilius.

Quæ omnia longè veriora sunt, cum Optimates, quorum munus est Reges in partem iuuare, publicæque saluti consulere, intempestiuis comessationibus ac deliciis eneruati, peiora peccant. Quid enim ab iis speres, quibus omne ius est in patinis, omnis in palato sapientia, omnis grauitas in ventris atque abdominis saburrâ; nisi vt laxatis ac dissolutis temulentiâ corporis animique neruis, elumbes ac inertes ignauiâ vitiisque computrescant? Quotidiano enim experimento probatur, ait diuus Leo, potus satietate aciem mentis obtundi, ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita vt delectatio edendi, etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, & quod fururum est oneri, subtrahat voluptati. *Optimates comeſſationibus dediti, & valetudinem euertunt & Rempub.* D. Leo Serm. 8. de Ieiunio decimi mensis.

Igitur hi tales, quibus omnis hora meridiana est, qui suas ab ipso Solis ortu cœnas auspicantur, neque militiæ functionibus idonei sunt, & domi perniciosâ exempli contagione Rempublicam pessumdant: vt non immeritò Rex Antigonus temulentos Duces, inter pocula deprehensos, grauissimâ pœnâ multauerit. Cùm enim vidisset gregarios quosdam militari panoplîâ graues, artificiosâ lacertorum vi hastas & magni ponderis saxa contorquere; eoque spectaculo delectatus, Duces exercitus euocari iussisset, vt iis præsentibus merito virtutem ornaret Plutarc. in Apophth.

naret encomio, deprehendit eos vino ingurgitatos, suique muneris incurioſos. quæ res ita bilem ei mouit, vt iis in ordinem redactis, generoſos illos milites eorum præfecturis donarit.

Felix Reſp. cui præeſt Princeps virtute præditus.

Quemadmodum autem infelix eſt regio, cui tales obuenere Præfecti; ſic beata terra, cui Antigonus aliquis, aut alius non abſimilis nobilitate, dominatur. Nobilitate dico, non quæ fumoſis auorum ceris, truncisque ſtatuis, & multo ſtemmate cenſeatur, ſed veris ſolidisque & Principe dignis virtutibus effloreſcat. Generis enim initia clara poſteris relinquere præſtat, quàm accepta à maioribus contaminare.

Herodian. in Macrino. Xenophon lib. 8. de Inſtitut. Cyri.

Talis itaque ſit Princeps, vt virtutis prærogatiuâ principem inter ſuos locum mereatur. Meritò enim Cyrus neminem imperio dignum arbitrabatur, niſi qui maior eſſet virtute, ſubditisque melior: aut ſi non omnium eſt ad hunc perfectionis apicem pertingere, ita ſaltem vitam inſtituat, vt audeat cum Neruâ dicere, nullius ſe ſibi conſcium eſſe, quò minùs, depoſito imperio, priuatus tutò poſſet viuere.

Dion in Neruâ.

Princeps maiorum nobilitati reſpondeat.

Sin etiam parentum fuerit nobilitate conſpicuus, videat etiam atque etiam, vt maioribus ſuis dignus appareat, eorum quæ ad ſubditos pertinent prouidus, conſtans in periculis, offenſionum pro vtilitate publicâ generoſus contemptor.

Senec. l. 1. de Clementiâ, cap. 3. *Princeps Reip. bonum procuret.*

Denique ſit eiuſmodi, vt eum omnes tam ſupra ſe eſſe quàm pro ſe ſciant: eiusque curam excubare pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorum, quotidie experiantur: ita gerat Rempublicam, vt ſciat rem populi, non ſuam eſſe. Quo prodeunte in publicum, certatim omnes tamquam ad clarum ac beneficum ſidus aduolent. Hæc ſint in animis ſubditorum erecta Principi templa, hæ

Tacitus l. 4. Annal.

pulcher-

pulcherrimæ effigies ac ſtatuæ: nam quæ ſaxo ſtruuntur, ſi iudicium poſterorum in odium verterit, pro ſepulcris ſpernuntur.

Sed quoniam hunc apicem virtutis ac ſapientiæ vix eſt vt in delicatâ purpurâ quis inueniat, & grauiſſimi Principum labores, quibus orbem terræ capeſſunt, magnis egent adminiculis; optandum eſt Regi, omnibuſque votis paciſcendum, vt tales Optimates habeat & Conſiliarios, quibus in gubernando Reipublicæ clauo Cynoſura ſit lex diuina, & in omni deliberatione bonorum conſiliorum obſtetrix aſſiſtat temperantia. *Regi optandi ſunt Cõſiliarij inſti ac temperantes.*

Sacerdotes Heliopoleos accepimus Soli numquam vino litaſſe, ſibique ipſis vſu vini interdixiſſe, quòd exiſtimarent, Solem omnium rerum moderatorem, mundique ipſius mentem, à vino & ebrietate alieniſſimum, viroſque Principes, quibus aliorum regendorum cura commiſſa eſt, circa vinum maximè temperantes eſſe oportere. Cauſſinus lib. 1. Symbol. 11.

O quæ ſpecies, quæ veneratio fuit Reipublicę Romanæ, cùm M. Curius Samnitium Legatis agreſti ſe in ſcamno aſſidentem foco, ligneoque catillo cœnantem, ſpectandum præbuit! cùm Q. Ælius Tubero fictilibus cœnans, Ætolorum magni ponderis vaſa argentea repudiauit! cùm Menenij Agrippæ funus ſextantibus à populo in capita emendicatis elatum eſt! cùm ſedecim Ælios, magnos omnino viros, vno tempore, vna domuncula cepit, vnuſque in agro Veiente fundus aluit! Beata tum Reſpublica, quæ tantos fouebat alumnos! quæ tantillo impendio ſuſtentabat ſuæ dignitatis aſſertores, ac iam tum in ſemente ac ſpe non dubiâ orbis terrarum dominos; vt frequentior apud eos pultis vſus eſſet, quàm panis. Val. Max. lib. 4. c. 3. *Antiquorũ Romanorũ temperantia.*

Quis in illâ ciuitate, tot frugalitatis exemplis nobilitatâ, tam perfrictæ frontis inueniri potuisset, qui mensæ suæ inferre auderet remoti littoris piscem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem? Enimuerò vel ad famam erubuissent delicatulorum istorum, qui posterioribus sæculis parum lautè se pransos existimarunt, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstiuâ in gemmis glacie Falerna fregissent. A quorum marcido ac pingui otio, nec minùs infami quàm sumptuosâ temulentiâ, quid tandem expectandum sit Reipublicæ, ipsius Ecclesiastæ potiùs quàm verbis meis penditote.

SECTIO DECIMA.

ECCLESIASTES.

VERS. 18. In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.

METRICA PARAPHRASIS.

VIDES vt illa Regiis penatibus
Quondam inuidenda culmina
Rimis fatiscant hinc & hinc patentibus,
Tignisque nutent pendulis?
Dominoque pulso triste contubernium
Ventis parent & imbribus?
Stabulisque nulli mugientes hospites,
Caulisve balantum greges?
Quin mixta auenæ vilis vrtica obsidet
Opima fundi iugera;
Densique pratis cardui lympham bibunt
Interfluentis riuuli.

Qui

Qui sic repentè splendidi cultor Laris
Redactus est ad incitas?
An fors vorator luxus & socordia,
Gemella proles otij,
Emulsit vber diuitis opulentiæ,
Sudore pota & sanguine?
Sic est: pudendæ fructus hic inertiæ:
Hæc absque bello vulnera.
Agrisque sæuit ædibusque vastitas,
A Marte quàm otio minor.
Vbi resupinas sustinet dorsum manus,
Rimosa perstillat domus.
Et qui superbis educatur atriis,
Mapale contemptum colet.
Sed vana cesset cura priuati Laris,
Nec sudet in tenui labor.
Ah ne socordes publicæ Atlantes rei
Eneruet otij lues,
Bacchoque mactet Cypridique victimas,
Portenta Circæi gregis!
Maiorne pestis publicæ præsens rei
Vastare florentes opes?

PROSA EXEGESIS.

NVLLA certè capitalior inuenitur pestis regnorum, otio atque inertiâ, vitaque elumbi ac dissolutâ, à quâ non minùs olim, deuictâ Carthagine, Reipublicæ Romanæ metuebat Q. Metellus, quàm ab hoste acerrimo Annibale; in æquo ponens malorũ, vri tecta, vastari agros, exhauriri ærarium, & prisci roboris neruos hebetari. Et meritò. quid enim interest ad ruinam, flammísne hostilibus tecta comburantur, an ignauiâ patrisfamilias

Otium pestis regnorum.

Val. Max. lib. 7. c. 2.

milias tignis trabibuſque putrefactis, in congeſtam temerè ſoluantur lignorum lapidumque congeriem? Quid intereſt, agrine vaſtentur excurſione militari, an eneruato ciuium robore, legibus conculcatis, neglectoque tandem more atque inſtituto maiorum, fatali Procerum ſocordiâ in ſolitudinem Reſpublica redigatur? Atqui cùm auxilium manuum virtutumque torpuerit (ait hoc loco Hieronymus) omnes deſuper tempeſtates (tamquam in lacera tecta) & nimborum ad nos, id eſt vitiorum, turbo prorumpit. Cùm enim virtus in arduo conſtituta ſit, & laboribus expoſita; Principes ac Magiſtratus, qui ſe deſidiæ tradiderunt, eius deſperatione decliuem ex aduerſo viam, & in omne vitium pronam ingredientes, populo ad improbitatem & flagitia duces ſe præbent: qui tantò lubentiùs promptiuſque ſequitur, cùm videt faſces, honores, ceteraque virtutis præmia penes deſidiam inueniri; eamque velut fucum quemdam laboris induſtriæque fructus exſugere.

Hieron. in c. 10. Eccleſ.

Deſidia ad virtutis laudem non aſpirat.

Sed licet virtutis præmia nonnumquam inuadant, quod tamen ad virtutis honeſtatem ac decus adſpirare iſtiuſmodi fuci non poſſint, apud omnes eſt in confeſſo. Quis enim ſcopum tangat, ſi numquam iaculetur? aut victoriâ potiatur, ſi hoſtem fugiat? ita nec illum contingit benè agere, qui omnino nihil agit.

Plutarch. in Aemilio Probo.

Certè, inquies: ſed neque malè agere, aut cuiquam iniurius eſſe dicendus eſt, qui omnino nihil agit. Id verò longè aliter ſe habere, ſi quis officio deſit, prodatque neglectu Rempublicam, eloquenter, vt ſolet, probat Chryſoſtomus. Sic, inquit, exiſtimate, ſi ſeruum quis habeat non rapacem, non temulentum, non contumacem; idem tamen totos dies domi ſedeat otioſus, nónne grauiter vapulabit? Atqui nihil maleficij commiſit.

Chryſoſt. Homil. de Virtut. & vit.

P. Claud. Aquauiua Epiſt. de Renouat. ſpiritus.

Sed

Sed satis maleficij est, munus officiumque neglexisse. Quid agricola, qui ceteris quidem in rebus vacet culpâ, sed otio indulgens, nec serat, nec metat, nec vites colat; nónne is quoque vapulabit? At nihil iniuriæ intulit, nihil damni. Verùm cessationem ipsam, iniuriam damnumque ducimus. Denique si manus etiam nec oculos eruat, nec linguam præscindat, ceterùm desidiosa cesset, nec vllâ in re corpori seruiat; nónne hoc inutile pondus præscindendum potiùs quàm retinendum duxeris? Eadem ratione, inquit, non modò aliquid feciſse mali, verùm etiam aliquid omisisse boni, magna comprobatur iniuria. *Otiosus dum officio deest, grauiter peccat.*

Quæ certè tantò atrocior est in iis qui Rempublicam capessunt, quòd eorum socordia non ad priuatum rei familiaris dispendium, sed publicam status perniciem pertinet. Quid enim aliud Sybarim, ciuitatem quondam florentissimam, funditus euertit, quàm manuum infirmitas, id est, mollis & eneruata Procerum vita? qui etiam edicto publico cauebant, ne quis fabrilem cum strepitu in vrbe exerceret, aut gallos gallinaceos aleret; ne quid esset quod matutinos somnos turbaret. Quinimò inuentus est nonnemo, qui cùm rusticum ad stiuam sudantem vidisset, præ dolore fibram sibi ruptam quereretur: & alius, qui in seruum flagris animaduerti voluit, quòd, cùm ille rosas sibi dormienti substrauisset, plicatis quibusdam rosarum foliis duriusculè incubuisset. Denique inuentus est etiam inter Optimates illius Reipublicæ Smyndyrides quidam, qui hoc in parte felicitatis suæ reponeret, quòd totis viginti annis nec orientem Solem nec occidentem vidisset. Itaque delicatuli illi cùm Crotoniatis bellum indixissent, feminæ inciderunt in viros, & equo- *Procerum desidia Reipub. ruinæ.* Athenæus lib. 12. Plutarch. in Conuiu. Sapient. Herodotus Terpsichor.

rum ſuorum tripudio proditi, tandem internecione deleti ſunt.

Sed mittamus profana. Annon horribilius exitium ſacra nobis Hiſtoria commemorat? Quid enim aliud Sodomiticas flammas, imbremque ſulphureum cælo euocauit, quàm vitiorum omnium tamquam ancillarum gregem poſt ſe trahens, ſupina deſidia? Diſertè id affirmat Ezechiel: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſaturitas panis, & otium ipſius & filiarum eius.*

Ezech. 16, 49.

Deſidia ſenſim ſine ſenſu Rempub. euertit.

Fateor quidem, otium ac deſidiam non tantum flagitij, nec tantum ad euertendas Reſpublicas neruorum ac virium primâ fronte præ ſe ferre, cùm paulatim occultè & quaſi per cuniculos graſſetur: ſed, vt dixi, ad ruinam quid intereſt, arietíſne vnico ſed violento impulſu domus repentè corruat, an tignis paulatim vitium contrahentibus putreſcat? aut, vt cum D. Auguſtino loquar, quid intereſt ad naufragium, vtrùm vno grandi fluctu nauis obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam contempta, nauem impleat atque ſubmergat? Idem eſto iudicium de Republicâ.

Auguſtinus Epiſt. 108.

Xenophon li. 2. de Pædiâ Cyri.

Quare non immeritò Cyrus apud Xenophontem ignauos ac deſides exauctorandos, & è Republicâ exterminandos exiſtimabat, non eâ re tantùm quòd hi publicæ ſalutis proditores eſſent abfuturi; ſed eo præterea conſilio, vt & qui improbi eſſe cœperant, emendarentur, & boni, malos ignominiâ notatos cùm viderent, alacriùs virtutem amplecterentur.

Xenophon de Rep. & leg. Laced.

Otioſi maiori pœnâ digni quàm latrones.

Quinimò grauiùs in otioſos ac deſides animaduertendum cenſebat Lycurgus, quàm in fures aut latrones: quòd hi priuatos tantùm pauculos læderent, ab otioſis verò atque ignauis Reſpublica proderetur. Præſtitit id

cumu-

cumulatissimè Boleslaus Tertius Poloniæ Rex, cùm Palatino cuidam, qui ad Haliciam in bello contra Russos fugâ suâ reliquo exercitui fugæ causa extiterat, pellem leporinam, colum & fusum dono misit: quâ ille ignominiâ ita excanduit, vt impos mentis effectus, vitam laqueo finierit. Sed nos otiosos ac ignauos his rationibus ac suppliciis castigatos dimittamus: ad alteram potiùs Reipublicæ pestem, quam paulò antè cum Ecclesiaste in voluptatibus & comessationibus docuimus consistere, descendamus. Cromerus lib. 6.

SECTIO VNDECIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 19. In risum faciunt panem, & vinum vt epulentur viuentes: & pecuniæ obediunt omnia.

METRICA PARAPHRASIS.

NOBILEM postquam Sodomam fauillis
Otium vitâ subigens inerti
Suasit æternum decus, & polorum
Temnere leges;
Luxus ignauo Cereale munus
Dedicans ventri, Veneri sacrauit
Turgidum abdomen, sceleríque laxas
Soluit habenas.
O quibus prægnans vitiis amœnos
Polluit campos Seboim libido!
Testis vltrices iaculata flammas
Dextra Tonantis.

O ro-

O rogi! ô flammæ! ô cinerum fauillæ!
Imbre nil actum est picei liquoris:
Non satis mundi scelus expiauit
Fulminis horror.
Luxus infami dominatur aulâ:
Et Ceres illis colitur, Venusque,
Quos rei summæ fuit æstuoso
Gurgite clauum
Verius strictis moderari habenis.
Regio arrident epulæ paratu:
Et nouas semper fabricat palato
Nausea mensas.
Naufragos mergunt animos Falerna,
Perque fecundi calicis procellas
Spumeo Cypris natat in Lyeo,
Ignis in igne.
Ast vbi luxus populator æris
Improbæ censum dederit charybdi;
Lucra rimatur noua, queis anhelis
Faucibus offas
Ingerat vulgi spoliis paratas:
Dumque Lenæos latices coronat,
Plebis emulso pretiosa succo
Pocula tingit.
Heu quibus tellus gemit ægra probris,
Dum fames lucri vitiis ministrans
Improbi ventris sepelitur imo
Gurgite gurges!
Plutus Astreæ solio potitus,
Iura Prætoris licitatur hastâ:
Atque venalis fidei propola
Fasque nefasque

Miscet.

Miſcet. O quantas ſitiens rapinæ
Stringit inſonti iugulo machæras!
Quot mouet, prædis inhians, ſiniſtro
Alite bella!
Nec ſitim partis pretioſus hydrops
Siſtit: in terras alio calentes
Sole vernarum miſeras phalanges
Claſſe relegat,
Diuitis venæ vt ſcatebras pererrent
Abditas terris: vbi Dite viſo
Pallidus foſſor trepidat ſepulto
Concolor auro.
Heu nimis fœdo ſatiata ludo
Corda Magnatum! quibus Imperator
Luxus exhaurit, reparet quod auri
Dira cupido.

PROSA EXEGESIS.

OLVDVM verè deteſtandum, regnisque ac Rebuſpublicis perniciosum, dum luxus conuiuiorum egeſtatis parens auaritiam prouocat, & inſatiabilis auaritia egeſtate ſtimulata per fas nefasque corradit, quod luxui rurſus abliguriendum tranſmittat, atque ita abyſſus abyſſum inuocat; & quod vna charybdis euomuit, altera reſorbet. Homines præpoſteri, ventrisque mancipia! qui non tantùm Rempublicam ludibrio habent, cuius ærarium exhauriunt, ſed etiam Dei dona vertunt in fomenta libidinum.

Enimuerò naturæ, non vitiis ſubſeruire debet huius vniuerſi fecunditas: & quâ fini medicamenta, eâdem alimenta ſumenda ſunt. Illi verò naturæ melioris obliti, *in riſum faciunt panem & vinum*, materiam, inquam, ſpuriæ

Luxus cõuiuiorum veram non habet voluptatem.

ſpuriæ voluptatis & inſolentiæ. Spuriæ voluptatis dixi: nam genuinæ corporis voluptatis aſſertor Epicurus, teſte D. Hieronymo, libros omnes ſuos oleribus, & pomis, ceterisque cibis vilioribus repleuit, eò quòd exquiſitæ dapes ingenti curâ ac miſeriâ, imò nonnumquam priuati publicique patrimonij triſti diſpendio præparentur.

Hieron. contra Iouinian.

Gula vitium grauiter Deũ offendit. Deut. 20, 21.

Quantoperè Deo diſpliceat hæc ventris ingluuies, non obſcurè per Legiſlatorem ſuum declarauit, cuius hæc ſunt verba: *Filius veſter ſi comeßationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuiis, lapidibus eum obruet populus.* Et verò nónne grauius etiam contra hos helluones in deſerto diuina vindicta deſæuiit? Semel nauſeabundus ille populus, & manna faſtidiens, importunis clamoribus carnes exegerat, & vltricem Dei manum expertus, nomen loco dedit *Sepulchra concupiſcentiæ.* Infame nomen, ſed quod nihil opus eſt nos ab Hebræis arceſſere; tot enim hîc ſepulchra concupiſcentiæ, quot helluones inuenimus: quibus cùm nec aurora ſatis ſit matutina menſis exſtruendis, nec vlla ſatis longa crepuſcula veſpertina, niſi altam etiam noctem ingluuies occupet, nec vllæ dapes ſatis opiparæ; quid aliud quàm animam abdomini tamquam ſepulchro concupiſcentiæ immerſam circumferunt?

Num. 11.

Luxus cõuiuiorum ſerpit etiam ad plebem.

Atque vtinam in vnius Principis aut paucorum Procerum capite ſtaret hoc malum! nunc autem gliſcit in perniciem totius Reipublicæ: ſerpit enim in ſubditos exempli contagione Principum intemperantia, nec eos erubeſcunt ſequi, quos à legibus habent vitæ duces. Quinimò ad decus etiam, & gloriæ ſuæ partem exiſtimant pertinere, ſi Principum facta æmulentur. Itaque certare inter ſe luxu conuiuiorum, & veſtium; ædes ſuperbè ſtruere & inſtruere; ſignis, aulæis, imaginibus, vaſis

Vide Lipſ. lib. 4. Politic. c. 11.

vasis aureis atque argenteis, ceteroque mensarum apparatu, quo inter comessandum non oculi minùs, quàm venter, pascantur, exornare. Ah stulti, qui omnia potiùs visenda quàm semet efficiunt! Sallustius ad Cæs.

Quæ si quis vanitatis quidem plurimum habere, cetera leuioris esse improbitatis existimat; is in vitâ communi peregrinus est & hospes. Nam, vt rectè Seneca pronuntiat, conuiuiorum luxuria & vestium, ægræ ciuitatis indicia sunt, imò morituræ. *Luxus Reipub. initium ruinæ.* Seneca Ep. 115.

Hæc enim iuuentutem, vbi familiares opes defecerunt, ad facinora incendunt. Quid enim agant? dilapidatum est patrimonium, fides defecit, & tamen eadem illa, quæ erat in abundantiâ, libido permanet. Nihil ergo propius est, quàm vt rei familiaris dispendia sceleribus resarciant. Et ceteri quidem malis artibus operam dare, Principes verò spoliare innocentes quibus omne crimen opulentia est, iura peruertere vt eorum cupiditati leges inseruiant, diuina & humana venalia habere, noua & inaudita vectigalia somniare: & quidem in his omnibus boni publici velum auaritiæ suæ obtendere, consulendum scilicet esse ærario, pecuniam neruum esse Reipublicæ, ornamentum pacis, belli subsidium; re autem verâ suum potiùs quàm publicum gerere negotium. Quid enim aliud his talibus est ærarium publicum, quàm spoliarium ciuium, cruentarumque prædarum receptaculum? Sallustius ad Cæs. *Luxus occasio multorum scelerum.*

Nihil opus est hæc à me verbosiùs disputari; vel vnicum Caligulæ exemplum rem totam ante oculos constituet, quem rerum natura videtur edidisse, vt ostenderet, quid summa vitia in summâ fortunâ possent. Hic cùm prodigorum omnium adiutus ingenio, centies sestertiûm cœnasset vno die, commentus portentosissima ge- Suetonius in Caligulâ, cap. 37. & seqq.

nera ciborum atque cœnarum, vt pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet, conuiuis ex auro panes & opſonia apponeret; tandem exhauſtus atque egens, ad rapinas conuertit animum, vario & exquiſitiſſimo calumniarum, auctionum & vectigalium genere: deinde cùm per vim & metum à plurimis ſe heredem inter liberos & familiares ſcribi curaſſet; teſtatores ipſos, quòd poſt nuncupationem viuere perſeuerarent, quaſi illuſores veneno ſuſtulit: denique & edulia omnis generis, & baiulorum operas, & iudicum ſententias, & meretricios quæſtus pecuniâ taxauit, & fœdiſſimum in ipſo palatio proſtibulum corradendo vectigali meretricio propalauit. Quid nunc L. Catilinam commemorem, quem luxus primùm, tum conflata hinc egeſtas rei familiaris, in nefaria conſilia opprimendæ patriæ ſuæ compulere, Senatum confodere, Conſules trucidare, diſtringere incendiis vrbem, diripere ærarium, & quod nec Annibal auſus fuiſſet optare, totam è medio tollere Rempublicam. Sed ſatis ſit: nam vt receptui canam, in causâ præſertim Principum atque Optimatum tam infami tamque odioſa & inuidioſa, monet ipſe Eccleſiaſtes.

Florus l. 4. c. 1.

SECTIO DVODECIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 20. In cogitatione tuâ Regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit ſententiam.

ME-

METRICA PARAPHRASIS.

Quónam insolenti lingua verborum incita
Lubricitate ruis
Per celsa Magnatum atria? &
Quæ censor oculus signat obtutu, aut gemens
Obuia turba notat,
Tu publicè in crimen vocas?
Ne tange celsa montium cacumina
Æmula sideribus,
Ne te ruinis opprimant.
Suspicere fas est, eminentis imperî
Quos Deus arce locat,
Terrisque mortales deos.
Hos si proterua Cypris, aut Cypridis puer
Ignea tela vibrans
In vitia transuersos agit,
Mollisque luxus soluit elumbi otio,
Aut malesuada fames
Auri, in rapinas infimæ
Per fas nefasque plebis infestos trahit,
Ut rabiosa lupos
Sitis cruoris euocat;
Tu cuncta cæcis palpebris, quæ per viam
Obuia se dederint,
Et aure surdâ præteri.
Nec impotenti Regiæ domus probra,
Aut diadema feri
Linguæ procacis spiculo:
Nec carpe Proceres, queis opum ad palatia
Copia strauit iter,
Et parta nummis gratia.
Licet sub imo mussitaris fornice,

Aut nemorum latebris,
Manuque vocem presseris;
Licet absque teste aut conscio exili sono,
Facta pudenda Ducum
Sub dente ruminaueris;
Erumpet aliquà proditor cordis sonus
Pectoris è latebris,
Et regias petet fores.
Et quæ cubilis gemuit inter stragula
Ac sine teste dolor,
Spargent per auras Attides,
Vagum, volucre, garrulum Prognes genus,
Quæque flet ales Ityn,
Et psittaci, & picæ, & grues.
Viden' vt calumniantium paci hauriat
Insidiosa cohors
Patulis susurros auribus?
Et verba furtim rapta, vix oris leui
Dimidiata sono,
In Regios fundat sinus?
Et vt deesset turba Magnatum atriis
Plaustra referta probris
Calumniarum subuehens;
Aurita metue saxa priuati Laris,
Connubiique torum, &
Tabulata rimis peruia.
Vis ergo tutus degere à sceptri minis,
Nec metuenda pati
Potentiorum fulmina;
Cereris Eleusis texit vt mysteria,
Supprime probra Ducum,
Et scire quæ scis abnega.

PROSA EXEGESIS.

RARA *est in dominos iusta licentia*, ait Seneca. Nuptialibus scilicet festis, quibus olim Fescennina licentia laxabatur, & paucis prætereà diebus, cùm seruis in dominos aliosque superiores non tantùm libera erat oris gratia, sed & communi mensâ vti, quinimò & honores in domo gerere, & ius dicere permittebatur. Id ferè Mercurialibus diebus concessum erat apud Cretenses, Peloriis apud Thessalos, Cronijs apud Athenienses, Saturnalibus apud Romanos. Seneca Medeâ. Delrio in Senecæ Medeam.

Alioquin vt omni veneratione Superiores prosequamur, lex diuina & humana præscribit. Suspicere nimirum par est eos, quibus suæ maiestatis apotypon supremum illud Numen impressit: &, vt ait Vegetius, Imperatori, cùm Augusti nomen accepit, tamquam præsenti & corporali Deo, fidelis est præstanda deuotio; Deo enim seruit, qui fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore. *Superioribus debetur reuerentia.* Vegetius l. 2. c. 5.

Quare si minùs fortasse decorè personam, quam sustinet, repræsentet; non tamen cuiuis idcircò concessum est maledicam in eum linguam stringere, ausuque temerario diuinam hanc imaginem, quamuis tot sordibus quot vitiis obsitam, profanare. *Dijs non detrahes*, ait lex diuina, *& Principi populi tui non maledices*. Quod si passim obuia sunt, & in oculos incurrunt Principum vitia, cæcâ potiùs dissimulatione illud Comici vsurpabo: *Superioribus non est temerè detrahendum.* Exodi 22. 28.

Indigna digna habenda sunt, herus quæ facit, Plautus in Captiuis.

quàm vt intemperanter arbitratu meo quidlibet effutiã.

Nam quod nonnulli quidlibet ori suo licere existimant, vt aiunt, Libertate Decembri, id fermè vulgi moribus receptum est magis, quàm sapientum iudicio com- *Libera dicacitas periculosa.*

comprobatum. Cuius enim consilij est, vt cetera prætermittam, propter gratuitum maledicendi pruritum vitam fortunasque suas in discrimen adducere? Tametsi enim quibusdam impunè fuisse legimus, in Principum mores mordacibus iocis lusisse, frequentiùs tamen alienâ veniâ, quàm suâ prouidentiâ, tuta fuit effusa dicacitas.

Et verò quis audeat sibi polliceri Magnates omnes aut Principes Antigoni alicuius, cuius ante meminimus, mansuetudinem æmulaturos? qui cùm manipulares duos pro Regio tabernaculo excubantes audisset Regis sui facta criminantes, succusso leuiter aulæo, Heus, inquit, longiùs discedite, ne vos Rex audiat. Aut Cæsarem Augustum: in quem cùm Timagenes quidam varia per circulos scommata coniecisset, monuit illum Imperator, vt linguâ moderatiùs vteretur. cumque indies ille per intemperantiam linguæ maiora peccaret, domo suâ tandem illi interdixit. Sed non defuit, qui tam altè cadenti sinum præberet, Asinius Pollio. Nec tamen acerbiùs Imperator cum hoc hospite inimici sui expostulauit; hoc tantùm Pollioni dixit: * Θηριοτροφεῖς. parantique excusationem obstitit, Fruere, inquiens, mi Pollio, fruere.

Seneca lib. 3. de Irâ, c. 23.

Seneca ibidem.

* Serpentem nutris.

Sed non omnibus est ea seu naturæ benignitas, seu virtus mansuetudinis. In iram pronior semper maiestas est: & habet Princeps ad exploranda conuitia emissitios oculos, auresque quamplurimas, quibus vbique præsens est: hominum circulis sese interserit, in cœnaculis accumbit, in intima irrepit ædium penetralia, pænè dixerim intersit animis nostris, & cogitationibus mediis interuenit. habet, inquam, sycophantas ac delatores suos, genus hominum publico exitio repertum: quod

Principes exploratores & delatores habent plurimos.

si

si vmquam aliàs aut vsquam, certè Romæ vel maximè sub Tiberio grassatum est. sic enim habet in eius Vitâ Suetonius: Nemini delatorum fides abrogata, omne crimen pro capitali receptum, etiam pauculorum simpliciumque verborum. Et Seneca, Sub Tiberio Cæsare, inquit, fuit accusandi frequens & pænè publica rabies, quæ omni ciuili bello grauiùs togatam ciuitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium; nihil erat tutum. Obiectum est Poëtæ, quòd in Tragœdiâ Agamemnonem probris lacessisset; obiectum est & Historico, quòd Brutum Cassiumque vltimos Romanorum dixisset: & quidem scriptis abolitis læsæ Maiestatis rei fuerunt.

Delatores olim plurimi.

Sueton. in Tiber. c. 61.

Senec. li. 3. de Benefic. c. 26.

Sed neque hac ætate nostrâ desunt istiusmodi clandestini versutique rumigeruli, communis patriæ mali genij, hostes pacis & quietis publicæ, qui instar cucurbitularum pessimum è carne humorem educentium, quidquid vel in speciem nocere posse existimant, ad se trahunt. Malè ominatum genus hominum! quod nescio cui aptiùs comparem, quàm portis illis, quæ in quibusdam vrbibus nefandæ ac tristes habentur, per quas educuntur qui à carnifice necandi sunt, sordesque ac piacula eiiciuntur. Ita per hos nihil sanum aut sacrum ingreditur aut egreditur, sed si quid alicui per imprudentiam aut iracundiam elapsum est, mox improbi illi verborum institores ad Principum aures conuehunt, vt ex alienis malis aliquid fauoris aucupentur, cùm proprio bono careant quo se commendent.

Neque hac ætate desüt delatores.

Nec est quòd longæ securitatis inducias hîc tibi promittas: nimis auida est delatoribus illis calumniandi

Calumniandi auiditas.

prurigo: nec tam pernici cursu sua Mercurium talaria concitant, quàm istos sua maleuolentia ad aulas aureſque Principum transfert: vt non immeritò calumniandi celeritatem his verbis expresserit Ecclesiastes: *Aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam.*

Calumnia etsi occultè prolata, in publicum erumpit.

Nisi fortè velimus, Ecclesiasten hac adagiali formulâ nos monitos voluisse, vt à Principum moribus, etiam nemine conscio, taxandis nobis temperemus: peruenturum id enim aliquando ad eorum aures, quamuis incerto auctore. Legimus, in obsidione Mutinensi litteras ad castra Consulum, internuntiis columbis, quarum pedibus annexæ erant, fuisse perlatas. Et quid vallum, aut vigil obsidio, inquit Plinius, quid retia amni prætenta profuere Antonio, per cælum eunte nuntio? Et nos aliquando obstupescimus quæ vni, quæ nulli, quæ solis parietibus iracundâ aut improuidâ voce commissa erant, in publicum erupisse. Frustrà sumus. *Volucris cæli auferet vocem* (vt LXX. legunt Interpretes) *& habens pennas annuntiabit verbum tuum.*

Plin. lib. 10. c. 37.

Occulta detractio incerto rumore diuulgatur.

Quæ est ista volucris habens pennas, nisi incerti rumoris fama?

——— *Cui quot sunt corpore plumæ,*
Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora sonant, tot surrigit aures.

Nec est quòd te parietibus satis tectum, aut in ipso coniugali toro securum existimes: excubat die noctuque illa sagaciſſima indagatrix,

Innumerosque aditus, & mille foramina tectis

obseruat, & si tibi vel apud amiciſſimum tuum, vel ipsam coniugem dimidiatum verbum exciderit, benè lon-

gam

gam veroque ampliorem superstruit sententiam. Quid igitur consilij? Hoc tutissimum:

Alium silere quod voles, prior sile;

neque quemquam ita tibi fidum existima, vt quæ tibi periculum creare possunt, eius auribus committas, cùm extra aleam tacendo consistere possis. Quin imò, vt monet Propheta, etiam *ab eâ quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui:* neque vllum tibi amicum tam fidelem, quàm ipsum silentium, existima. Michææ 7. 4.

SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT VNDECIMVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa inuenies illum.

2. Da partem septem, nec non & octo: quia [a] ignoras quid futurum sit mali super terram.

[a] *Syriaca & Hebraizantes habent,* quia ignorabis *vel* nescies

METRICA PARAPHRASIS.

RVRIS colonus Pleiadum extinctâ face
Dum credit aruis semina,
Quà lympha sectis culta per noualia
Trepidare gestit riuulis,
Proiecta quamuis bruma pessumdet sata,
Putrisque tabes occupet;
Simul ac tepenti panditur zephyro solum,
Herbæque molles pullulant,
Auida coloni vota luxurians beat
Flauentibus Ceres comis.

Tu

Tu sic egenis sparge munificâ manu
Solamen indigentiæ:
Neu temne, quem natura consortem dedit
Communione sanguinis.
Lacerna quamuis trita dorso squalleat
Tyrianthinis impar tuis.
Non fundus alter improbam irriguus magis
Spem vincet agricolæ satis.
Non vt Sicanâ messe perituri crepent
Distenta farris horrea,
Sed vt recondas postumæ beatius
Æternitati pabulum.
An tu perisse dona locupletum putas,
Queis pauperum placant famem?
Nusquam Kalendis visa Mercurialibus
Vsura quæstuosior.
Hic duplicato fœnori dives inhiat:
Factura fit compendium.
Nam quisquis inopi dona largitur, Deo
Non illubenti fœnerat.
Veniet diurnæ lucis alternas vices
Claudens inocciduum iubar:
Cùm post tot hyemes (quid rear?) vitæ an necis,
Post frigidæ ætatis niues,
Demessa mortis falce condetur Ceres
Æternitatis horreo.
Cùm te abdicarit sors, nouercali rotam
Torquere dextrâ pertinax,
Aut fata tumulo de superbifico lare
Nil nisi fauillam cluserint;
Solæ sepulchro rebus è tot splendidis
Fidum inferent comites pedem,

Vitæ vt ministrent postumæ viaticum,
Quas pauperi impendes opes.
Ergo profusâ dona dispersi manu
Per misera contubernia,
Tectóque socians hospitem, exhausto fame
Cereale munus diuide:
Orbo paternam suffice infanti vicem,
Lacrymasque terge pauperis:
Nec liberalitatis exsortem tuæ
Se vidua thalamo mœreat.
Occasionis obuiæ prensans comam
Prudens futuro prospice.
Nescis tenebris Hesperus quid innuat
Discors Eoo splendido:
Caliginosam atque horridam noctem vocat,
Qui nuntius lucis fuit.
Ergo Tonantis præueni actutùm minas,
Numenque donis occupa.
Si pestilenti ventilans tabem Noto
Robigo culmos vsserit,
Tibi læta viridi fronde ridebunt sata
Nutante culmi vertice.
Psal.40,4. *Si fixa lecto diditam terris luem*
Membra moribundi traxerint,
Solamen ægro Numen assiduum dabit,
Plumasque componet tori.
Si tibi pudenda flamma torrebit iecur,
Extinguet hanc miseratio.
Si fractus illabetur orbis, Gentibus
Minatus antiquum chaos;
Te per fragores fulminum, & mundi rogos,
Fragmenta calcantem poli,

Terræ-

Terræque fruſta pauperum ſponſor Deus
Innoxiâ ducet manu.

PROSA EXEGESIS.

HACTENVS diuerſa vanitatis ludibria pertractauit Eccleſiaſtes, nec in iis quidquam deprehendit, quod animæ noſtræ palato reſpondeat: nunc deguſtatis omnibus, non tam ſatur vanitatis, quàm nauſeans, ad ſolidiora pabula conuertit animum, & poſtremis hiſce duobus Capitibus ea complectitur, quæ conciliando Numini ſunt opportuna, quæque ad felicem aut infelicem ducunt æternitatem. Et quidem arreptâ è vicino occaſione eorum, qui facultatibus ſuis ad luxum & comeſſationes abutuntur (de quibus egit Verſu 16. & 19. Capitis præcedentis) opportunè docet, quomodo iiſdem ad eleëmoſynam & æternæ beatitatis fœnus vti debeamus. Cumque loco iam citato dixiſſet, *In riſum faciunt panem & vinum, vt epulentur viuentes*; nunc luxum ad beneficentiam & ſalutem transferens, inquit, *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, & poſt tempora multa inuenies illum.* Eccle. 10, 19.

Diuites obligantur ad opera miſericordiæ.

Grauiſſimus hic error diuitum eſt, quòd abundè ſibi cautum arbitrantur, ſi manus à facinore ac rapinâ abſtinuerint; nihil penſi habentes, an opibus ſuis ad luxum an ad miſericordiam vtantur. Audiant ſanè Magnum Gregorium, qui hos tales eidem maledicto ſubijcit, quo infructuoſa ficus olim à Chriſto percuſſa eſt. Terram, inquit, ficulnea ſine fructu occupat, quando locum, quem exercere alius per Solem boni operis valuit, ſtultus per deſidiæ vmbram premit. Hi autem dicere nonnumquam ſolent, Conceſſis vtimur, aliena non quærimus: & ſi digna miſericordiæ retributione non agimus, Gregor. Part. 1. Paſtor. Adm. 22.

mus, nulla tamen peruersa perpetramus. Quod idcircò sentiunt, quia videlicet aurem cordis à verbis cæleſtibus claudunt. Neque enim diues in Euangelio, qui induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, aliena rapuiſſe, ſed infructuosè propriis vſus fuiſſe perhibetur; eumque poſt hanc vitam vltrix gehenna ſuſcepit, non quia aliud illicitum geſſit, ſed quia immoderato vſu totum ſe licitis tradidit. Hactenus vir ille ſanctus, qui paulò etiam ſuperiùs, Admonendi ſunt, inquit, qui nec aliena rapiunt, nec ſua largiuntur, vt ſciant eam, de quâ ſumpti ſunt, cunctis hominibus communem eſſe terram, & idcircò alimenta communiter omnibus proferre. Incaſsùm ergo ſe innocentes putant, qui commune Dei munus ſibi priuatim vendicant: qui cùm accepta non tribuunt, in proximorum nece graſſantur, quia tot pænè quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud ſe ſubſidia abſcondunt.

Lucæ 16, 19.

D. Leo Ser. 1. de Collectis. *Diuitis abundantia pauperis debet eſſe refectio.*

Sanè, inquit D. Leo, idcircò te Deus abundare voluit, vt per te alius non egeret, & per miniſterium operis tui pauperem ab egeſtatis labore, teque à peccatorum multitudine liberaret. O mira prouidentia & bonitas Creatoris, vt vno facto duobus vellet eſſe ſuccurſum! Quid enim cauſæ putamus eſſe, cur æterna illa Sapientia, quos naturâ pares condidit, tamquam impares eſſe voluerit naſcendi fortunâ, niſi vt neceſſitudine quadam deuinctos, hunc beneficentiâ exerceret, illum patientiâ, & vt refectio pauperis diuiti fieret occaſio ſalutis?

Opportunè igitur apud Prophetam Deus admonet: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam; cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, &*

Iſaiæ 58, 7. *Eleëmoſynæ merces ſingularis.*

& ſanitas tua (aut, vt alij, *ſalus tua*) *citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.* Diuina profectò ac ſpiritualis ſucci plena ſententia! cuius nonnullæ circumſtantiæ nobis enucleandæ ſunt.

Ac primùm, quantâ humanitate pauperes tractandi ſint, initio ſatis inſinuat, cùm ait: *Frange eſurienti panem tuum:* ne ſecundarium aliquem, ſiligineum aut furfuraceum, cum deſpectu, mendico proiicias; ſed tuum panem eſurienti frange, communione menſæ eamdem naturæ conditionem profeſſus. *Pauperes quomodo tractandi.*

Addit, *& egenos vagoſque induc in domum tuam.* ne ad portam lamentantibus cum iurgio ſtipem porrigas; ſed benignè ad hoſpitium tuum inuita, Abrahamum imitatus, qui velut in excubiis & è ſpeculâ procul aduentantes conſpicatus, vltrò hoſpitibus occurrebat, lotiſque pedibus feſſos epulis recreabat.

Tandem ſubiungens, *cùm videris nudum, operi eum,* addit, quod magni momenti eſt ad perſuadendum, *& carnem tuam ne deſpexeris.* Summum enim hominum inter ſe vinculum eſt humanitas, ait Lactantius; quod qui diſruperit, nefarius ac parricida exiſtimandus eſt. Nam ſi ab vno homine, quem Deus finxit, omnes orimur, certè conſanguinei ſumus: & ideò maximum ſcelus putandum eſt, odiſſe hominem, vel nocentem. Quantum ergo facinus eſſe arbitrabimur, deſpicere pauperes & innocentes? Lactantius lib. 6. c. 10. *Naturæ communio ad humanitatem hortatur.*

Exaggerat hoc pro merito D. Ambroſius. Quouſque, inquit, extenditis, diuites, inſanas cupiditates? Numquid ſoli habitabitis ſuper terram? cur eiicitis conſortem naturæ? Et cùm in communi diuitibus omnibus atque pauperibus terra fundata ſit, cur vobis ius proprium ſoli diuites arrogatis? Neſcit natura diuites, quæ Ambroſius libro de Nabuthe, cap 1.

pauperes omnes generauit. Nudos effudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra quos genuit, nescit fines possessionum sepulchris includere. Quis discernat species mortuorum? redoperi terram, &, si potes, diuitem deprehende: eruderato tumulum, &, si cognoscis, egentem argue.

Eleëmosyna benignè largienda.

Si nullum in cinere discrimen est, nullum in fœditate nascendi; nemo supercilium attollat, vt pauperem despiciat; sed naturæ communionem professus, si quid largitus fuerit, verborum suauitate condiat. Ingentia quorumdam beneficia, silentium, aut loquendi tarditas, imitata grauitatem & tristitiam, corrupit, cùm promitterent vultu negantium. Quantò melius est adiicere bona verba rebus bonis, & prædicatione humanâ benignâque commendare quæ præstes? Sic enim efficies, vt animum tuum pluris æstimet, quàm illud, quidquid est, ad quod petendum venerat. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro asperè datum, panem lapidosum vocabat, quem esurienti accipere necessarium sit, esse acerbum. Prima igitur eleëmosynæ conditio sit, largientis benignitas.

Senec. li. 1. de Benef. c. 3. & 7.

Eleëmosyna liberaliter suppeditanda.

Altera, quam ex Ecclesiastæ verbis elicio, sit liberalitas. *Da partem septem*, inquit, *nec non & octo*, id est cuicumque poscenti. septenarium enim numerum pro indefinitâ quantacumque multitudine sumi, disertè probat noster Delrius.

Delrio Tomo 1. Adagialium, Adag. 971.

Non anxiè inquirendum sitne quis dignus eleëmosynâ.

Nec operosè disquiras, dignúsne sit an indignus, qui petit eleëmosynam; sed omnibus potiùs liberalitatis tuæ fontes pateant, ne dignis fortè claudantur. Satius est enim, ait Seneca, prodesse etiam malis propter bonos, quàm bonis deesse propter malos. Deus ipse quædam in vniuersum humano generi dedit, à quibus excludi-

Seneca de Benef. l. 4. c. 28.

Deus omnibus benefacit.

cluditur nemo: nec enim poterat fieri, vt ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis; nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum improborumque rura defluerent. Itaque fruantur beneficio vel mali, dummodò non frustrentur boni.

Nec parcâ manu, aut angusto è pectore proficisci debet eleëmosyna. Cùm enim è charitatis fonte deriuetur, nec ripis vllis velit aut limitibus circumscribi charitas; consequens est, vt quæ Deo, aut Dei intuitu pauperibus erogantur, nec minuta sint, nec accisa, nec angusti pectoris margine coarctata. *Liberaliter cum Deo & pauperibus negotiandũ.*

Sanè contumelioso potiùs in Deum, quàm religioso censendi sunt Sinenses, qui postquam in disco porcini forte capitis imas auriculas, reliquarum verò altilium vngues, & vini guttas aliquot in arâ simulacro apposuerunt, ceteras ipsi dapes magno cum tripudio & effusâ lætitiâ comedunt: & minoris culpæ reos existimamus illos, qui Deo pauca quædam & contempta delibantes, aut certè nauseantis luxuriæ frusta pauperibus proiicientes, misericordiæ præmia sibi deposcunt? Enimuerò tantum abest vt magna præmia sibi polliceri possint, vt ne misericordiæ quidem vicissitudinem possint à Deo flagitare. Quomodo enim dices, inquit Chrysostomus, Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum; cùm secundùm magnam misericordiam eius tu non miserearis, fortassis etiam neque secundùm paruam? Itaque liberali corde cum Deo negotiandum est, nec ad minutos calculos reuocanda beneficia, si eumdem aliquando liberalem erga nos & misericordem volumus experiri. Maffæus Hist. Ind. lib. 6. Chrysost. Hom. 37. ad Populũ.

Tertia eleëmosynæ conditio est celeritas, quam ver-

Eleëmosyna prompte & celeriter danda.

bo mittendi siue proiiciendi nobis innuit Ecclesiastes, vt omnem hæsitantis animi cunctationem, dubiique affectus suspicionem excludat. Ingratum est enim beneficium, ait Seneca, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægrè dimittere visus est, & sic tamquam sibi præriperet.

Senec. li. 2. de Benef. c. 1.

Si quid tamen moræ interuenerit, cuitemus omni modo, ne deliberasse videamur. Proximus est à negante, qui dubitauit, nullamque meretur gratiam. Nam cùm in beneficio iucundissima sit tribuentis voluntas, qui nolentem se tribuisse ipsâ cunctatione testatus est, non dedit, sed aduersus ducentem malè retinuit.

Beneficia parata gratissima.

Gratissima sunt beneficia parata, facilè occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundiâ. Tale nobis exemplum misericordiæ præbuit vir ætetnâ memoriâ dignissimus Propheta Iob, qui se promptissimũ viduis solatium & aduersus potentiores præsidium vltrò obtulisse commemorat. Tale etiam exhibuit vir sanctissimus Abrahamus, qui, vt modò dixi, velut ex insidiis fortè prætereuntes hospites adoriebatur, & in domum pertractos omni beneuolentiâ fouebat.

Eleëmosyna occultè detur.

Sed vt omnibus numeris absoluta sit misericordia, necesse est vt, quod monet Christus, eleëmosyna fiat in abscondito, &, quod insinuat Ecclesiastes, panis mittatur super transeuntes aquas; vt quemadmodum quod in mare proiicitur, continuò absorbetur, & ex oculis euanescit, sic ab operibus misericordiæ omnis absit ostentatio & inanis iactantiæ tumor.

Vana gloria virtutes prostituit.

Quod sanè duplicem ob causam necesse est: vt scilicet non minùs danti quàm accipienti consulatur. est enim inanis gloria instar procacis cuiusdam lenæ, quæ virtutes alioqui virgines cacodæmoni prostituit: quod cùm

cùm in ceteris virtutibus, tum in eleëmosynâ potissimùm locum habet, quam eleganter Isidorus Pelusiota ingenuam quamdam ac nobilem virginem appellat, quam occultare, & non omnibus oporteat propalare.

Sed multò magis accipientis causâ abesse debet inanis iactantia, ne eleëmosynæ ostentatio, paupertatis alterius sit exprobratio. Est enim illud inter Sapientum monita præclarum, vt ea beneficia, quæ ad honorem accipientis non pertinent, sed eius indigentiæ, infirmitati ignominiæque subueniunt, silentio erogentur, vt solis nota sint iis quibus prosunt; aut, quod generosius est, interdum etiam fallantur ij quibus succurritur, vt habeant beneficium, nec à quo acceperint sciant. Quo in genere numquam satis laudata occurrit munificentia D. Nicolai celeberrimi sub Constantino Antistitis, qui auro nocte per fenestram in ædes proiecto, ita nobilis illius Patarensis inopiæ filiarumque pudicitiæ subuenit, vt & accipientium pudori consuleret, & ipse Deo conscio ac teste contentus lateret.

Vide Pinedam hoc loco.

Leon. Iustinian. in Vitâ.

Quod dum fit, non futilis quidam & in laudibus hominum consistens, sed solidus ac stabilis à Deo misericordiæ fructus sperandus est; & multiplex quidem, tum in vitâ, tum in morte, tum denique in æternitate.

Eleëmosyna ritè facta multiplicè à Deo mercedem accipit.

Primum illum fructum nobis exhibet Isaias: qui cùm eleëmosynam his verbis commendasset, *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum; & carnem tuam ne despexeris*; illicò subiunxit: *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua.* Quibus verbis & bonorum cælestium affluentia, & propensissimus largientis affectus exprimitur, vt notat Chrysostomus. Non enim dixit, Ap-

Eleëmosyna fructus in hac vitâ. Isa. 58, 7.

Chrysost. Hom. 55. in cap. 16. Matthæi.

parebit tibi lux, sed, Erumpet, vt velocitatem & copiam remunerantis exprimeret: vt intelligamus, Deum nostræ salutis esse cupidissimum, plenumque muneribus velut ex largiendi festinatione in munificentiam prorumpere, quemadmodum lumen matutinum quælibet momento nobis bona repræsentat. Hæc Chrysostomus; cuius similitudo pulchra est & luculenta. Quis enim ignorat, pulcherrimas rerum ac multiplices formas noctu prorsus latere, hominumque oculis perinde esse, quasi nusquam essent? Lux tamen matutina, vbi primùm erupit, illas confestim aperit, & quasi de nouo producit, ac propè dixerim creat. Non minus igitur esse Dei studium erga misericordem animum, existimemus.

Vide Sanchium in locũ Isaiæ c.58.

Eleëmosynæ fructus in morte.

Alterum misericordiæ fructum securitatis scilicet in morte extremoque iudicio, apertè nobis indicat Propheta Regius his verbis: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* An miramur tam mollem fuisse beato Laurentio craticulam, prunasque candentes? nimirum Deus in hoc lecto doloris prunas quasi plumas versabat, cuius ille paternum affectum ac singularem prouidentiam, erogatis in pauperes Ecclesiæ thesauris, sibi conciliauerat.

Psal.40,1.

Eleëmosynæ securitas in extremo iudicio.

Sed illud optabilius est quod præmittitur, *In die malâ liberabit eum Dominus*; siue quod aliis verbis expressit Ecclesiastes, *Da partem septem, nec non & octo, quia nescies quid futurum sit mali super terram*, tamquam si nihil ad te pertineat. O vitæ fructum iucundissimum & maximum! extremo illo diuini iudicij die, ceteris metu exanimatis, inconcussum stare atque intrepidum. Quantæ voluptatis est, inquit Chrysostomus, in illâ die horribili

Chrysost. Hom.34. in Genes.

bili fiduciam consequi, & audire verba illa nulli regno conferenda: *Venite benedicti Patris mei. Esurui enim, & dedistis mihi manducare.* Ex quibus manifestè colligitur incredibilis operum misericordiæ vis atque energia, & in perorando salutis nostræ negotio quouis Cicerone disertior eloquentia. Quamuis enim omnes omnino virtutes causæ nostræ coram supremo tribunali patrocinentur; ita tamen se res habet, vt si iudex in pronuntiandâ sententiâ certi alicuius causidici rationibus se permotum fateatur, illi causidico proculdubiò victoria adscribatur: sic cùm in pronuntiandâ salutis nostræ sententiâ sola misericordiæ opera velut motiua Iudicis proferantur, cui dubium esse potest, quin illis æterna salus adscribenda sit?

Eleëmosynæ fructus in æternitate.

Atque hinc emergit tertius ille fructus æternæ beatitatis, qui verbis illis Ecclesiastæ significatur: *Post multa tempora inuenies illum.* Hoc est igitur illud æternitatis viaticum, hoc fœnus quæstuosissimum, hæc arrha salutis, hoc bonorum omnium voluptatumque compendium. Sed ruminemus tantisper secundum, quem dixi, fructum securitatis in morte extremoque Dei iudicio, & videamus, quàm opportunum sit, propter imminentes orbi calamitates hæc misericordiæ præsidia occupare.

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

METRI-

METRICA PARAPHRASIS.

CVM retroacta ſenex relegit veſtigia cælo
Falciger, & Phœbo Cyllenius ignis oberrat,
Ingemit agricola, & ſtabulis armenta coërcet:
Quippe tonans de monte fragor, ſiluæque comantis
Murmura rauca monent ruituros æthere nimbos.
Adiuuat è liquidis ducens Thaumantiæs imbres
Fontibus, & pluuiæ vates canit oſcina cornix.
Nec mora, præludunt nictantia fulgetra, & axis
Intonat ætherius, Zephyrique Eurique penates:
Donec ab aduerſo bellantes cardine venti
Vndique conuectâ prætexant ſidera nocte,
Prægnanteſque ſinus cogant, & nubila denſent.
Tum verò vndiſono ſtrepitu ruit arduus æther
Coniugis in gremium, tempeſtasque humida cælo
Præcipitat, ſternens ſata læta, boumque labores
Turbine conuellens, & culti ruris honores.
Haud aliter cùm flagitiis monſtriſque barathri
Terra obſeſſa gemit, vitiorumque agmine ſeptæ
Erumpunt Erebi peſtes, cælumque profanant
Tænario afflatu, piceaque in nube ſepultum
Prætexunt ſolare iubar: Cyclopea tandem
Tela vibrat Nemeſis, fœtaque è nube malorum
Diluuium terris, peſteſque ac funera mittit,
Bella, famemque, luemque, ac fata canenda theatris.
Sic quondam grauida ſcelerum de nube coorta
Tempeſtas, æquans ſinuoſa volumina aquarum
Montibus aëreis, intonſa cacumina ſiluarum,
Æquoreoque habitare gregi dedit ardua Olympi
Culmina, peſſumdans quidquid terram inter & aſtra
Alterno vitæ ſpiramine ventilat auras:

Impia-

Impiaque æternâ damnauit ſæcula nocte.
Reſtitit vna ſuper plangens tot funera, & orbis
Relliquiis noua ſæcla parans Noëa carina.
Nec minùs horrendùm intonuit furor ætheris alti,
Cùm Sodomam flammæ, & nomen ferale Gomorrham
In tenuem buſti æterni vertère fauillam.
Ergo agedum quiſquis præſagâ mente malorum
Nubila diſrumpi, venturaque deſuper orbi
Tela triſulca times, inopum miſereſce, pijsque
Muneribus ſatagens, cæli præuerte furores.
Namque vbi ſumma dies miſeris mortalibus æui
Stamina meßuerit, ſupremaque dramata ſcenæ
Cluſerit, æthereæ lucis noctisque profundæ
Arbiter exacto geminæ libramine lancis
Virtutum expendet momenta, auſusque nefandos.
Tum ſi fortè grauis meritorum germine (fato
Succumbens) imis radicibus eruta palma
Fronde ſolum feriet, leuibus quà ſibilat auris
Auſter, & æſtiuo ſpiramine ludit in herbis;
Illa, velut riguæ latices potantia ripæ
Diffundunt arbuſta comas, ita conſcia grati
Fœnoris extendet vitam per amœna vireta
Fortunatorum nemorum, pulchrumque tenebit
Elyſium, cælo æternùm fruitura ſereno.
At ſterilis meriti, fecunda in funera taxus
Eruta ſi Geticis inamœna cacumina terris
Ponet, vbi rigidus cuſtos Erymanthidos vrſæ
Torpentes gelidis Aquilonibus aſperat auras;
Hæc triſti damnata inhonora iacebit & exſpes
Climate, nulla vbi gemmatis Tithonia pratis
Purpurat, aut flores tepida euocat aura Fauoni,
Sed nox, lurida nox, æternusque ingruit horror.

Sic visum superis: hanc fata adamantina legem
Sanxerunt, cunctis vt meta nouissima vitæ
Dispenset sortem æternam, æternosque recessus.
Ergo aduerte animum, quo climate corruat arbor:
Æternum est perüsse semel, semel esse beatum.

PROSA EXEGESIS.

NON poterat Ecclesiastes vehementioribus stimulis ad opera misericordiæ torpentes mortalium animos excitare, quàm obiecto terrore supremæ, quæ mundo impendet, calamitatis ab irato Iudice, & ancipiti cogitatione expensâ felicis aut infelicis æternitatis aleâ. Si enim similitudinis apodosin è proximo versu accersere voluerimus, facilè deprehendemus hanc esse mentem Ecclesiastæ, vt nos diuini iudicij, supremique orbis excidij terrore percellat. Quemadmodum, inquit, *si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent;* ita si repleta fuerit inter homines flagitiorum ac scelerum mensura, quoddam velut calamitatum ac suppliciorum diluuium terras inundabit.

Longa impiorum impunitas multos offendit.

Videmus interdum impiorum in hac vitâ differri supplicia; & ignari secretorum diuinæ prouidentiæ, ad hunc velut offensionis lapidem cespitamus; nec aduertimus, tantisper suspendi vindictæ diuinæ mucronem, donec exaggeratâ peccatorum mensurâ, quò tardiùs, hoc grauiùs Dei furor sceleribus incumbat.

Leo Ser. 5. de Quadragel. *Non est abutendum Dei patientiâ.*

Quare nemo patientiam bonitatis Dei, ait D. Leo, de peccatorum suorum impunitate contemnat; nec ideò æstimet illum non offensum, quia necdum expertus est iratum. Non sunt longæ vitæ mortalis induciæ, nec diuturna est licentia insipidarum voluptatum, in æternarum dolorem transitura pœnarum, si dum iustitiæ sen-

sententia suspenditur, pœnitentiæ medicina non quæratur.

Sed cùm tantus sit hominum stupor, vt ne supremi quidem periculi denuntiatione terreantur, fit plerumque, vt nonnulli omnium scelerum maculis contaminati, tamdiu peccata peccatis accumulent, donec patientia diuina sæpiùs læsa in furorem vertatur. Quis ignorat, Gomorrhæas olim flammas non sulphuris magis quàm peccatorum fomite tam longè lateque grassatas? Quis ignorat, horribilem illum Noëmi cataclysmum non magis aquarum quàm scelerum exundatione confluxisse? Testis est ipse Deus: qui *cùm vidisset terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram)* ita coram Noë contestatus est: *Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terrâ.*

Vindictæ diuinæ exèmpla, impletâ scelerum mensurâ.

Genes. 6, 11.

Non absimile quiddam videre olim fuit in perfidiâ Iudaïcâ, cùm populus ille duræ ceruicis diuinos Vates, veritatis ac salutis internuntios, omni diritate vexaret, iura omnia ac sacerdotia venum exponeret, auaritiæ, libidini, ceterisque vitiis indulgeret, denique Christum, ipsum Dei Filium, & humanæ salutis assertorem, infami morte damnaret, conniuente tantisper vltione diuinâ, mensuram patrum suorum explebat, donec tandem in imbres ac nimbos ærumnarum soluta est illa tam densa nubes, Deusque Tito ac Vespasiano iustitiæ suæ administris vsus est ad exhauriendam illam vitiorum ac flagitiorum sentinam, & vrbem illam, Deo semper infestam, fame, peste, ferro flammaque vastandam.

Quod autem in vrbe vnâ factum accepimus, id in orbe contingit vniuerso, vbi pars longè maxima ita se

Plerique etiamnum mensuram peccatorum implent.

peccatis & improbitati tradit, quasi scelere flagitioque pascatur. Frater à fratre capitali odio dissidet: bellis, cædibus, rapinis, seditionibus omnia perturbantur: iniustis lucris exhauriuntur miseri, potentiorum gratiâ & & fauore opprimitur innocentia: alij alieno toro insidiantur; & magnum vbique fomentum inuenit impudicitiæ flamma: alij per omne cupiditatum genus vagantur; omnes denique seu magnis seu modicis accessionibus mensuram illam peccatorum, quam diuina patientia amplissimam statuit, implere satagunt. Quæ cùm impleta fuerit, Deus immortalis! quanta orbi vniuerso diuinæ vindictæ tempestas incumbet? quàm terribilis apparebit impiis Iudex ille sapientissimus, iustissimus, potentissimus, cuius aduentus prognostica tam inusitato terrore penitissimas ossium exsugunt medullas?

Signa extremo iudicio prænia.

Accipite quàm tragicè Sapiens amplificet illa præuia iudicio portenta, totius videlicet vniuersi ataxiam, & confusum quoddam inter se pugnantium rerum creatarum chaos. quid dico inter se pugnantium? imò verò in tanto suo dissidio aduersus impios conspirantium.

Sap. 5, 18. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Acuet duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et à petrosâ, irâ plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti diuidet illos.* Denique

Luc. 21, 25 *erunt signa in Sole, & Lunâ, & stellis, & in terris pressura gentium,* ait ipse Iudex Christus, *arescentibus hominibus præ timore, & expectatione* eorum *quæ superuenient vniuerso orbi.*

orbi. Quia *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & virtutes cælorum commouebuntur.* Matth. 24, 29.

Si bellum hoc totius vniuerſi contra ſe ſurrecturum cogitatione præciperent mortales, nónne toti eſſent in conciliando ſibi Numine? nónne opportuno conſilio hanc tempeſtatem declinarent?

Morientium angores.

Non iam dico terrores ac tormenta morientium (quoniam communi quidem orbis exitio tamquam procul diſſito plerique non ſatis percelluntur) prætermitto, inquam, internam illam æſtuantis animi luctam, præſertim cùm tabeſcente corpore doloribus ac ærumnis fatiſcit, cùm domeſticorum lacrymæ omnem ad ſe cogitationem rapiunt, cùm acerba illa ſeparatio languentem diſcruciat, cùm vermes, & fœtor, & putredo ante oculos verſantur; cùm longa illa & nimis metuenda æternitas, & Iudicis furor, & horror gehennæ interiorem hominem in mille partes diſtrahunt.

Hæc enim potiſſima cura eſt, quam his verbis expreſſit Eccleſiaſtes: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* per Auſtrum & Aquilonem proborum ac improborum ſortem diſterminans, idcircò fortaſſis, quòd Auſter tepida ſit plaga, ac perpetuâ Solis amœnitate, floribus herbisque peramica: Aquilo contrà caliginoſus, hiſpidus, horridus, ac perpetuo Solis exilio inhoſpitalis.

Æternitatis cogitatio percellit animos.

Sed quidquid hac in re ſentiendum ſit (quod aliam requirit diſſertationem) hoc certè minimè obſcurum eſt, Eccleſiaſten hîc terrore omnium grauiſſimo & maximo torpentes hominum animos excitare voluiſſe. Quis enim aries potentior ad concutiendos animos poteſt excogitari, quàm incertitudo felicis aut infelicis æternitatis? Si enim vel ſemel infelix alea ia-

cta fuerit, æternùm omni ſpe ſalutis excidiſti.

O ſi quis nunc ab inferis rediuiuus exiſteret, qui æternorum tormentorum conſcius, viſa atque explorata narraret! quantos ille motus animorum concitaret? Atqui extitiſſe aliquando Trithelmum quemdam, auctor eſt Vener. Beda, Scriptor in primis Religioſus & grauis: qui cùm è viuis ereptus ad inferorum ſpectanda ſupplicia deductus eſſet, tandem vitæ redditus, tot ieiuniis, vigiliis atque vltroneis ſuppliciis ſeſe afflixit, vt omnium in ſe oculos ac ſtuporem conuerterit. cumque eum frequentes interrogarent, quomodo tot pœnis par eſſe poſſet, tanto frigori, tantæ aſperitati; hoc vnum idemtidem reſpondebat: Frigidiora ego vidi, duriora ego vidi, aſperiora ego vidi.

Beda in Hiſtoriâ Anglorum.

Et nos qui *habemus firmiorem propheticum ſermonem*, quo tandem animo erimus? an ſegnes ac reſides opportuna miſericordiæ remedia his tantis malis præſtruere dubitabimus? an non eleëmoſynis Deum nobis demereri ſtudebimus? Certè ſi quid magnis Auctoribus credimus, nullum in tanto terrore, tantis calamitatibus, tantisque periculis magis opportunum excogitari poteſt aut præſidium aut ſolatium, quàm pia ac liberalis eleëmoſynarum largitio.

2. Pet. 1, 19 *Mala futura miſericordiæ operibus præuenienda.*

Geminos huius veritatis teſtes producam, & quidem omni exceptione maiores, Iobum ſcilicet ac Danielem. Et ille quidem nihil vnquam malè ſibi conſcius, ſed ſemper optimè, hoc diuini iudicij terrore perculſus, quid remedij adhibuerit, his verbis non obſcurè declarat. *Si negaui, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex eâ: (quia ab infantiâ meâ creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum:) ſi deſpexi pereuntem,*

Iob 31, 16.

pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem: si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est. Quid ita, quæso vir sancte? *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Ita vir ille innocentissimus. Quid verò Daniel? an aliud præsentius excogitauit præsidium? Sanè postquam diuinæ vindictæ terrores, minasque cælestes Nabuchodonosori exposuisset, opportunè subiunxit: *Quam ob rem, Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum; forsitan ignoscet delictis tuis.* Atque vtinam his monitis acquieuisset Nabuchodonosor, & non potiùs portentosi somnij euentum segnis & ignauus fuisset præstolatus!

Vers. 23.

Daniel. 4, 24.

Quod nunc etiam plerisque hominum vsu venit, qui cælestibus minis velut attoniti, ventos obseruant, ac nubes contemplantur: & cùm diuinorum iudiciorum obscuritas, & salutis incertitudo, gnauos eos ac sollicitos, bonisq; operibus intentos reddere debuerit, desides potiùs reddit, & illicitâ curiositate ab incerto salutis euentu suspensos. Hos proximis versibus perstringit Ecclesiastes.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERS. 4. Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, numquam metet.

5. Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, & quâ ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

6. Manè

6. Manè ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua : quia neſcis quid magis oriatur, hoc aut illud : & ſi vtrumque ſimul, meliùs erit.

METRICA PARAPHRASIS.

Si te ſumma dies ancipitem tenet,
Aut lapſura polo fulmina territant;
Ne fati ambiguus Numinis abditos
Perſcrutare ſinus, neu piger abijce
Torpentes animos, ac reſides manus,
Tantùm ſollicitus, quæ tibi præmia
Æternis placitis deſtinet arbiter
Fatorum. Pluuios quiſquis enim Notos
Obſeruat pauidus, læuáque fulgetra
Sudo nata Ioue, aut Vrsâ Erymanthide,
Aut quid ſparſa genis purpura Cynthiæ,
Aut quid lapſa notet ſtella facem trahens;
Hic ſemper trepidans ancipiti metu
Maternos Cererem non iacit in ſinus:
Et quiſquis nebularum aërias minas
Obſeruat pauidus, crebráque fulgetra,
Expenditque animo quid velit improba
Cornix, Pleïadum dum increpitat moras,
Aut ranæ immodicis litibus innuant,
Aut cælum patulis bucula naribus
Spectans; hic nimio dum ſatagit metu,
Numquam flauicomæ falce metet comas
Spicatas Cereris. Non aliter poli
Secretis inhians, fatáque perdius
Et pernox metuens, deſidis otij

Langueſcen-

Langueſcente fouet pectore nauſeam;
Nec ſulcis ſegetem proïjcit auream
Virtutum, aut operum fruge penum ſtruit;
Sed curis animum torquet inanibus.
Heu! fruſtrà. Veluti ſcire nefas iter,
Per quod lacteoli pectora pupuli
Auræ ſidereæ particula occupet,
Aut quæ vis vtero tanta puerperæ
Informi eliciat ſemine bullulas
In cordis, cerebríque, ac iecoris ſinus,
Aut quæ vis teneris vibret araneæ
Filis conſimiles corporibus fibras,
Aut centumgeminis fulciat oſſibus
Surgentem fragili culmine fabricam;
Sic nec ſcire humili terrigenæ datur,
Quam vitæ atque necis digerat arbiter
Fatorum ſeriem. Quare agedum pio
Intendens operi, cetera Numini
Permitte. A teneris vnguiculis manus
Deuexum in ſenium pinguia ſemina
Ne ceſſet iaciens dulcis adoreæ.
Neſcis quid cupido ſera dies vehat.
Dum ſpes agricolæ fructibus imminet,
Nunc mendax loliis fundus abortijt,
Nunc culpans hiemem, aut torrida ſidera,
Aut nimbis nimium Pleïadum gregem,
Spicis vota Ceres luſit inanibus:
Et ni ſedulitas agricolæ iuuet,
Spargens poſt hiemes altera ſemina;
Vix paſcat querulos furfure vernulas.
Si pendent variis ſemina caſibus,
Nutantque ambiguis ſideribus ſata,

Numquam terra animæ seminibus vacet.
Nescis queis potiùs cælituum fauor
Adspiret: placido si tamen æthere
Optatam in segetem cuncta adoleuerint,
O te non sterili sidere conditum!

PROSA EXEGESIS.

Frustrà laborant qui Dei secreta pro vitæ normâ habere cupiũt.

GRAVISSIMVS est error eorum, qui circa futuram vitæ necisque æternitatem ancipiti cogitatione distracti, non tam solliciti sunt quâ ratione sibi Deum propitium reddant, quàm quo modo inaccessa secretorum eius adyta penetrent: & stultâ curiositate id semper captant quod nũquam capiant, id semper sequuntur quod numquam assequantur; donec tandem conatu suo diu frustrati, in melancholiam, vel potiùs desidiam resoluantur. Quod fieri necesse est inconcessa tentantibus, & vitæ suæ rationes ad eam normam exigere cupientibus, quæ ab occultâ Dei voluntate dependeat. Hanc enim non magis, imò minùs etiam exploratam habemus, inquit Ecclesiastes, quàm *quæ sit via spiritus, & quâ ratione compingantur ossa in ventre prægnantis.*

Formatio corporis humani nobis obscura est.

Circa spiritus seu animæ substantiam magna fuit olim Philosophorum Medicorumque hallucinatio, quemadmodum etiam circa formationem fœtus in vtero materno: de quibus sapienti quadam ignorantiâ olim tutissimè pronuntiauit celeberrima illa Machabæorum mater: *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis; neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterùm cum misericordiâ reddet, & vitam.*

2. Machab. 7, 22.

Eam-

Eamdem ignorantiam profeſſus eſt ſagaciſſimus rerum naturalium indagator Galenus. ſic enim ſcribit: Cùm nullam de ſtructurâ animalium inueniam opinionem cum ſcientiæ certitudine demonſtratam, fateor me de fœtuum effectrice causâ nihil certi habere: hoc tantùm de eâ pronuntiare me poſſe confido, quòd ars & ſapientia in eâ ſit maxima. Galen. lib. de Formatione fœtus.

Quamobrem ceteros alibi monet, ne in hanc inquiſitionem pertinaciùs incumbant. Hæc, inquit, Creator noſter talia fieri voluit. Quæ autem facta iam ſunt, neque tentes neque audeas quærere quemadmodum facta ſint. Quæ enim facta eſſe ignorabas, niſi ab anatomiâ edoctus fuiſſes; quo pacto nunc audes quærere quâ ratione facta ſint? Satis ergo tibi ſit nouiſſe vnamquamque particulam pro rerum exigentiâ & vſu conſtructam fuiſſe. Si verò præterea conabere, quo pacto ita facta ſit, inquirere, palàm fiet, te nec tuam imbecillitatem, nec opificis ſentire potentiam. Idem li. 15. de Vſu partium. *Ratio fabricæ corporis humani non eſt curiosè quærenda.*

Si carnis ac ſanguinis, oſſium ac neruorum, ceterarumque corporis humani partium formationem, quibus immerſa, vel potiùs intimè vnita eſt anima, cognoſcere non potes; meritò ſubnectit Eccleſiaſtes, *Sic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium*, aut, vt habent Biblia Regia, *ita non cognoſces opera Dei, quæcumque faciet, vniuerſa*, potiſſimùm in morte, iudicio, æternitate, quæ te finis maneat, quæ merces operum, quæ præmia aut ſupplicia. *Secreta Dei etiã obſcuriora ſunt.*

Fruſtrà igitur inutili illâ & inconceſsâ curioſitate cruciaris: fruſtrà hac te curâ maceras, & nil profuturâ futurorum inquiſitione diſtentus, ætatem ac vitam ſine vllo bonorum operum fructu conſumis. Quemadmodum enim, *qui obſeruat ventum, non ſeminat, & qui conſi-* *Futurorum nimis anxia inquiſitio inutilis.*

derat nubes, numquam metet; ita qui differt bonorum operum sementem facere, donec iudicia Dei comprehenderit, & quid de se futurum sit cognouerit, nihil vmquam cælo dignum aggredietur. Tantumdem enim semper inquirendum restabit; vitæque finem citiùs quàm disquisitionis inueniet. Itaque nihilo plus compendij faciet, quàm ille de quo Horatius:

Horat. li. 1. Epist. ad Lollium.

Rusticus expectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.

Thomas a Kemp. li. 1. de Imitat. Chr. c 25. *Vtile consilium contra anxiam de futuris sollicitudinẽ.*

Scribit Thomas Campensis, Auctor Religiosus & grauis, nouisse se quemdam, qui inter spem metumque futurorum idemtidem fluctuans, ante altare quoddam prostratus, ita secum ancipiti cogitatione distractus æstuabat: O si me scirem perseueraturum! Nec mora; hoc diuinæ vocis oraculo confirmatus est: Si hoc tibi diuinitus innotesceret, quid tandem faceres? Fac nunc quod tunc facturus esses, nec vltrà de salute ambiges: dictoque citiùs omnis illa fluctuantis animi tempestas resedit, totumque se diuinæ committens voluntati, velis remisque ad virtutem perfectionemque contendit.

In negotio salutis opus est diligentiâ & constantiâ.

Et quid aliud intendit Ecclesiastes, dum in hac animi perturbatione, excussâ socordiâ, suadet vt operi instemus? *Manè*, inquit, *semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua*; per laborem matutinum diligentiam nobis insinuans, per vespertinum, constantiam in exercitio virtutum, assiduitatemque commendans.

Ad matutinam diligentiam nos excitant opifices.

Et quidem ad matutinam diligentiam excitare nos debent operæ fabriles, quæ malleorum strepitu somnum ignauis excutiunt, docentque quid nobis pro sapientiæ virtutisque studio faciendum sit, cùm ipsi spe vilissimi lucelli propositâ, non parum sæpè de necessariâ quiete decerpant. Certè Demosthenes probro sibi

Cicer. Tusc. 4.

duce-

ducebat, si quando opificum antelucanâ victus esset industriâ. Et non magis probro sibi ducet Christianus, minùs ad excitandum animum suum valere studium virtutis, quàm apud alios vanitatis? minoris apud se ponderis esse præmium æternum, quàm apud alios momentaneum?

Matutinus cultus Deo gratissimus.

Vt omittam, iam olim non obscurè Deum indicasse, longè gratissimum sibi, nobisque fructuosissimum, esse cultum matutinum. Quid enim aliud adumbratum existimamus admirabili illo mannâ, quo populum Israëliticum in deserto sustentauit? quod ita necessariò sub ipsum crepusculum matutinum colligi oportebat, vt ad primos Solis radios colliquescens, colligentium tarditatem eluderet, cùm tamen luculenti etiam ignis calori facilè resisteret. Sanè hoc ipsum nobis innuere Deum voluisse, declarat Sapiens, cùm de hoc cælesti mannâ loquens ait: *Quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum tabescebat; vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Sap. 16, 27.

Constantia in bonis operibus cõmendatur, quia hæc maximè coronatur.

Porrò, non matutina tantùm commendatur diligentia, sed etiam vespertina constantia, vt nullum vitæ tempus, nulla diei hora officio vacet hominis Christiani. Neque enim in Christianis tam initia spectantur, quàm finis, inquit D. Hieronymus. Paulus malè cœpit, sed benè finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur. Multorum est laudabiliter inchoare, sed paucorum coronatur perseuerantia. Ad vitæ metam producendus est perfectionis cursus: quisquis in stadio restitit, ab æternitatis brauio excidit. Hieron. Epist. ad Furiam.

Sed est alia insuper causa, cur numquam ab opere cessandum esse moneat Ecclesiastes. *Manè*, inquit, *se-*

mina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua: quia neſcis quid priùs eueniat, hoc aut illud, & ſi vtrumque ſimul, melius erit. Neſcimus, quibus operibus noſtris merces, quibus opprobrium debeatur. Neque enim adeò quiſquam ſibi amicus ac blandus eſt, vt omnes vitæ ſuæ partes à ſordibus ac næuis exiſtimet immunes. Quinimò non rarò, quæ ſplendida nobis atque illuſtria videntur, ſordent in conſpectu Iudicis noſtri, atque obſoleſcunt. Ille ſolus eſt qui merita poteſt expendere, ille qui ſine vllo ſimulationum fuco aut ceruſsâ virtutem vitiumque videt in vero ſuo vultu: nobis pro natiuo colore fucus obtruditur, pro auro orichalcum, pro veritate vanitas. Denique, vt ex mente D. Macarij, Prophetæ verbis vtar, *quaſi pannus menſtruatæ, vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.*

Neſcimus quæ potiſſimùm opera Deo placeant.

Macarius Hom. 20. Iſaiæ 64, 6.

Opera noſtra vt pannus menſtruata.

Notæ ſunt ſordes ac virulentia menſtrui fluoris, de quo ſic habet Plinius: Nihil facilè reperiatur mulierum profluuio magis monſtrificum. Aceſcunt ſuperuentu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina, fructus arborum, quibus inſedere, decidunt: ſpeculorum fulgor ipſo adſpectu hebetatur, aluei apum intermoriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus aëra: & in rabiem aguntur, guſtato eo, canes, atque inſanabili veneno morſus inficitur. pluraque generis eiuſdem congerit in ſemen menſtruum: cui dum iuſtitiæ noſtræ, ob quas interdum nos magnificè circumſpicimus, conferuntur, quis non videt, quàm ſollicitos nos atque anxios habere debeant opera noſtra, ne fortè dum pro iis præmium exigimus, ſupplicium referamus?

Plin. lib. 7. c. 15.

Perpetuò inſtandum eſt operi.

Quæ cùm ita ſint, nihil tutius eſt, quàm vt à primâ ætate in vltimam vſq; ſenectutem variis virtutum,

ac

ac potissimùm misericordiæ operibus incumbamus: sperandum est enim, aliqua è tot seminibus in culmum ac frugem euasura. Sin omnia Deo accepta fuerint, tantò maius operæ pretium futurum est, tametsi in situ ac tenebris, labore ac mœrore vita transigenda sit. Leuioris enim momenti est momentaneæ huius lucis dispendium; æternis rationibus æstimanda vita est.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 7. Dulce lumen, & delectabile est oculis videre Solem.

8. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.

METRICA PARAPHRASIS.

CVM fluctisono deprensa salo
Thessala pinus, tenerum Boreæ
Furiisque Noti latus obiectans,
Spumis canum Nerea sulcat,
Postquam Phœbi moriente face
Freta nocturnus territat horror,
Atraque noctem nubila geminant,
Si fors trifidâ nebulæ undantes
Face dissiliunt, crebrisque micat
Ignibus æther; illo cursum
Splendore regit, velut Arctoi

Sidere

Sidere Plauſtri, tantaque lucis
Dulcedo malæ eſt, hoc lumen amat.
Heu! mortales non minùs illo
Pila fortunæ voluimur æſtu,
Paribus nutat vita procellis,
Paribusque gemit cruciata malis.
Hinc ventorum ſpirat inane:
Hinc luxuriæ laxat hiatum
Sueta charybdis ſorbere rates:
Inde in ſcopulos ceu fera Siren
Allicit alnos blanda voluptas.
Et dulce tamen vel ſic vitæ
Munere veſci, lucis amicum
Spectare iubar, diuque auricomis
Phœbi radiis paſcere ocellos.
Quænam hæc vitæ tanta cupido?
Hic lucis amor medicas ceruos
Edocet artes, dum Creſſa hærent
Spicula tergo: hic corporis angues
Iubet obiectu ſeruare caput:
Hic fulmineos dentibus apros,
Hic aërium genus alituum
Vnguibus armans, ſufficit animos,
Quoties maior mouet arma fera.
Quin cælicolis agnatus homo
(Licet æterni conſcius æui)
Sic vitales deperit auras,
Vt cùm lethi territat horror,
Ignique velit, ferroque velit
Vri, pungi, membra ſecari,
Non ora fame lurida paſtu,
Non ora ſiti ſaliente leuat

Hauſtu

Hauſtu laticis. Si pro teneris
Pueri cunis ſedula nutrix
Supplex tacitâ libat acerrâ,
Aut Tithoni Pylijque ſenis,
Aut Euboïci puluerisannos
Tacito poſcit murmure Diuos.
Heu quàm vanis paſcimur vmbris,
Ludicra dum nos vota fatigant!
Neſtoris agedum vel Tithoni
Sæcula vincas: ſubeat longi
Stemmatis ordo, decimusque nepos
Compellet auum; ſit comes annis
Fida voluptas; titubansque gradum
Societ matris poſtuma proles
Marcidus Euan, claudatque latus
Comitata iocis blanda Dione;
Sed viue memor labilis æui,
Quod, cùm vitæ ſcena peracta eſt,
Tetricæ facies operit noctis.
Quid vitales ſuſpicis auras?
Quid productæ ſtamina lucis?
Totidem par eſt numerare neces,
Quot tibi vitæ periere dies.
Prædam celeres abigunt horæ,
Ipſaque vitam ſpoliat vita.
Sic dum radios ſpargit amœnos,
Se fax propriâ perimit flammâ.
Pòſt vbi vitam ſuprema dies
Funere merſit, longa ſubit nox,
Nullas Phœbi ſortita vices,
Tempusque vagi temporis expers,
Quod nec rapidis Cynthia bigis,

Nec ſtelliferi ſignifer Axis,
Nec cita currus Hyperionij
Rota metitur, ſed perpetui,
Semper ſtabilis, numquam occidui,
Semperque idem circulus æui.
I nunc, longos metire dies,
Protrahe crudæ fila ſenectæ,
Et millenos adijce Soles;
Non vana minùs nomina promes
Quàm ſi vitæ tempora numeret
Hypanis vermis natus in algâ:
Quem ſi natum vidit Eous,
Sol decrepitum videt occiduus.
Ergo age longos metire dies:
Quin age longos mentire dies.
Quiſquámne diu dixerit, vnum
Quod momentum fatale vorat?

PROSA EXEGESIS.

DVPLICI nos errore liberat æternitatis attenta conſideratio, qui pleroſque mortalium pænè dixerim dementauit. Alter eorum eſt, qui fragilem hanc vitam, ſemperque fugitiuam, nimio amore fruſtrà complectuntur: alter eorum, qui nihil æquè ac perituras huius mundi voluptates expetendum putant.

Amor vitæ præſentis & cura tuendæ vanæ. Auguſt. Ep. 45. ad Arment.

Et quidem de ſtulto momentaneæ huius vitæ amore nihil neceſſe eſt operosè verba facere, cùm luculenter eum & prolixè nobis ante oculos ponat D. Auguſtinus. Nónne vides, inquit, hæc vita miſerabilis & egena quàm vehementes habeat, quantumque ſibi obligatos, amatores ſuos; qui tamen periculo eius ſæpè turbati, citiùs eam finiunt eo ipſo quo finire formidant: & mortem

tem cùm declinant, accelerant. Iactant in mare, tempestate sæuiente, aliquando & alimenta: & vt viuant, proiiciunt vnde viuant. Quantis laboribus agitur, vt longiore tempore laboretur? & mors cùm impendere cœperit, ideò cauetur, vt diutiùs timeatur. Nam inter tot casus fragilitatis humanæ quàm multæ mortes timentur? quarum certè vna cùm venerit, restat ceteras non timeri; & tamen fugitur vna, vt omnes timeantur. Quibus excruciantur doloribus, qui curantur à Medicis? numquid vt non moriantur? Multi cruciatus suscipiuntur certi, vt pauci dies adiiciantur incerti. Et nonnumquam ipsis doloribus victi continuò moriuntur, quos mortis timore suscipiunt. Et cùm omnino non eligant vitam finire ne doleant, sed dolere ne finiant, accidit eis, vt & doleant & finiant. Non solùm, quòd sanati etiam, vitam finiunt post dolores (quæ tantis pœnis redempta, nec sempiterna esse potest, quia mortalis est; nec diuturna, quia tota breuis est; nec de ipso breui spatio sui secura, quia semper incerta est) verùm etiam, quòd aliquando eam dolore finierunt, quam ne finirent, dolere voluerunt. Habet etiam hoc magnum malum, & vehementer execrandum, nimius amor vitæ, quòd multi dum volunt paulò diutiùs viuere, grauiter offendunt Deum, apud quem est fons vitæ: atque ita dum ab eis frustrà, qui necessariò futurus est, vitæ finis metuitur, illinc arcentur, vbi sine fine viuitur. Ita sanctus ille Doctor, cuius acutissimæ & accuratissimæ dissertationi nihil addendum iudico.

Voluptates impiorum magni faciunt.

De voluptate non minùs pernicioſus inter homines grassatur error, quam tanti faciunt ventris Venerisque mancipia, vt, quod de Sardanapalo suprà dixi, nihil in vitâ præstabilius esse ducant, quàm inter vina & scorta

consenescere ; cetera mortalium ne digitorum quidem crepitu digna existiment. Nónne inuentus est olim procax quidam ac dissolutus nepos, qui Pythagoræ impudenter affirmaret, malle se inter mulieres, quàm inter Philosophos ætatem degere ? cui prudenter occurrit Pythagoras, id sibi non vsque adeò mirum videri, cùm & sues libentiùs in cœno ac luto, quàm in aquâ limpidâ volutentur.

Quid nunc Nerones, Caligulas, Heliogabalos, antiqua naturæ portenta, commemorem ? quorum prodigiosas libidines malo æterno silentio obruere, ne castas aures offendam. Quid Vitellium, Apicium, similesque gurgites, qui assiduâ vomendi consuetudine id egerunt, vt denis sæpè ac duodenis vnius diei conuiuiis pares esse possent? Nec desunt hodie voluptatis amatores, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum*. id est, vt interpretatur Chrysostomus, qui ex impudicitiâ ac libidine, quæ pudoris atque ignominiæ mater est, impudentissimè gloriam aucupantur.

Phil. 3, 19.

Chrysost. ad eum locum.

Æternitas hanc vitã & voluptatem vanitatis arguit.

Sed quàm vana ac profana sit huius mundi voluptas, quàm etiam fluxa ac nihili hæc momentanea vita, opportunè nos docet Ecclesiastes ex contentione interminabilis æternitatis. *Si multis*, inquit, *annis vixerit homo, & in omnibus his lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum : qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.* Nam, vt ait Gregorius, viri sancti præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt, dum illuminatæ mentis oculos in considerationem æternitatis figunt. Hæc enim sola pretium meretur, hæc sola vitæ nomen suo sibi iure vindicat; cùm nihil aliud sit, teste Boëtio, quàm interminabilis vitæ tota simul ac æterna possessio.

Gregor. l. 8. Moral. cap. 20.

Æternitas sola vera est & stabilis vita. Boët. l. 5. de Consol. Prof. 6.

De

De hac meliùs affirmari potest quod de præterito tempore alibi dicit Seneca: Hæc est pars temporis nostri sacra ac dedicata, omnes humanos casus supergressa, extra regnum fortunæ subducta, quam non inopia, non metus, non morborum incursus exagitat. Hæc nec turbari nec eripi potest: perpetua eius & intrepida possessio est. Seneca de Breuit. vitæ, c. 10.

De hac si quæris quanta sit, respondeo, Si numero aut mensurâ comprehendi posset, æternitas non esset. Itaque metire illam, si lubet, iterùm atque sæpiùs: post decem annorum myriades, post centies millena millia myriadum annorum, post decies centies millena millia myriadum, necdum finem, necdum medium, necdum initium æternitatis assignabis. His adde tot millenas annorum myriades, quot aër atomos, quot mare guttas, quot terra complectitur arenulas: adde numeros Arithmeticæ quadratos & cubicos, & his impleta tot chartarum volumina, quot concauum Lunæ spatium, quà latissimè patet, complecti cogitatione fingitur, nondum tamen vestigium æternitatis assequêris. *Quanta sit æternitas.* Vide Memor. æternit. cõcl. 3.

Confer nunc cum interminabili æternitate præsentis vitæ momentum veriùs quàm tempus: nónne quantumcumque illud fuerit, vanissimum planè, & nihilo, magis quàm tempori, affine existimabimus? *Vita præsens æternitati comparata instar nihili est.*

Audiamus hac de re fusissimè differentem D. Augustinum. Vanum, inquit, est cor hominis. Quis tenebit illud & affiget, vt paululum stet, & capiat splendorem semper stantis æternitatis, & comparet eam cum temporibus numquam stantibus, & videat, longum tempus, nisi ex multis prætereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum non fieri? Et tamen hîc longum tempus præteritum centum annorum, & lon- Augustl. 1. 11. Confess. c. 11. & 15. *Nullum hîc tempus longum est.*

gum centum annorum futurum metimur. Domine Deus meus, lux mea, nónne & hîc veritas tua deridebit hominem? Nam si præteritum est, iam non est: si futurum est, nondum est. Quomodo ergo longum est, quod omnino non est? Quid ergo? Centum anni præsentes longi temporis nomen obtinere possunt? Sed vide priùs, vtrùm possint præsentes esse centum anni. Si enim primus eorum annus agitur, ille præsens est, reliqui nonaginta nouem futuri sunt, & ideò nondum sunt. Et in hoc vnico anno si primus agitur mensis, futuri sunt ceteri: & in hoc vno mense si primus dies, futuri ceteri. Ecce longum illud centum annorum tempus vix ad vnius diei spatium contractum est. Sed discutiamus etiam hoc ipsum spatium, quia nec vnus dies totus est præsens, sed nocturnis diurnisque horis vigintiquatuor expletur, quarum prima ceteras futuras habet, nouissima præteritas, ac proinde nullas. Et ipsa vnica hora fugitiuis particulis agitatur. Denique si quid intelligitur temporis, quod in nullas iam vel minutissimas partes momentorum diuidi possit, id solum præsens dici potest: quod tamen ita raptim à futuro in præteritum transuolat, vt nulla morula extendatur. Nam si extenditur, iam diuiditur in præteritum & futurum, siquidem præsens, nullum habet spatium quo extendatur. Vbi est ergo tempus quod longum vocamus? Sin autem tam breuia tamque concisa sunt tempora, quid tandem de hac vitâ mortali iudicabimus, quæ huius velut puncti millesimo quodam puncto circumscribitur?

Vita hæc breuissima.

Non latuit hoc vitale, dicam, an mortale, momentum impios illos, qui apud Sapientem vitam hanc nostram etiam mendacio reddidere breuiorem. *Exiguum*, inquiunt, *& cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refri-*

Sapient. 2,1.

refrigerium in fine hominis: fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum: & transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur. Vmbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reuersio finis nostri.

Hactenus de breuitate vitæ philosophati sunt, quam etiam videntur æternitatis desperatione intra arctissimos limites compegisse. Sed vide quàm pernicioſam inde trahant sequelam. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creaturâ tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.* O cæci, qui rebus illis pretium faciunt, quas tam breues & euanidas esse sciunt! Quàm exiguæ illis noctes videntur, ait Seneca, quas in complexu scortorum aut vino exigunt? Hinc ille Poëtarum furor fabulis humanos errores alentium, quibus visus est Iupiter, voluptate concubitûs delinitus, duplicasse noctem. Quid aliud est vitia incendere, quàm auctores illis inscribere Deos, & dare morbo, exemplo diuinitatis, excusatam licentiam? Ipsæ voluptates eorum trepidæ, & variis terroribus inquietæ sunt: subitque, cùm maximè exultant, hæc sollicita cogitatio: Hæc quamdiu? Ab hoc affectu Reges suam fleuere potentiam: nec illos magnitudo suæ fortunæ delectauit, sed venturus aliquando finis exterruit.

Vers. 6.

Voluptates non sunt solidæ.

Seneca lib. de Tranquillit. vitæ, cap. 16.

Itaque gaudia eorum trepida sunt. non enim solidis causis innituntur, sed eâdem, quâ oriuntur, vanitate turbantur. Maxima quæque bona sollicita sunt: nec vlli fortunæ minùs benè, quàm optimæ, creditur. Aliâ felicitate ad tuendam felicitatem opus est: & pro ipsis, quæ successerunt, votis vota facienda sunt. Omne enim quod fortuitò euenit, instabile est: & quò altiùs surrexit,

Idem ibid. cap. 17.

xit, vergit proniùs ad occasum. Hæc Seneca.

Æternitas tormentorũ vana ostendit mundi gaudia.

Quæ cùm per se vera sunt, tum multò maioris arguuntur vanitatis, si momentaneam hanc felicitatem excipiat æternitas tormentorum, quam insinuare videtur Ecclesiastes per tenebrosum tempus & dies multos, siue per tenebrarum diuturnitatem. O quis illi par esse poterit! ô quàm durum est, quod cruciat æternum! O æternitas, quàm rarò versaris in mentibus hominum! (vtor verbis doctissimi Sasboldi) iterùm dico, quàm rarò versaris in mentibus nostris, æternitas! ô æternitas! Cogito mille annos, cogito millies mille annos, cogito tot annorum millia, quot sunt momenta in toto tempore à mundo condito vsque ad eius consummationem, & de æternitate nihil adhuc habeo. O æternitas! quis poterit par esse æternitati in tormentis? volo dicere, & nescio dicere, Quamdiu Deus erit Deus, tamdiu durabunt tormenta. Quamdiu istud erit? Non est effari, non est concipere, non est inuenire istud quamdiu. O æternitas! æternitas! quàm longa es æternitas!

Adam. Sasboldus Hom. de Quadr.

Damnatorum lamenta.

Hæc alio sensu & alio gemitu pronuntiabunt illi voluptatis asseclæ, quibus hæc reipsâ priùs experienda sunt quàm credenda. Proh dolor, inquient, decem elapsis annorum millibus, centum adiicientur millia: iungentur deinde tot myriades millionum, quot in Oceani littore arenarum grana: post quæ vix infinitis numeris comprehensa tempora, quasi nihil de pœnis nostris accisum sit, rursus quasi ab initio tormenta sæuient; atque ita sine intermissione, sine fine, sine modo, voluetur nostrorum rota tormentorum. O terribilem, ô formidabilem æternitatem! Væ ergo nobis, & æternùm væ! Væ quòd nati sumus, neque denasci possumus: imò morimur semper, & viuimus; deficimus, & subsistimus;

Gregor. l. 9 Mor. c 39.

ſtimus; finimur, & ſine caremus: mors enim noſtra eſt ſine morte, defectus ſine defectu, finis ſine fine; quia hîc & mors ſemper viuet, & defectus numquam deficiet, & finis ſemper incipiet; & propter momenti vnius voluptatem ſic lancinari? Sic illi. Augustinus lib. de Spiritu & animâ, c. 56.

Nos verò dum tantam momentaneæ voluptatis vanitatem ex comparatione æternorum tormentorum diſcimus, ita dementes erimus, vt æternis cruciatibus momentum voluptatis emendum cenſeamus? Certè non cenſebimus, ſi meminerimus, tantillæ voluptatis, tam grauem coram ſupremo Iudice reddendam eſſe rationem, à cuius furore triſtiſſima illa tormentorum expectanda ſit æternitas. Ne autem id nobis voluptati deditis, rerumque futurarum incurioſis, excidat, ſubiungit Eccleſiaſtes:

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 9. Lætare ergo iuuenis in adoleſcentiâ tuâ, & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito quòd pro omnibus his adducet te Dominus in iudicium.

METRICA PARAPHRASIS.

EVGE *pubeſcens viridi iuuentâ*
Floſcule, & cordis nebulas repelle,
Et iocis frontem leuibus polito:

Risus humentes oculos serenet.
Viue, dum feruet iuuenilis æstus,
Et voluptati famulantur anni.
Iam caput nexæ phylirâ coronæ
Marcidum cingant violis, rosisque.
Nardino stillent Syrio capilli:
Dapsiles mensas peregrina ditent
Fercla venatu, spoliisque ponti:
Diluant Bacchi latices pudorem.
Plaude lasciuas pedibus choreas,
Ac Dioneo satiare ludo.
Quidquid aut voti immodicus Cupido
Suasit, aut visus radio notauit
Concitis remis sequere, atque velis.
At quis erectas strepitus, tubæque
Attonat clangor iuuenantis aures?
An reum forsan citat ad tribunal
Iudicis vrna?

PALINODIA.

Siste iam cursum petulantis æui
Insolens frustrà volucri iuuentâ,
Nubilo vultus hilares doloris
Conde, rugosis aret atra sulcis
Cura discusso faciem lepore:
Mœsta decurrant lacrymæ per ora.
Plange, dum fallax tibi vernat ætas,
Et voluptatum stabulo saginat
Victimam letho celeri dicatam
Protere auulsæ capiti coronæ
Frusta, marcentes violas, rosasque;
Horreant nardo madidi capilli,

Dapsi-

Dapsilis mensæ peregrina sperne
Fercla, ceu fœdam stomachi saburram,
Sintque Lenæi calices pudori.
Terra lugubri sonet icta planctu:
Cypridis cedat pharetratus infans.
Stringe inexpleti vaga vela cordis,
Quidquid arridens oculos sequaces
Allicit, mendax & inane ducas.
Namque post lapsos sine nube Soles,
Scena dum mimo fuerit peracta,
Arbiter vitæ rigidus, necisque,
Quidquid admisit petulantis æui
Feruor, expendet Themidos bilance.
Heu! quibus sese latebris nocentes
Occulent? Nusquam trepidis asylum:
Pallium nusquam vitiis dolisque.
Conde speluncis Acherontis atri
Crimen; heu! frustrà radiis supernæ
Lucis offundis tenebras. Ad ipsos
Tende pernici Antipodes volatu;
Vindicis dextram Antipodes tremiscunt.
Numinis nullæ radiis tenebræ:
Nullus, heu! nullus locus est ab illo
Vindice tutus.

PROSA EXEGESIS.

HAEC qui seriò atttenteque perpenderit, fierine poterit vt aut lasciuientis ætatis illecebris se tradat, aut vllo in pretio habeat profanas voluptates? Nemo profectò tam demens tamque excors inuenietur, nisi fortasse flagitiorum consuetudine callum auribus obducente, ad hunc tam terribilem fatalis tubæ clangorem *Extremi iudicij terror.*

prorsus obsurduerit, quæ D. Hieronymum olim ita perculit, nullam vt quietis partem capere posset. Quoties, inquit ille, diem iudicij considero, toto corpore contremisco. Nam siue comedo, siue bibo, siue aliud quid facio, semper illa tuba videtur auribus meis insonare: Surgite mortui, venite ad iudicium.

Hieron. in Matthæũ.

Alia Dei iudicia, alia hominum.

Videbat enim vir acri iudicio præditus, longè alia esse iudicia Dei, alia hominum: & in illo supremo tribunali fortasse despicatissimos fore, qui hîc ceteros præ se despiciunt; abiectissimos, qui supremum dignitatis apicem conscenderunt; calamitosissimos, qui hîc bonorum omnium votorumque summam videntur consecuti. Idemque de rebus, quod de personis, fore iudicium, non ignorabat: ea scilicet vanitatis esse condemnanda, quæ prima inter mortales habentur bona.

Impij in extremo iudicio damnabunt suam dementiã.

Et sanè nihil est, quod efficaciùs ab illis rerum caducarum admiratoribus palinodiam extorqueat, quàm inopinata illa sortis & conditionis commutatio, cùm impij, discusso, vt ita dicam, huius mortalitatis lethargo, longè aliam rerum faciem coram supremo Iudice contemplabuntur. *Videntes* enim, ait Sapiens, *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Et ecce continuò palinodiam: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à viâ veritatis, & institiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tam-*

Sap. 5, 2.

quam

quam vmbra, & tamquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam: cuius, cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus. & plura in hanc ſententiam, quæ facundus impiis dolor ſuggeret, & ſalutis extrema deſperatio.

Sed immoremur tantiſper ſingulis quæ per ironiam proponit Eccleſiaſtes. 1. *Lætare*, inquit, *iuuenis in adoleſcentiâ tuâ.* 2. *Et in bonis ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ.* 3. *Et ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum.* Sed, obſecro, ne quid nimis: ſcito quòd pro his omnibus *adducet te* Deus *in iudicium.* Itáne verò? Quid ergo iuueni prodeſt inanis adoleſcentiæ iactantia, ſi lubrica hæc ætas, tot vitiis obnoxia, ſeueriſſimo illi tribunali, & plus quàm Rhadamantæo iudicio ſiſtenda eſt?

Extremi iudicij cogitatio iuuentutis laſciuiam domat.

Certè vel ſola illa cogitatio ad exuendam iuuentutis laſciuiam, moreſque ſeniles induendos ſufficere deberet, cùm eadem cogitatio totum etiam hominem exteriorem aliquando mutaſſe reperiatur. Auctor eſt mihi D. Vincentius, iuuenem quemdam, cui Chriſtus per quietem ſe Iudicis habitu geſtuque obtulerat, ab eodem variis quæſtionibus pulſatum, ac ſeuerè increpitum, ita toto corpore cohorruiſſe, vt ſummo manè capillis omnibus canus repentè comparuerit.

S. Vincent. Concion. in Sexag.

Extremum iudicium cogitanti non ſapit voluptas.

Addit Eccleſiaſtes: *Et in bonis ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ.* Diceres, Dionyſium aliquem Syracuſanum Damocli, regio ſchemate exornato, omne genus delicias apponere, eumque inter flores, vnguenta, Muſicumque concentum, ad epulandum, regiâque fortunâ fruendum adhortari. At ille deliciarum oblitus, idemtidem reſpectare pendulum è ſetâ mucronem, & in ſingula momenta extremum capiti exitium metuere. Ita

fruſtrà Iuuenem Eccleſiaſtes hortatur, vt cor ſuum in voluptates effundat, dum ex alterâ parte ſeuerum diuini iudicij mucronem intentat. Fruſtrà, inquam, eſt. Nec epulari huic beatulo, nec iocari, nec ludere adlubeſcet. nimirum

Horatius l. 3. Od. 1.

Diſtrictus enſis cui ſuper impiâ
Ceruice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem:
Non auium citharæque cantus
Somnum reducent.——

Nihil opus eſt hæc pluribus exemplis ſtabilire. Vnicum producam D. Auguſtini, qui nihil æquè apud ſe valuiſſe confirmat ad ſiſtendum voluptatis fluxum, quo contabeſcebat in mortem, atque timorem diuini iudicij. Non me reuocabat, inquit, à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis, & futuri iudicij tui, Domine: qui per varias quidem opiniones, numquam tamen receſſit à pectore meo. Sed ad alios ſalutaris huius timoris effectus tranſeamus.

Auguſtinus lib. 6. Confeſſ. c. 16.

Pergit ironicôs Eccleſiaſtes: *Et ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum.* Quis, obſecro, tantæ reperietur audaciæ, qui vagas, effrænes, indomitas ſuas cupiditates per omne vitiorum genus exſpatiari permittat, ſi diuini iudicij terrore fuerit percuſſus? Sanè nihil hoc timore præſentius exiſtimauit Propheta Regius ad coërcendas illicitas cupiditates, cùm dixit: *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.*

Timor extremi iudicij frænat indomitas cupiditates.

Pſal. 118, 120.

Hæc aſſiduè meditari, certa ſalus; negligere, fatalis eſt ſocordia: &, vt ait Euſebius Emiſſenus, irremediabile periculum eſt, ſic aliquem vitiis & cupiditatibus fræna laxare, vt ſe rationem Deo non meminerit redditurum. Neque enim exiguum peccati ſup-

Extremi iudicij obliuiſci, magna eſt pœna. Euſebius Emiſſenus Homil. de Latrone beato.

ſupplicium eſt, metum ac memoriam extremi perdidiſſe iudicij.

Hæc itaque dies noctesque meditemur, ſi peccatis modum ponere volumus: ferамus illum in oculis, ante cuius oculos aſſiduè verſamur. Nihil eſt enim quod nos ita prouidos, & aduerſus lubrica peccatorum pericula circumſpectos reddat, quàm terribilis illius Iudicis præſentia, cuius tribunal nec declinare, nec fallere, nec muneribus corrumpere poſſumus. Magna vobis eſt, inquit Boëtius, ſi diſſimulare non vultis, indicta neceſſitas probitatis, cùm antè oculos agitis Iudicis cuncta cernentis, ac bonis præmia, malis ſupplicia diſpenſantis. *Iudicis præſentia concepta à peccatis coërcet.* Boët. lib. 5. de Conſol. Proſ. vlt.

Hominis teſtimonium declinamus, ait D. Ambroſius, & in conſpectu Dei ea quæ ſunt indigna committimus? Iniuria eſt homini, ſpectare flagitia: Deum arbitrum omnium eſſe ſcimus, & eo teſte peccamus? Quod ſcortum aut adultera tam proſtitutæ reperietur impudentiæ, quis latro aut ſicarius tam proiectæ audaciæ, vt præſente Iudice, publico ſatellitio ſeptus, coram carnifice & cruciatuum inſtrumentis, aut inconceſſam libidinem audeat exercere, aut in obuium quemuis rapinâ ferroque graſſari? Et audet homo præſente & inſpectante Deo Iudice, cinctus vndique cæleſtibus aulicis diuinæ iuſtitiæ adminiſtris, imminente in eius exitium carnifice cacodæmone, audet inquam ea perpetrare, quibus æternis cruciatibus ſe reddat obnoxium? Ambroſ. de Apologiâ Dauid. *Magna impudentia eſt Deo teſte peccare.*

Sed, prô dolor! in quantam trepidationem hæc aliquando conuertetur audacia, cùm omnibus vndique præſidiis excluſus peccator, quò ſe conuertat non habebit? Quâ fronte tunc infinitæ Maieſtati impudens illud

illud os ostendet læsæ Maiestatis reus ? aut quâ fiduciâ misericordiam imploraturus est, primùm de contemptu misericordiæ iudicandus ? quàm vana tunc erit & inanis apparebit adolescentiæ iactantia ? quàm acerba voluptatum recordatio ? Nunc eadem potiùs cum gustu sensuque pœnitudinis ruminemus ; & Ecclesiastæ monitis auscultantes, quæ tunc acerba futura sunt, eorum nunc inordinatos appetitus ac frustratoriam vanitatem detestemur.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 10. Auferª iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tuâ. Adolescentia enim & voluptas vana sunt.

ª *Vatablus & Olympiod.* superbiam

METRICA PARAPHRASIS.

Si tam minaci fronte præteritæ exigit
Momenta vitæ præpotens mundi Arbiter;
Si tam seueræ lancis arbitrium subit
Feruor iuuentæ, lege postquam adamantinâ
Fatalis hora clausit extremum diem ;
Ferox iuuentus sana meditari incipe :
Compesce flammam, spiritus truces doma,
Furiasque reprime : néve ferueſcens cruor,
Ratione mersâ, temet eripiat tibi:
Neu te Dionæ illici vultu puer
Lasciua torquens iacula, & hamatos iocos
Veneris pudendo vile mancipium gregi
Transscribat. O quæ toxica incautis procax

Miscet

Miſcet voluptas, flore primæuo inclyta
Dum vernat ætas! O quibus facibus furens
Generoſa iuuenum ſtudia peſſumdat Venus!
Et corda cælo nata collidit ſolo,
Penitas medullas igne luctifico vorans!
Non ſic amœna prata diſpoliat vapor,
Dum feruet æſtu media ſolſtitij dies,
Noctemque breuibus Luna præcipitat rotis;
Non ſic honore frondium ornatum nemus
Spoliat ſuperbis flamma populatrix comis;
Non emicantes fontium è venis aquas
Ita ſorbet alto Sirius latrans polo,
Vt ignis ille Cypridis depaſcitur
Animi vigorem, & corporis ſuccum bibit.
Fuge, fuge peſtem, ſperne mendaces iocos,
Vanisque tandem detrahe illecebris fidem.
Aëra ſerenum ſpondet? at nubes dabit.
Riſum propinat? perpetes fletus time.
Præfert roſarum purpuram? ſpinas caue.
Habet hoc voluptas, corda pellaci dolo
Mulcet fruentum: parque mellifici gregis,
Vbi grata mella fudit, in tenues Notas
Fugit, ac tenaci ſauciat morſu fibras.
Quin fugiat autem floridæ ætatis comes,
Cùm fugiat ipſe floridæ ætatis vigor?
Quid enim iuuentus? Ludus Æolidum, vapor,
Verſicolor iris, bulla ſpumantis freti,
Et ſi quid aliud orbe vix natum perit.
Non ſic ad Auſtri turbinem primum roſæ,
Aut vngue meſſa lilia exſpirant, neque
Sic prima ſiluam forma deſtituit, cui
Nudum cacumen vernus inueſtit tepor;

Vt flos iuuentæ atteritur hoſtili die.
Senſim ſenecta debili adrepit pede,
Frontemque rugis aſperat: ſquallent genæ,
Languent ocelli, verticis canent niues,
Extincta roſeis purpura expirat labris,
Decus omne vultus interit. Velut nouo
Dum vere laxat terra purpureos ſinus,
Gratumque Zephyrus rebus adſpirat decus,
Si fors rigentes excutit pennas gelu
Populator Arcti, aut imbre bacchatur Plias;
Exſpirat omne, quidquid animarat priùs
Lenis Fauonî ſpiritus. Age nunc ferox
Ætate iuuenis, fruere mendaci bono.
Nec te voluptas imbre lacrymarum eximet,
(Non alia plures turget in fletus Hyas)
Nec te iuuentæ nomen eripiet neci.
Inane nomen! Quiſquis eſt fato ſuo
Maturus, illum iure dixeris ſenem.

PROSA EXEGESIS.

SI ne nomen quidem ſuum tueri poſſunt, quæ tanto in pretio ab hominibus habentur; ſi neque tantum vigoris ineſt adoleſcentiæ, vt adoleſcentia vocari poſſit; nec tanta ſuauitas voluptati, vt voluptatis nomine cenſeri; nónne ſummo iure pronuntiauit Eccleſiaſtes, *Adoleſcentia & voluptas vana ſunt?* Atqui rem ita ſe habere, tum ex ipsâ conditione naturæ, tum maximè ex conſideratione extremi iudicij (cuius terrorem præcedenti verſu expendimus) negotij nihil eſt demonſtrare.

Nicander in Theriacis.

Et quidem quod attinet ad adoleſcentiam, libenter fabulam illam prætermitto, quam refert Nicander, Iouem

uem illustre munus iuuentutem dedisse mortalibus: at illos, itineris labore fessos, illud asini dorso gestandum imposuisse: qui cùm siti æstuans ad fontem peruenisset, & à dipsade aquis prohiberetur, tandem aquæ pretium iuuentutem, quam dorso gestabat, serpenti tradidisse, & ex eo tempore mortalibus inane iuuentutis nomen relictum, ceterùm & morbos, & senectutem, & malorum iliadem humanum genus inuasisse. Sed hæc, vt dixi, fabulosa sunt: illud verius dicam, primos parentes nostros à serpente circumuentos, & vigorem iuuentutis amisisse, & infinitam morborum ac miseriarum catenam cum ipsâ demum morte traxisse: adeò vt iam nihil aliud sit vita mortalium, quàm mortis victima, spolium temporis, trutina calamitatis.

Iuuentutis vigorem peccato prodegimus.

Quid enim in vitâ, atque adeò in iuuentute reperitur eximium? an robur corporis ac valetudo? quàm nullo negotio hanc aut febricula exhaurit, aut ventus deiicit, aut catarrhus suffocat, aut externa denique vis opprimit?

Robur iuuentutis infirmum.

An fortassis externâ specie, formæque dignitate iuuenis insolescit? Sanè hoc esse familiare iuuenibus, & hîc insinuat Ecclesiastes, dum ait, *Aufer iram* (vel, vt alij interpretantur, superbiam, tumorem, arrogantiam) *à corde tuo*, & apertè docet Chrysostomus, Externa, inquiens, pulchritudo plena est arrogantiæ & insolentiæ, habetque voluptatem ad vnum alterúmve mensem, aut vt summùm ad annum: sed mox consuetudine obsolescit miraculum; quæ verò è pulchritudine mala pullularunt, fastus scilicet & arrogantia, permanent.

Iuuenes propter pulchritudinem superbiunt.

Chrysost. Hom. 20. in Epist. ad Ephes.

Sed, vt rectè notat Philo Iudæus, ob speciem corporis sese efferre insolentiùs, & laudes hominum captare, hominis est parum sui compotis, cùm vsque adeò breui tem-

Philo lib. de Prouidentiâ.

Vanum est propter formam superbire.

temporis ſpatio extinguatur, vt antequam efflorescat, defloruiſſe videatur. Fluxa enim & fragilis eſt formæ gloria, ait Salluſtius; & Seneca:

Salluſt. in Catilinariâ. Seneca in Hippol.

Heu! fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaque non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.
Res eſt forma fugax. quis ſapiens bono
Confidat fragili? ——

Et viro indignum.

Quò magis admirari ſubit cincinnatulos illos, glabroſque alienæ voluptatis, gulæque adminiſtros, quibus circa ſpeculum pectinemque ſemper occupatis, plus curæ eſt vt comptiores ſint quàm vt honeſtiores; quibus tot bonæ horæ pereunt, cùm de ſingulis capillis in conſilium itur, & volſellâ decerpitur ſi quid proximâ nocte ſuccreuerit; qui denique, in proprium dedecus, quàm poſſunt diutiſſimè cum ætate luctantur, vt in vultu glabro alieno tempore pueritia ſplendeat. An eſt quidquam in orbe tam vanum?

Voluptas vilis eſt.

Sed videamus, an aliquantò plus in ipsâ voluptate ſit voluptatis. Duobus hæc maximè vitiis fouetur, gulâ ſcilicet & libidine. Vtraque pecoris bonum eſt. Quis enim mortalium, ait Seneca, cui vllum ſupereſt hominis veſtigium, per diem noctemque titillari velit, &, deſerto animo, corpori operam dare? Deinde, quis illum, non dico inter viros numeret, ſed inter homines, cuius ſummum bonum ſaporibus, & coloribus, & ſonis conſtat?

Seneca lib. de Vitâ beatâ, c. 5.

Idem Epiſt. 92.

Voluptas perniciosa eſt.

Quid, quòd non vana tantùm, ſed etiam perniciosa voluptas eſt? Certiſſimum enim voluptatis vectigal morbi ſunt; nec aliud ventris ſagina, quàm miſeriarum officina. Poſtquam enim non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quæſitæ ſunt mille deliciarum

rum condituræ, quæ desiderantibus alimenta erant, iam plenis onera ac nauseantibus esse cœperunt. Inde pallor, ait Seneca, & neruorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper, qualis in ipsâ ebrietate, titubatio: inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesque in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, neruorum sine sensu iacentium torpor, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta, & cerebri æstuantis verminationem, & omnia, per quæ exoneramur, internis vlceribus affecta? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? tantum scilicet pœnarum in orbem inuexerunt, qui terrâ marique vastatis, prædisque artificio conditis, naturam expulerunt. Seneca Epist. 95.

Et hoc voluptatem vocant? Certè insignem eius vanitatem agnoscamus necesse est, quando de ipsâ nominis possessione meritò controuersiam fieri videmus. Quod multò etiam redditur manifestius, si, quæ præcedenti Sectione dicta sunt, in memoriam reuocemus, & non minùs adolescentiam, quàm voluptatem, fatali illâ tubâ ad supremi Iudicis tribunal citemus.

Nam, vt omittam, adolescentiæ incrementa vitæ esse decrementa, quænam est illa tam proterua tamque contumax adolescentia, quæ peremptorio mortis decreto à supremo Iudice citata, nomen suum audeat tueri? Quid enim ad senectutem interest, vnius, an decem, an centum annorum vitâ finiatur, postquam mortis necessitate decretâ, ad extremum vitæ marginem peruentum est? Certè si nulla datur in hac citatione tergiuersatio, omnes æquè maturi mortique vicini sumus. *Adolescentia mortis nuntio à Deo citata adolescentia non est.*

Fruſtrà igitur ſibi Dives ille Euangelicus blanditus eſt, longamque pertexuit annorum ſeriem, cùm dixit: Luc 12,19 *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare.* Fruſtrà, inquam, ſibi blanditus eſt, dum audiit citatoriam illam vocem: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Sueton. in Tiber. c. 27 Fruſtrà Druſus, Tiberij Claudij filius, Iuuentutis Princeps nominabatur, dum pyro per luſum in ſublime iactato, & hiatu oris excepto, ſtrangulatus eſt, & ampliſſimam Romani Imperij ſpem in herbâ ſuffocauit. Et ne ſingula perſequar, conſtat ex tabulis publicis, plures omnino infra quàm ſupra mediæ ætatis florem demeti. Quis eſt igitur iſte flos ætatis, quo ſe tam inſolenter iactat adoleſcentia? aut quorſum ſenectus aut in voto nobis eſt, aut in metu, ſi ad nutum ſupremi Iudicis omnis hora ſenectutem nobis repræſentat?

Voluptas vana eſt, cùm à Deo iudice citamur.

Nec minor voluptatis, imò multò maior apparet vanitas, poſtquam ad horrendum illud tribunal ventum fuerit. Quære ex Balthaſare, quis illi guſtus ſenſuſque fuerit conuiuij, poſtquam hanc imminentis exitij ſententiam intellexit: Dan. 5,25. MANE, *numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud:* THECEL, *appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens:* PHARES, *diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Quære ex Iſraëlitis, quæ voluptas fuerit carnium, in ſolitudine importunis querelis extortarum, quam tot millium nece Pſal. 77,30 luerunt. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos*, ait Propheta.

Libido vana eſt, ſi flammas Sodomiticas, imò & aternasi nueamur.

Et quoniam de veneréâ voluptate potiſſimùm agit Eccleſiaſtes, cùm ait, *Amoue malitiam à carne tuâ*; quære à Pentapolitanis, poſſitne voluptas illa nuncupari, quæ totius regionis excidium, & Gomorrhæas illas expiatrices

ces flammas peperit. Sed multò clariùs vanitas huius voluptatis eluceſcet, ſi ad æternas flammas mentis oculos conuerterimus, quibus illæ Sodomiticæ præluſerunt. Sunt enim qui aſſerant, eorum pleroſque ne tanti quidem ſupplicij acerbitate ad pœnitentiam conuerſos, æterna inferorum ſupplicia in illis ſuis ignibus exorſos fuiſſe.

Plures eiuſmodi poſſem in medium proferre, qui hac ætate in ipſo adulterij complexu trucidati, ad ſeueriſſimum illud tribunal abrepti ſunt, aut qui, deſerto Religioſo inſtituto, poſtquam ſe diu omnium libidinum cœno conſpurcaſſent, in ipſo lupanari infelicem ſpiritum exhalarunt, haud dubium, quin illo ſupremæ ſententiæ fulmine percuſſi: *Quantum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apoc. 18,7

Et hæc voluptas vocatur? nec adhuc eius vanitas repudiatur? *Filij hominum, vſquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Pſal. 4,3. Quid vos inani, imò perniciosâ voluptate ingurgitatis? *Poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum adfert mortem?* Iob 6,6. *Improborũ ſupplicia cautos nos reddere debent.* Phædrus lib. 5. Sanè plus prudentiæ Phædrus in fabulis aſino adſcribit, cùm ait:

Quidam immolaſſet verrem cùm ſancto Herculi,
Cui pro ſalute votum debebat ſuâ,
Aſello iuſſit relliquias poni hordei.
Quas aſpernatus ille, ſic locutus eſt:
Tuum libenter prorſus appeterem cibum,
Niſi qui nutritus illo eſt, iugulatus foret.

Nos autem quo animo erimus, qui tot hominum millibus fatales fuiſſe nouimus voluptates? Videmus non rarò funeſtos eorum exitus, qui ſe totos voluptati conſecrarant, magisque tragicos nobis antiquitatis monimenta ſuppeditant: nónne æquum eſt, vt alieno tandem malo

lo cautiores euadamus, & exemplo ſapientiores? Occur-
Pſal 57,11 rat animis noſtris illud Pſalmographi : *Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine pec-*
Auguſt. ib. *catoris*. id eſt, vt exponit D. Auguſtiuus, animaduerſis impiorum ſuppliciis errata corriget, & omnes vitæ ſuæ actiones ad virtutem honeſtatemque reformabit. Nihil
Proſper de Vitâ contemplat. lib. 3. c. 11. enim, ait D. Proſper, ſic nos ab omni peccato ſeruat immunes, vt amor Dei, & timor ſupplicij. Ad pœnam ergo quæ peccanti debetur, mens, antequam peccet, adſpiciat; cruciatus ac dolores, qui ſolent ſequi peccantem, carnalibus incentiuis opponat; & nihil eam peccati oblectabit, nec ad peccandum vlla delectatio corporalis inclinabit. Hæc ille de voluptate.

Sed aliud præterea documentum è vanitate iuuentutis elicit Eccleſiaſtes initio Capitis ſequentis : vt, quoniam inſtar roſæ alicuius aut lilij momento defloreſcit, eam diuinis obſequiis conſecremus, priùs quàm nobis elabatur, & pigra ſenectus ſtudioſis actionibus inepta nos occupet.

SPECVLI VANITATIS ECCLESIASTAE

CAPVT DVODECIMVM.

SECTIO PRIMA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 1. Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat dies afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent:

2. antequam tenebrescat Sol, & lumen, & Luna, & stellæ, & reuertantur nubes post pluuiam:

3. quando commouebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina:

4. & claudent ostia in plateâ, in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis.

5. Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in viâ, florebit amygdalus, impinguabitur locu-

ſta, & diſſipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in plateâ plangentes.

6. Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria ſuper fontem, & confringatur rota ſuper ciſternam,

7. & reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

METRICA PARAPHRASIS.

QVOVSQVE *præbes turba mortalis fidem*
Opinionum ſomniis,
Quæ te caducis ſopiunt blando ſinu
Indormientem gaudiis,
Crepundiisque næniisque detinent,
Mouentque cunas fabulis?
Deterge ſomni palpebris ludibria,
Cæloque tende lumina.
En vt pyropis fulua ſplendent atria:
En aurei excubias poli.
Hac regnat arce præpotens mundi ſator,
Et corporis tui artifex,
Auctorque vitæ, cuius ad nutum trahis
Vitalis auræ ſpiritum:
Vitæ necisque calculos vrnâ mouens
Æternitatis arbiter.
Huius memento numen ingenuo metu
Pioque cultu proſequi,

Dum

Dum vernat ætas floridas rosis genas,
Frontemque pingens liliis;
Dum pectus implet igneæ mentis vigor,
Et corda in affectus calent,
Mundo propinas limpidum vitæ merum,
Deoque fæces destinas?
Vitæ recurset potiùs ad fontem tenor,
Et viue, quo viuis, Deo.
Illi probanda vita, quem fata horridæ
Datura mortis arbitrum.
Has mente curas nulla non verset dies,
Has nocte ruminet sopor:
Nedum propinquo truditur dies die,
Horæque præcipites ruunt,
Vitiis litantem nubilum vitæ opprimat,
Et marcidi senio dies,
Canisque spargant non recessuras niues,
Frontemque sulcis asperent,
Baculoque gressus tremula fulciat manus,
Vitæque dicas: Non places.
Hæc tu, sagaci peruigil curâ excubans,
Ab arce mentis prospice,
Cum fratre tenebris antequam obnubat caput
Regina noctis Cynthia;
Oculique mendax credat obtusi vitrum
Obnubilari sidera:
Et lippienti quamlibet stillent aquæ,
Semper supersint nubila.
Cùm iam senilis capitis excubiæ trement,
Et collabascent poplites:
Rari molares laxa per præsepia
Cùm pigra ducent otia, &

Caligo læsa fascinabit lumina,
Neruis negato spiritu:
Cùm sensus omnis indigus sensus foris
Clauso stupebit ostio:
Edentulus vix extimas leui senex
Perstringet aures murmure:
Tenuesque somnos rauca vox auis auferet,
Cristata quæ lucem refert:
Auresque pridem melleis pastæ sonis,
Nil musicum surdæ audient.
Si fors senili sessus in cliuum gradu
Baculo iuuante repserit,
Velut ex Olympi vertice, aut Pindi iugis
Lapsuro inhorrescet pede.
Sed & viarum plana oberrans compita,
Per plana cespitans ruet.
Tum barba flore præcoce incanam dabit
Pubente vere amygdalum;
Et qui locustæ iuuenis in morem pede
Per prata lasciuo salit,
Vix tarda femorum flectet internodia,
Hydrope distendens cutem.
Nec prurientes ampliùs scalpet fibras
Libidinosa capparis.
Æternitatis namque pulsabit fores
In busta procumbens miser,
Per lacera passis ora nequidquam comis
Geminante lessos præficâ.
Hæc voluat animus, antè cluſa vertebris
Quàm se medulla contrahat,
Argenteusque diffluat dorso liquor,
Qui glutino costas ligat,

Cere-

Cerebríque vittam contrahens mater pia
Humore deſtituat pilos;
Et qui iocinoris hauriunt fontem, hydriæ
Renum terantur calculi;
Succíque, trochlea capitis, è cordis nihil
Arente ciſterna trahat;
Donec caduci corporis ſpolium Rheæ
Libitina componat ſinu,
Terræque terra cedat, & fœnus ſuo
Redhoſtiat cineri cinis,
Animusque, diæ conſcium lucis iubar,
Cælique non dubium genus,
Ante ora ſummi Patris exactam redux
Ad calculos vitam vocet.
O! priua felix vrna quem peragit reum,
Hunc calculo abſoluet polus.

PROSA EXEGESIS.

EST hoc diuini Oratoris, qualis eſt Eccleſiaſtes, ſolidum è rebus etiam vanis fructum elicere. Hinc poſtquam naturam iuuentutis atque adoleſcentiæ Capite præcedenti nobis ante oculos conſtituit, docens, eam prorſus eſſe fluxam, & inſtar floris euanidam; nunc hoc ſaltem in eâ docet obſeruandum, quòd floreat; & hunc ipſum florem, antequam marceſcat, carpendum, Deoque conſecrandum. Nam ſiue in otio ſtertimus, ſiue negotiis exercemur, ſiue rebus friuolis ſiue ſeriis animum adiicimus, ——*fugit irreparabile tempus.* Niſi properamus, relinquimur. Agit nos, agiturque velox dies, nec vmquam ſine floris ac vigoris noſtri ſpolio diſcedit. Et quod magis attendendum,

Vita Deo conſecrandâ dum floret.

Optima quæque dies miſeris mortalibus æui Virgil. li. 4. Georgicôn.

Optimi vitæ dies primi dilabuntur. Senec. Epist. 108.

Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & diræ rapit inclementia mortis.

Quæ verba Poëtæ expendens Seneca, Quid ergo cessamus, inquit, nos ipsi concitare, vt velocitatem rapidissimæ rei possimus æquare? Meliora præteruolant, deteriora succedunt. Quemadmodum ex amphorâ primùm quod est sinceriſſimum effluit, grauiſſimum quodque turbidumque subsidit; sic in ætate nostrâ, quod optimum in primo est. Id verò exhauriri in aliis potiùs patimur, vt nobis fæcem ac Deo reseruemus. Inhæreat istud animo, & tamquam missum oraculo placeat:

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit.——

Quare iuuentutis tempus optimum. Quare optima? quia iuuenes possumus discere, possumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora conuertere: quia hoc tempus idoneum agitandis per studia ingeniis, & exercendis per opera corporibus.

Iuuentute benè vtendum. Itaque primus quisque tamquam optimus dies placeat, & redigatur in nostrum. Quâ verò potissimùm ratione? Ecclesiasten audiamus. *Memento*, inquit, *Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent.* Nulla ratio potior diem cum fructu transigendi, & in nostrum propriumque redigendi, quàm si pietati ac Religioni impendatur.

Dei memoria facilis. Sed illud fortasse non-nemo mirabitur, quòd nos, vt Dei memores simus, exhortetur. Nam quî possumus Dei non meminisse? Quis magnopere stimulis aut cohortatione indiget, vt sui suorumque commodorum meminerit? Id enim satis persuadet tum amoris proprij suauitas, tum ratio commodorum. Quid autem suauius, quid fructuosius, quàm Dei meminisse? imò quid æquius, & quid facilius?

Primò,

Primò, quemadmodum piſces aquæ, aut aues aëri, ita nos Deo ſumus immerſi. Quod enim de aëre dixerunt veteres

——————*Iouis omnia plena*; Virgilius Eclogâ 3.

& rurſus,

Iuppiter eſt quodcumque vides, quocumque moueris; Lucan. l. 9.

veriùs de Deo pronuntiauit Apoſtolus: *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrùm. in ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus.* Actor. 17, 27.

Deinde, quî fieri poteſt, vt ille memoriâ excidat, qui nos teneriore affectu, quàm ipſi nos, complectitur? Certè ne id vmquam contingat, ita ſponſum in Canticis interpellat ſponſa: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio.* *Turpe eſt hominem Dei obliuiſci.* Cantic. 8, 6

Denique, quis eius à ſe memoriam poteſt repudiare, ſub quo iudice dictorum omnium factorumque ſibi nouerit reddendam eſſe rationem? Et tamen his tot tantiſque rebus non ſatis cautum eſt, quò minùs incredibilis ſit apud homines diuinæ Maieſtatis obliuio.

Parum efficacem eſſe ad hanc memoriam conſeruandam, Dei immenſitatem intimamque præſentiam, deplorat Auguſtinus. Quàm excelſus es Domine, inquit, in excelſis, & quàm profundus in profundis! nuſquam recedis à nobis, & tamen vix redimus ad te. *Nihilominùs multa paſſim Dei obliuio.* Auguſt. libris Conf.

Sed neque amore ſuo ſe plus proficere, apud Ieremiam Deus ipſe lamentatur: *Numquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus verò meus oblitus eſt mei diebus innumeris.* Ierem. 2, 32.

Denique, ne timorem quidem extremi iudicij tantum apud nos poſſe, miratur Moyſes, vt Dei memores, prouidè ac circumſpectè viuamus. *Gens abſque conſilio eſt,* Deuter. 32, 28.

est, & sine prudentiâ. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent!

Sed quoniam frustranea sunt hæc piorum vota, hoc improbis otiosis, suæque salutis incuriosis, plerumque contingit (quod suprà ex Augustino dixisse memini) vt morientes obliuiscantur sui, qui, dum viuerent, obliti sunt Dei. vt non immeritò vnicuique hoc inculcet Ecclesiastes: *Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent.* Nunc Deo tibique viue: nunc sanioris vitæ consilia ordire: nunc opera pœnitentiæ amplectere: nunc Dei fauorem sanctioris vitæ meritis tibi concilia, nec dimitte quod in manibus est; nec futurum incertumque esse malis, quod certum præsensq; potes occupare.

Deus colendus, dum vita floret.

Maxima vitæ iactura dilatio est, ait Seneca. Illa primum quemque diem extrahit, & eripit præsentia, dum vlteriora promittit. Maximum viuendi impedimentum est expectatio, quæ pendet ex crastino. Perdis hodiernum; & quod in manu fortunæ est, disponis; quod in tuâ, dimittis. Quò spectas? quò te extendis? Omnia quæ ventura sunt, in incerto iacent. Quid differs te Deo dignum fingere, & fruendæ beatitati, ad quam conditus es, aptare? Quid differs te peccatorum laqueis per pœnitentiam extricare? quid differs æternitati viaticum parare? Qui in tantâ temporum fugâ rebus ludicris detinetur, nec verum sanctioris vitæ desiderium habere conuincitur, nec solidam spem futuræ beatitatis. Præclarè in Epistolâ quadam D. Anselmus, Qui differt, inquit, in futuram, & forsitan non futuram ætatem, vitam corrigere, certum bonum dimittit pro dubio, & contemnendo quod perdit, probat se non amare quod expectat, & meretur non accipere.

Seneca de Breuitate vitæ, c. 9. *Maxima vitæ iactura procrastinatio.*

Anselmus Epist. 1.

Et

Et verò plerumque contingit, vt peccatis aut voluptatibus indormientem aut mors occupet, aut senectus, quorum vtrumlibet periculosum est. Nullum vitæ diem stabili possessione tibi vindicas: vides indies cruda & immatura duci funera; quod cuiuis homini contingere potest, & tibi potest. Forsan hac nocte ad supremi Iudicis tribunal euocandus es: huius nec scientiam latere, nec sententiam declinare, nec potestatem subterfugere poteris; & securus Dei tuique degis?

Interim mors aut senectus aliud agentes occupat.

At, inquies, infinita Dei bonitas est; itaque accepto mortis nuntio, morbo inquam tentatus, præteritæ vitæ noxas gemitibus abstergam, totoque amoris affectu in Deum ferar. Esto sanè, tantumdem tibi spatij indulgeatur, vt Dei tuique memineris; an poteris tam breui temporis spatio totius vitæ peccata seriò deplorare? & qui vix spirabis, tam altùm suspirare poteris, vt præteritorum scelerum memoriam aboleas? An repentè diaboli te laqueis extricabis, quibus totâ vitâ teipsum implicueris, vt tum demum à cacodæmone deficias, Christoque militare incipias, cùm de prœlio erit exeundum? An putas arborem, quæ nec flores vnquam nec fructus protulit, tunc in flores ac fructus erupturam, cùm securi exscinditur, vt in ignem mittatur? Quid ergo te futurum est, cùm mors libratam iam tenebit securim, cùm sub ictu trepidabis, teque in æternum exitium iam iamque mittendum, pertimescès? Tametsi tunc gemitus ac lamenta congeminaueris, quis tamen certam tibi salutem spondebit?

Morbi tempus, indoneum pœnitentiæ.

Vide Claudium Viexmont, Instit. ad pœnit. Parte 1. c. 2.

Si quis, inquit Augustinus, positus in vltimâ necessitate ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quòd bene

August. citat. De pœnitentiâ, dist. 7.

Sera pœnitentia rarò vera & secura.

benè hinc exit. Si ſecurus exierit, ego neſcio: pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem autem dare non poſſumus. Numquid dico damnabitur? Sed non dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari, age pœnitentiam dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi quòd ſecurus es, quia pœnitentiam egiſti eo tempore quo peccare potuiſti. Si autem vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Hæc Auguſtinus.

Malè in ſenectutem vſq; differtur vitæ emendatio.

Cuius verba in hoc ſuffragantur Eccleſiaſtæ, quòd tametſi nulla præmatura mortis ingruat neceſſitas, ſed in vltimam vſque ſenectutem vita producatur, malè tamen vitiorum abdicatio, & melioris vitæ conſilia in vltimam vſque ſenectutem differantur. Iniquum eſt enim, ætate florenti ac vegetâ peccata peccatis addere, ac *talentum* illud *plumbi* quotidianis acceſſionibus in infinitum augere, eiſque proportione quadam correſpondens onus pœnitentiæ ætatum omnium debiliſſimæ ſenectutis humeris imponere.

Zach. 5. 7.

Senectus multa trahit incommoda.

Quis enim ignorat, in ſenectutem, tamquam vitæ ſentinam, miſeriarum omnium colluuionem fæceſque confluere? Notiſſimus eſt Medicis hic Hippocratis aphoriſmus: Senibus ſpirandi difficultas, diſtillationes cum tuſſi, ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, cachexia, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum & aurium humiditates, viſus obtuſior glaucomate, auditus hebetior.

Hippocrates lib. 3. Aphoriſm. 31.

Plato in Axiocho.

Nec minùs liberalis eſt Plato in contexendo ſenectutis encomio. In quam, inquit, quidquid in naturâ ruinoſum eſt & interitui obnoxium, ſe confertim effundit atque irrumpit; & ita quidem, nullis vt reme-

remediis hæc imbecillitas possit auerti. Quòd si quis tardiùs naturæ debitum reddiderit, instat illa tamquam importuna fœneratrix, & ab aliis visum, ab aliis auditum, sæpenumerò vtrumque tamquam pignus exigit. Pluraque differit in eamdem sententiam, quibus recensendis idcircò libentiùs supersedeo, quòd ea satis copiosè noster enumerat Ecclesiastes.

Iniquum est, mundo vinum ætatis nostræ Deo faces propinare.

Hoc tantùm inculco, iniquum esse, cùm in vitâ, quidquid purum ac liquidum est, vitiis impenderis, fæces tantùm tibi reseruare ac Deo; & cùm florentis ætatis culmos, & segetes ac fructum denique vniuersum voluptati messueris, vix tandem senectutem, quam humanæ vitæ stipulam antiqui dixerunt, pietati consecrare. Non te pudet, inquit Seneca, ad reliquias vitæ te tibi reseruare? & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quàm serum est, tunc viuere incipere, cùm desinendum est? Quæ tam stulta mortalitatis obliuio, in quinquagesimum & sexagesimum annum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare, quò pauci perduxerunt?

Seneca de Breuitate vitæ, c. 4.

Sed finis sit. Postquam enim rerum humanarum varietatem & inconstantiam ad mortis extremique iudicij terminum, & horum prænuntiam senectutem perduxi, & ad hunc velut Lydium lapidem eorum omnium, quæ mundus amat & amplectitur, vanitatem exploraui; nihil reliqui mihi factum video, nisi vt cum Ecclesiaste sic epiphonizem:

SECTIO SECVNDA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 8. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.

METRICA PARAPHRASIS.

DVM post risus, lepidosque iocos,
Vitæque hilaris dulce theatrum,
Nuntia fati tarda senectus,
Tumulique animo pulvis obrrat,
Ac tota ferit Libitina oculos;
Nil moror vltrà, quin exclamem:
Hei mihi! quantum in rebus inane est!
Nam dum visu per cuncta feror
Quæ deliras suspicit orbis,
Vanum est quidquid lumina pascit.
Vana iuuentus dum se mediam
Dulcibus annis Atropos infert.
Vana est rosei purpura vultus,
Et frontis ebur: quæ cùm rugis
Inarata genas carpserit ætas,
Quidquid spoliis æui superat,
Auidis cedit vermibus esca.
Vana voluptas, quæ morborum
Stipata manu Rhadamantæam
Ducit ad vrnam. Vana repostis
Annosa cadis dona Lyæi.
Quid enim refert, Nereine vadis,
Bromiive cadis mersus pereas?

Vani-

Vanique ioci Cytherea tui,
Dum ſæua manu tela coruſcans,
Mors in medios ruit amplexus,
Thalamique facem in buſta ſupinat.
Vanæ tot opes, quas locupletis
Arca flagellat: ſi neque naulum
Tribuunt vmbris, Dominique breuem
Non comitantur pulueris vrnam.
Et vanus honor, vanaque ſceptra,
Quibus exæquant fata ligones,
Dum par cineres deprimit horror.
Vanaque fama eſt, quæ dum tumulo
Caput exertat, victa tenebris
Spolium reſtat labilis æui.
Vanumque ſophos quod ſapienti
Stulta applaudens turba ingeminat:
Dum nocturnæ redolens fumum
Cura lucernæ vitam exſanguem,
Penitasque vorat tabe medullas.
Quocumque igitur lumina flecto,
Quocumque ægro corde volutor,
Nil quod ſatiet ſuggerit orbis.
Hei mihi, quantum in rebus inane eſt!

PROSA EXEGESIS.

HOC epiphonemate ſpem nobis omnem præcidit Eccleſiaſtes, aliud quàm vanitatem in rebus humanis conſequendi: quod poſtquam ex ipsâ rerum naturâ toto hoc Tractatu oſtendit, tum vel maximè poſtremis aliquot Sectionibus, ex ineuitabili mortis extremique iudicij neceſſitate conuincit.

Et quoniam hæc hominem potiſſimùm concernunt,

Homo est vanitatum vanitas.

caque inprimis, quibus iam nunc ænigmaticè senectutem descripsit; videri non immeritò cuiquam potest per vanitatem vanitatum sugillare ipsum hominem voluisse, quo nihil est in rerum naturâ magis vanum.

Maximè quoad corpus. Ad Marciam, c. 11.

Quid enim est homo? ait Seneca: quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile. iactatu, non tempestate magnâ, vt dissipetur, est opus. vbicumque arietauerit, soluetur. Quid est homo? imbecillum corpus & fragile, nudum, suapte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, variis cæli iniuriis, elementorum, meteororum, locorum temporumque obnoxium. Sed hæc corporis sunt propria.

Etiã quoad animam.

An fortasse maior est animæ nobilitas, vigorque sensuum? certè nullum est sensus organum, quod non suâ quadam propriaque laboret vanitate. Visus caligine offunditur, auditûs tympanum humoribus obstructum surdescit, odoratus fœtore, gustus amaritudine, tactus doloribus infestatur. Quid rationem commemorem, quæ principem in homine dignitatem obtinet? Heu quàm densis illa vanitatum nubibus obsidetur! Ecce tibi impenetrabilem errorum caliginem, opinionum fallaciam, consiliorum incertitudinem, studiorum mutabilitatem, & nescio quorum non malorum Iliadem. Nihil enim opus est inhærere singulis, cùm certissimam Prophetæ vocem teneamus: *Vniuersa vanitas, omnis homo viuens.* Psal. 38, 6.

Quæ omnia veriora certioraque deprehenduntur, cùm pulchrum illum microcosmum sensim sine sensu adrepens senectus occultis cuniculis subruit, ac mors tandem in cinerem ac fauillam conuertit. Et hæc quidem de homine.

Sed

Sed multò latiùs patere existimo illa Sapientis verba, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, & ad omnia se extendere, quæ in vitâ mortalibus occurrunt. Quid autem in hoc exilio nostro non plenum vanitatis plenumque periculi? Vnicum audite testem Magnum Leonem. Plena, inquit ille, sunt omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Idemque alibi: Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis: illæ eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas, dum & illa materia est negligentiæ, & hæc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore: nec interest vtrùm animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis; cùm par morbus sit, vel sub vanâ delectatione gaudere, vel sub anxiâ sollicitudine laborare.

In mundo omnia plena vanitatis & periculi.

Leo Ser. 5. Quadrag.

Idē Ser. 11. Quadrag.

Quis vmquam credidisset, nisi tantis testimoniis conuictus, ac diuinâ luce collustratus, tot spinas, tot fæces, tot miserias, tot tragœdias in hoc mundo sub falsis nominibus bonorum & voluptatum delitescere? vt nunc fumos, vmbras, fucos, bonorumque omnium inanitatem præteream. Etenim rogo vos, si (quod ambiunt voluptatis asseclæ) omni vitâ spectaculis & varietate obiectorum pasceretis oculos, num oculi vestri pinguescerent? Si mentem cupiditatibus, essetne ditior? Si aures rumoribus, essentne pleniores? Si carnem dapibus, num fieret immortalis? Hæ tenebræ sunt eorum, qui abducti vanitatibus, nesciunt quid sit beatè viuere. Putant enim, cùm sperant & expectant grandia, se multum profecisse; neque tamen centesimus quisque, quod som-

Campian. Epist. 6. *Obiecta sensuum & cupiditatū hic non satiant.*

somniauit, assequitur: tum postquam subduxit rationes, & curarum sarcinam, euentus lubricos, fœdissimam seruitutem, timores, insidias, cruces, fastidia, rixas, nequitias numerauit (quæ vnà semper habitant; semperque diuexant amatores mundi) sine dubio inueniet seipsum turpissimum atque egentissimum esse mancipium.

Mors & iudicium extremum humana omnia vanitatis condemnant.

Sed hæc omnia cùm satis prolixè toto Libro tractata sint, hoc vnum restat, huiusque loci proprium est, vt rerum omnium vanitatem è duobus potissimè Capitibus proximè tractatis eliciam, morte scilicet & extremo iudicio. Quemadmodum enim in scenâ, obductâ cortinâ, totus ille theatri splendor euanescit, & ad mendicabula Reges Principesque personati reuertuntur; ita postquam huius vitæ cortinam mors obduxerit, omnis illa falsorum bonorum species, & mortalitatis huius fucus extinguitur. Et quemadmodum emicante fulmine nocturnæ tenebræ momento dissipantur, ita fulminatrix illa Iudicis sententia, *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, adumbratam huius vitæ felicitatem vanam, mendacem, adeoque nullam fuisse demonstrabit.

Matth. 25.

Diuitiarũ in morte vanitas.

O qui stupor, quæ consternatio futura est, cùm ij, quibus ad nutum omnia circumfluebant, se nudos, omnique solatio destitutos inuenient? cùm apex ille superbiæ redactus erit ad cineres & fauillas? cùm dormient somnum suum omnes viri diuitiarum, & nihil inuenient in manibus suis?

Psal. 75, 6.

Quid olim Seiano profuit diuinitatis affectatio, quid aræ, quid sacrificuli, quid victimæ, cùm Tiberij iussu vnco per plateas à carnifice tractus est? Quid Antiocho deliciæ profuerunt, cùm illud tantis deliciis enutritum corpus quasi viuum cadauer animam fœtore ac putre-

Sueton. in Tiberio.

putredine suffocauit? Quàm vana fuit in Crasso illa tam insatiabilis auri cupiditas, cùm per ludibrium abscisso capiti aurum liquefactum in os infusum est?

Quid Priamum, humanæ felicitatis exemplar, Regiæque fortunæ ac maiestatis typum, in medium producam, illum inquam *Honorij in morte vanitas.*

——— *tot quondam populis terrisque superbum*
Regnatorem Asiæ? Jacet ingens littore truncus,
Auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus. Virg. lib. 2. Aeneidos.

De pulchritudine quid dicam? Quanta sit eius in morte vanitas, documento nobis esse poterit infamis illa Iesabel, cui ex tam pulchro corpore vix tantum residui canes fecerunt, quod agnitioni ac stupori sufficeret, & huic epiphonemati, *Hæccine est illa Iesabel?* *Pulchritudinis in morte vanitas.* 4. Reg. 9.

Denique quid hominum plausus & adulantium encomia Herodi profuerunt, quibus ille quasi ferentibus quibusdam ventis in superbiam ac diuinitatis affectationem prouectus, Deo seuerè vindicante, à vermibus corrosus interijt? *Superbia in morte vanitas.* Actor. 12.

Ex quibus omnibus manifestè colligitur, quidquid in vitâ iucundum est, splendidum, magnificum, id omne vanum ac friuolum deprehendi, simul ac ad Lydium mortis lapidem fuerit exploratum.

Nec minùs hæc ipsa vanitas, ad supremi Iudicis adducta tribunal, deprehenditur, in quo contraria mundi principiis habentur axiomata. Plerique mortalium felices eos arbitrantur, qui dignitate ceteris ac potestate præcellunt. Sed quàm vana sit ista felicitas, diuino hoc oracluo docemur: *Potentes potenter tormenta patientur.* *Vanitas rerum humanarum in extremo iudicio. Honorij.* Sap. 6, 7.

Alij beatos existimant, quos fortuna diuitiis cumulauit: sed quàm diuersa sint ab hac opinione Dei iudicia, testatur Apostolus Iacobus: *Agite nunc diuites, plorate* *Diuitiarũ.* Iacob. 5, 1.

vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.

Voluptatum.

Alij delicias & voluptates inter prima bona, & per se expetenda numerant; sed nulla tam iucunda potest esse voluptas, quæ non in fel amarissimum conuertatur, simul ac diuina illa vox auribus insonuerit: *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

Apoc. 18, 7

Cauendum ne vanitas etiam huic Operi obrepat.

Sed iam satis multa de vanitate dicta sunt: hoc vnum restat, vt prospiciam, ne dum cetera mortalium vanitatis insimulo, hæc etiam scriptio eiusdem culpæ rea teneatur. Si enim aliud quàm Dei gloriam quæro, vereor ne humanæ gloriæ fumos auramque popularem captasse conuincar. Et quamuis initio huius Operis hoc mihi propositum fuerit, vt Dei gloriam intuerer: nescio tamen quo pacto in ipso decursu vana gloria bonorum operum deprædatrix subinde se velut itineris comitem adiungit, & instar dissimulati latronis rectam intentionem iugulat. Atque ita contingit, quòd ait diuus Gregorius, vt vnum idemque opus culpa peragat, quod virtus inchoauit. Quemadmodum, vt alibi notat, subinde refectionem corporis, quam salutis causâ suscepimus, causâ voluptatis explemus.

Gregor. l. 9 Mor. c. 13.

Idem l. 35. cap. 16.

Intentio minùs recta facilè actiones nostras inquinat.

Fatendum est igitur, inquit, quod rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnumquam intentio minùs recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem diuinitus de his districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona quæ habere credimur, pura bona esse non pos-

possunt? Igitur quæso, vt quisquis hæc legerit, apud districtum Iudicem solatium mihi suæ orationis impendat, & omne, quod in me sordidum deprehenderit, fletibus diluat. Orationis autem atque expositionis virtute collatâ, Lector meus in compensatione me superat, si, cùm per me verba accipit, pro me lacrymas reddat. Hactenus diuus Gregorius: cuius si affectum induere ac sinceritatem potuero, magnum me operæ pretium feciſſe existimabo. Hoc igitur in votis habens, & vnicam in hoc Opere spectans Dei gloriam, cum Ecclesiaste vasa colligam, qui sub alienâ personâ ita de se concludit.

SECTIO TERTIA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 9. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas.

10. Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

METRICA PARAPHRASIS.

IAMQVE opus exegi, quod nec Libitina sepulchro,
Nec potis est tenebris condere sera dies.
Sidera dum Titan alternâ lampade pellet,
Voluetur nostrâ pagina ducta manu.
Diuinum est quod dextra dedit, quod lingua profudit:
Largior vt Sophiæ proluit ora latex.
Expandi quondam, fateor, vaga vela per orbem,
Quò vis ingenij, quò rapiebat amor.

Ingens ardor erat, mundi transſcendere metas,
Abditaque, & vulgo non adeunda ſequi.
Tunc mundi facies aut vna, aut nulla, chaosque
Aut nihil, aut nihilo par, mihi carmen erat.
Sed rapuere vagam citiùs vaga ſidera mentem,
Detinuitque animum pondere notus Atlas.
Redditus hinc terræ, formoſa ediſſero terræ:
Hæc dedit ingenio quas memoraret opes.
Quotque parit fœtus Zephyro fœcunda marito,
Semina tot ſtudiis contulit alma meis.
Eloquio colui quidquid fouet ambitus Hyblæ:
Quidquid alit medico gramine fœtus Eryx.
Spectabam Libani frondoſa cacumina, cedros?
Frondea viſa fuit carmine digna domus.
Nec minùs ornaui ſalices, humilesque myricas,
Vilius aut ſi quod rudera germen habent.
Hinc mores hominum, legesque, & mœnia dixi:
Mœnia Pieriis ædificata modis.
O labor infelix! ô magnum in rebus inane!
Quis ſcit an hos fœtus charta fouebit anus?
Forſitan aut tumulis hæc poſtuma ſæcla recondent,
Aut ludus Boreæ pignora mentis erunt.
Sed quid parua queror curis grauioribus æger:
Templa ruent; breuis eſt alea quanta liber?
Eduxi inſanas, auguſta palatia, moles,
Conſcia ſub quorum pondere terra gemit:
Hæc tamen in tenues ibunt reſoluta fauillas,
Et quæ terra nequit, ventus & aura ferent.
Sed nunc maiori mens enthea Numine chartis
Quæ dedit, ætatem, ſeraque ſæcla ferent,
Myſticaque, & Gnomæ, & Sponſi cæleſtis Amores,
Vanaque quod vitæ ſomnia damnat Opus:

Hoc

Hoc maius satis obliuia proteret æui,
Reddet & auctori præmia digna suo.
Candida posteritas hederâ mihi nectte capillos,
Atque aliquis sacrum Daphnide cingat opus,
Et dicat: Iubare hoc pepulit qui vana bonorum
Somnia, non vanis floreat ille bonis.

PROSA EXEGESIS.

NON inuiti hanc tibi coronam teximus, Vir sapientissime, nomenque tuum æternæ posteritatis memoriæ consecrandum, faustis ominibus votisque prosequimur. Etenim si in theatris ludisque scenicis tragœdi re benè gestâ, ac personâ scitè repræsentatâ, ab exhibitore coronantur, ipse verò exhibitor à præcone seu curione laudem & coronam accipit; æquissimum est te, postquam huius vitæ mimum, totamque vanitatis pompam in scenam produxisti, & suas cuique partes ex decoro assignasti, non tantùm exhibitoris, sed actorum omnium vicem coronari.

Fausta vota Salomoni.

Macte igitur hac sapientiâ tuâ, Vir maxime, & celeberrimis diuini ingenij tui monimentis vitam in omnem posteritatem ac memoriam sæculorum omnium proroga. Non capit tantum decus illud tuum, quamuis augustissimum, paterni sepulchri Mausolæum, ac ne orbis quidem vniuersus, omniumque ætatum ingenia dignum esse possunt diuinæ tuæ sapientiæ sacrarium. E cælo nimirum illa profecta est, & cælo debetur. Ibi in omnem æternitatem eam recoles, propiusque ad fontem æternæ lucis admotus, infiniti luminis accessione perficies. Ibi velut in altâ quadam speculâ constitutus, cùm cælum terramque perlustraueris, amœnissimo illo beatitatis domicilio delectatus, sublunaris huius pompæ fu-

mos, terræ fæces, & bonorum ſimulacra veriùs, quàm bona, deſpicies; riſumque, vt ſoles, erroris ac ſtultitiæ condemnans, in contemplatione illius infinitæ pulchritudinis, & amore ac fruitione ſummi boni ſolidum gaudebis gaudium; vnumque Deum amplexus, ac cetera aſpernatus, illud parentis vſurpabis: *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pſal. 72, 25 Ita voueo, ita confido, ita factum eſſe nihil ambigo.

Eccleſiaſtes nominis immortalitatem meretur.

Quid autem dubitem Eccleſiaſtæ noſtro duplicem hanc lauream tranſcribere, æternam ſcilicet nominis ſui commemorationem in terris, & longè ſolidiorem gloriam in cælis? Si enim Poëtæ leue quiddam ſonantes, ne dicam futile, audent illis, quibus adulantur, nominis immortalitatem polliceri; ſi tam aſſeueranter affirmat ille,

Virg. lib. 9. Aeneid.

Fortunati ambo! ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies vmquam memori vos eximet æuo,
Dum domus Æneæ Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit;

ſi tantum, inquam, ille ſibi tribuit, cur non potiùs id adſcribemus Eccleſiaſtæ noſtro, qui *quæſiuit verba vtilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos, ac veritate plenos.*

Quæ verba dum accuratiùs expendo, non poſſum eorum ſententiæ accedere, qui ad amplificandam in immenſum ſapientiam Salomonis, & exaggerandum ſcriptorum eius aceruum, Rabbinorum fabulis potiùs quàm ſolidâ auctoritate nixi, & abditæ eruditionis affectatione ducti magis quàm iudicio aut delectu, quidlibet illi affingunt, etiam futile, pernicioſum, dæmoniacum.

Vide Pinedam de Rebus Salomon. l. 3. cap. 29.

Quare omnino falſos ac ſuppoſititios eſſe fœtus exiſtimo libros illos, qui vulgò Salomonis nomine præ-

notan-

notantur, *Incantationes Salomonis*, *Clauicula Salomonis*, *Annulus Salomonis*; qui meritò à fidei censoribus damnati sunt. Eiusdem quoque furfuris videtur apocryphus ille à Gelasio damnatus, cui titulus, *Salomonis contradictio*, & si qui sunt alij magicis incantationibus infames, quos meritò Delrius noster numquam à Salomone conscriptos fuisse contendit. *Salomonis libri suppositiij.* Delrio Disquisition. Magic. lib. 1. c. 3.

Certè nihil opus fuit Ecclesiastæ quisquiliis illis ad nominis ac famæ immortalitatem, cuius in omni genere Scriptorum cum laude fructuque versata est industria. Nam siue multitudinem librorum consideres, post sacram Regum historiam auctor est Iosephus, composuisse illum, quinque millia Odarum & Carminum, Parabolarum autem & Similitudinum tria millia; vt varias eius disputationes numero propemodum infinitas præteream: siue materiam attendas, nullum fermè scriptionis genus, quod ad exercitationem ingenij, aut morum conformationem conduceret, prætermisit. Nam & ipsa loquendi scribendique elementa tradidit (vt alibi pluribus ostendo) & Physicas, Medicas Mathematicasque scientias excoluit. Nec Politicis tantùm Ethicisque præceptis Regnum suum reddidit celeberrimum, sed Theologicis etiam mysticisque scriptis religiosæ pietati incrementum, Ecclesiæ verò splendorem attulit singularem. *Varia scriptio Salomonis.* 3. Reg. 4. Iosephus l. 8. c. 2.

Scio pleraque eius Opera Ezechiâ imperante recensita, &, vt ait Hippolytus apud Anastasium Nicenum, quædam selecta, alia verò neglecta: neque sum nescius, ex iis quæ recensuit Ezechias, plurima temporum iniquitatem nobis inuidisse, sed tamen vel ea sola, quæ diuino testimonio inter sacros codices recepta sunt, tam salutaria vitæ morumq; documenta continent, tam sublimem Anastasius Nicenus qu. 39. in Script.

limem sapientiam, tam reconditas cæleſtis ſponſi ſponſæque delicias, vt abundè ſufficiant ad nomen eius ab interitu vindicandum.

Sed nimirum qui cetera mortalium vanitatis redarguit, ne hanc quidem ſapientię exiſtimationem, & quam politiores litteræ promittunt ſemimortuam nominis immortalitatem vllo in pretio habuit. Pluris illi fuit, ad veram immortalitatem beatamque in cælis æternitatem adſpirare.

Eccleſiaſtes æternam ſalutem videtur conſecutus.

Atqui hoc etiam præmium Eccleſiaſtæ non eſſe negandum cenſemus. Quamuis enim nimis vxorius, nimisque effeminatus, per annos complures omni vitiorum labe contaminatiſſimam vitam duxerit, eum tamen ſalutari pœnitudine præteritæ vitæ noxas eluiſſe, tandemque diuinâ miſeratione ſalutem eſſe conſecutum, conſtans eſt grauiſſimorum Patrum ſententia. Hanc Hieronymus præ ceteris tuetur, hanc Ambroſius amplectitur: in hanc Hilarius, Epiphanius, Cyrillus, alijque conſentiunt.

Vide Pinedam de Rebus Salomon. l. 8. c. 1. Sect. 5.

Varię rationes pro ſaluto Salomonis.

Et verò cùm Phœnix hic librorum Eccleſiaſtes ingraueſcente iam ætate, poſt omnia voluptatum ac vanitatum experimenta in lucem prodierit, cui dubium eſſe poteſt, quin ante mortem ad ſaniorem mentem redierit. Deinde, quî conuenit, eum, quem nobiliſſimum Chriſti typum repræſentare fatetur Eccleſia, ab eo quem refert, in re omnium maximâ tantopere diſſidere? Præterea, cùm Deus ipſe ad exprimenda animi ſui ſenſa os eius & calamum ſibi voluerit inſeruire, quî potuit non totum etiam pectus eius occupaſſe? Denique, quis dicat, ampliſſima illa Dei promiſſa de conſtanti erga filium Dauidis amore, in omnem æternitatem effectu ſuo fruſtrata?

Maneat

Maneat igitur, Virum hunc sapientissimum, atque adeò diuino spiritu afflatum Scriptorem canonicum ad æterna laborum suorum præmia cælo adscriptum: restat vt postquam sapientissimis eius scriptis applausimus, quem fructum in animis nostris eadem parere debeant, audiamus, & in hoc f[illegible]ctu, repudiatâ inexplebili illâ sciendi curiositate, acquiescamus.

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 11. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.

12. His ampliùs fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequensque meditatio, carnis afflictio est.

METRICA PARAPHRASIS.

Si tibi virtus mouet alma curas,
Arrige acclinem sapientis aurem
Vocibus. Nil sic animæ superni
Nectaris mulcet cupidæ palatum,
Virginis non sic populator auræ
Ales Hyblæi pretium laboris
Florei stillat nemoris rapinam,
Fercla Magnatum sapido liquore
Condiens. Non sic hebetes ocellos
Jonathas victor renouauit haustu
Melleæ Solis lacrymæ, expetitum

Lumen vt menti sapientis ægræ
Verba discussis reparant tenebris:
Nec boues tantis resides adurget
Pronus in plagas stimulis arator,
Pectori quantos Sophiæ remisso
Subdit hortatus. Caue ne increpantem
Aure succußâ fugias: inhærent
Spicula imis flexanimæ medullis,
Corda cælesti populantque flammâ,
Igneos dorso veluti Pyrachmon
Orbitæ clauos adigit frequenti
Verbere: aut qualis nemora inter alta
Cressius pastor tigridem sagittâ
Figit incautam; volat illa siluis
Abla Dyctæis, latériquè inhæret
Missile ferrum.
Ac licet multi Sophiam magistri
Cordis instillent penitis medullis;
Profluunt vnâ latices scatebrâ.
Ac velut præses Sophiæ Minerua
Ense diffisso Iouis è cerebro
Fabulis nata est galeata virgo;
Sic ab æternis adytis, sinuque
Numinis promunt documenta vitæ,
Quotquot informes varias per artes
Excolunt mores generis Promethei.
His priùs nil tu potiúsve ducas
Nate, nil vltrà sapere allabores,
Neu vagum scriptis animum fatiges.
Helluo quisquis fuerit librorum,
Æmulos natis Danai labores
Stultus exhaurit, iuga perque montis

Sisyphi saxum sine fine voluit.
Copia escarum stomachum fatigat:
Dumque congestis dapibus laborat,
Vita funesto perit ægra tabo,
Mensque fatiscit.

PROSA EXEGESIS.

Intemperantia studiorum noxia.

MAGNVM procul dubio intemperantis animi vitium est, inter libros helluari: & quemadmodum in comessationibus fieri solet, stultum est pro voluptate nauseam, pro alimento ventris saburram, pro sanitate morbos referre. Fastidientis stomachi est, multa degustare, & per plura Scriptorum genera vagari, quàm possis in succum sanguinemque conuertere. Neque potest prodesse cibus, aut corpori accedere, qui statim sumptus emittitur: quod necessum est illis euenire, qui desultoriâ quadam sciendi curiositate auidiùs omnia quàm constantiùs delibant; neque vllius ingenio se familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt. Deinde nihil solidum esse potest, nihil stabile in diuersa studia distractis. Infinitus est librorum numerus, ait Hugo Victorinus; tu noli sequi infinita: vbi enim finis non est, nec esse quies potest. Rectè etiam Venerabilis Blosius, Lectio, inquit, incerta & erratica spiritum magis dissipat quàm promouet.

Hugo Victorinus l. 5 Erudit. didasc. c. 7.

Blosius Paradis. animæ, p. 1. cap. 16.

Quare idem sub nomine Dacryani Abbatis opportunè monet: Animum ad certam lectionem prudenter constringe, & in eâ immorari consuesce, etiamsi aliquando minùs sapiat. Virorum est, fructu potiùs delectari, quàm gustu; nec acerba etiam aut aeria, dummodò ad salutem conducant, aspernari.

Idem Speculo Monachorum. *Certæ lectioni insistendum, fructusq; quærendus.*

Martialis lib. 7. Epigr. 24.

Infanti melomela dato, fatuasque mariscas;
Nam mihi quæ nouit pungere chia sapit,

ait Poëta.

Stultitia eorum qui voluptatem potiùs quàm fructum in studiis quærunt.

Hoc tamen alterum vitium est nimisquam frequens inter librarios istos helluones, vt omne studium suum ad voluptatem potiùs & oblectationem referant, quàm ad veram virtutem atque sapientiam. Quo fit, vt studiosâ quadam luxuriâ nihil in verbis præter amœnitatem & flosculos, nihil in rebus præter stultam curiositatem nugasque consectentur.

Videas quosdam ætatem terere Græcis fabulis euoluendis, nec vllum iis pabulum esse gratius, quàm si Neptunum inuenerint à Laomedonte mercede fraudatum, Castores alternâ morte vitam alteri instaurantes, Iouem nunc in cygno Ledæ fucum facientem, nunc in cuculo fugæ ignominiam tegentem. Tum verò quantum eruditionis se consecutos existimant, si lectisternium Cereris inuenerint, vt, excussis puluillis, obdormiscat suauiùs; si lauationem Matris Pessinuntiæ, aquæ scilicet & cineris affrictu; si mulieres in Capitolio Iunonem inani gesticulatione comentes, aut alias eius generis quisquilias? Quid quòd nonnulli se supra ceteros sapere existimant, si disputauerint, an primus nauali prælio Duillius vicerit, primúsne Curius Dentatus in triumpho duxerit elephantos, an Thebaïcum epos Statius agone Capitolino commiserit, & in eo succubuerit; Athenæum locúsne fuerit studiis sacer, an Palatini Apollinis templum, ceteraque eiusdem furfuris?

Stultitia eorum qui verbis potiùs quàm rebus attendunt.

Nec in verbis minor studiorum intemperantia, dum nihil fastidiosis illis ingeniis placet, nisi quod exquisitæ Latinitatis fuco oblitum, aut eloquentiæ præstigiis est expolitum. Itaque displicet illis simplex veritatis candor:

dor: in huius temporis Philosophis ac Theologis barbariem, in Asceticis styli neglectum & abiectionem criminantur. Quinetiam sacræ Litteræ propter incomptum dicendi genus ipsis vilescunt; &, quod de seipso quondam Romanis litteris ac Græcis fabulis immerso scribit Augustinus, indignæ videntur quas Tullianæ dignitati comparent. Nimirum ad pompam & splendorem omnia referunt, non ad morum conformationem; ad palati saporem auriumque titillationem, non ad animæ medicinam; ad fumos & vmbras, non ad veritatem. August. l. 3. Confes. c. 5

O stulti! non hæc sunt quibus acquiescendum esse monet Ecclesiastes, sed *verba sapientum* nobis vult esse commendatissima, penitusque cordibus infixa, quæ paulò antè vocauit *sermones rectissimos & veritate plenos*. Hoc est solidum mentis nostræ pabulum, quocumque demum condimento proponatur: hic fructus exquisitissimus, quibuscumque demum frondibus vestiatur: hic nobis curæ debet esse & cordi, de ceteris minùs laborandum. Memento, inquit Blosius, salutem animæ non in eloquentiâ, neque in venustate sermonis sitam esse. Quare Orationis ornatum inter legendum ne intempestiuè requisieris, si absit; neque rursum temerè respueris, si adsit: sed omnia quæ bona & vtilia sunt, siue simplicibus & rudibus verbis, siue cultâ & eleganti dictione enuntientur, cum gratiarum actione excipe. Qui verborum lenocinia potiùs quàm sententiarum fructum spectant, similes prorsus sunt iis, qui aut pro ceruis papiliones venantur, aut pro pomis folia & quisquilias colligunt. Ethnici qui humilitatem Euangelicam ignorant, magnificent & admirentur eloquentiam: Christiani commendent & amplectantur vitæ sanctimoniam. Hactenus vir ille sanctus.

Solida doctrina potiùs quærenda quàm verborum flosculi.

Blos. in Paradiso animæ. p. 1. cap. 16.

Sapientum monita ad virtutem impellunt.

Ad hanc vitæ ſanctimoniam morumque conformationem vehementiſſimè nos impellunt verba ſapientium, ſeu viuâ voce prolata, ſiue ſcripto conſignata. *Verba* enim *ſapientium ſicut ſtimuli*, inquit Eccleſiaſtes, *& quaſi claui in altum defixi*. Quibus verbis non tantùm eorum vis & efficacia in permouendo, ſed pertinax quædam in perurgendo conſtantia deſignatur.

Sapientum verba ſunt efficaces ſtimuli. 2. Eſd. 8, 9.

Et quidem quod ad efficaciam attinet, quantos animorum motus in populo Iudaico fuiſſe concitatos accepimus, cùm Eſdrâ contribulibus ſuis diuinos codices prælegente, magno ſuo mœrore didicerunt, quàm longè à diuinæ legis præſcripto aberraſſent? quantus omnium ardor extitit vitam ſuam ad hanc normam diuinitus ſibi traditam exigendi? Quid Magnum Antonium commemorem? qui vnicâ illâ Chriſti voce, & quidem è ſcripto prolatâ, *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*, ita fuit exſtimulatus, vt è veſtigio rebus humanis nuntium remiſerit, & in vaſtam ſolitudinem ſeſe abdiderit.

Athan. in Vitâ Anto.

Matth. 19, 21.

Auguſt. l. 8 Confeſſ. cap 6. 8. & 12.

Neque Antonium tantùm pupugit hic ſtimulus, ſed per eius latus etiam pectus aulici illius Theodoſij Imperatoris confodit: qui ſuſpiciens generoſam Antonij indolem tam promptè diuinæ voci obtemperantis, oculis in amicum coniectis, Dic quæſo te, inquit, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus peruenire? Maiórne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quàm vt amici Imperatoris ſimus? Et quid non ibi plenum periculi? Et quando iſtud erit? Amicus autem Dei, ſi voluero, ecce nunc fio. Nec mora, dum reddit oculos paginis, nouæ vitæ parturitione turgidus, mox diſcreuit decreuitque meliora.

Neque hic finis efficaciæ diuini verbi. Dum hand

morum

morum conuersionem Augustino narrat Potitianus, ille vultu ac mente turbatus, seque ipsum & socordiam suam accusans, inuadit Alipium, & complosis manibus exclamat: Quid patimur? quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine? Quid multa? Et ipse librum arripit, & vnicâ Pauli sententiâ compunctus, morti moritur, & vitæ viuere incipit; abruptaque tam lentâ ac somnolentâ cunctatione, totum se Deo tradit. En stimulos.

Sapientum monita tenacia sunt instar clauorum.

Vultis & clauos in altum defixos? dabo sapientium voces ita penitus animis infixas, vt euelli numquam potuerint, sed pertinaci impulsu, seriaque compunctione tandem de corde, quamuis duro planeque adamantino, triumphauerint. Scio peruicacem esse paneque insuperabilem quorumdam flagitiosorum obstinationem: sed & hoc scio, plus ad expugnandum hunc rigorem posse *verba sapientium, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno*, id est, à Deo variis magistris ac sapientibus ad salutem mortalium communicata. Possunt quidem illi diuinis vocibus obluctari, & in spiras ac volumina se torquere, vt vim diuini verbi aut discutiant, aut eneruent,

Virg. lib. 6. Aeneidos.

Vt Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum;——

sed, premente ac pungente Deo, frustraneus est omnis eluctandi conatus. nam

——*Tantò magis ille fatigat*
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Magnos aliquando & acres omnino stimulos ad Christi fidem veramque pietatem expertus est Saulus, siue

siue beati Stephani disputationibus conuictus, siue beati Barnabæ cohortationibus excitatus: ille tamen præfracto animo & contumaci tamdiu Deo restitit, donec fulmine in terram prostratus, hanc Christi exprobrantis
Actor. 9,4. vocem audiuit, *Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

Platus de Bono statu religios. lib. 3. c. 38. Alium non absimilis contumaciæ proponunt nobis Annales S. Dominici: qui cùm deliciis eneruatus, totum se vitiis tradidisset, nec vllum sibi de vitæ reformatione verbum fieri pateretur, Religiosus quidam comiter eum inuisens, ad extremum in digressu vnicum illum ex Prophetâ versum protulit: *Subter te sternetur*
Isa. 14,11. *tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Qui versus ita eum pupugit, vt iam nihil aliud animo voluere posset, quàm illos vermes & illas tineas. Quin etiam, cùm variis molestam hanc cogitationem ludis fallere, & æqualium solatiis abstergere conaretur, ita nihil proficiebat, vt potiùs magis ac magis hic clauus infigeretur. Quare hoc secum reputans, Si ipsa cogitatio illius pœnæ tam erat intolerabilis, quantò intolerabilior futura esset ipsa pœna, cessit aliquando tandem, manusque Deo dedit. En stimulos, en clauos, quos verba sapientum cordibus humanis infigunt: sed quæ infligunt vulnera salutem spectant, non interitum, illis sagittis quàm simillimi, quibus magno suo bono se saucium fuisse scribit diuus
August. l. 9 Confess. cap. 2. Augustinus. Sagittaueras, inquit, tu Domine cor nostrum charitate tuâ, & gestabamus verba tua transfixa visceribus: & exempla seruorum tuorum, quos de mortuis viuos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ, vrebant & absumebant grauem torporem nostrum, & accendebant nos validè.

Huiusmodi stimulos cùm hoc libro non paucos cui-

uis

uis animæ, virtutis ac sapientiæ cupidæ, subiecerit Ecclesiastes, concludit his verbis: *His, fili mi, amplius ne requiras.* Est enim modus in rebus. & quemadmodum in corporis alimento, sic in animæ pabulo vitanda est nimia constipatio: & rursus quemadmodum in bonis fortunæ, ita etiam in spiritualibus documentis animæque diuitiis modus aliquis definiendus est, quem si transgressus fueris, ad infinitam deuolueris cupiditatem. Rationem vtrisque communem assignat Lucilius:

In præceptis sapientum modus seruandus.

Nam si, quod satis est homini, id satis esse potisset,
Hoc sat erat: nunc cùm hoc non est, quî credimus porrò,
Diuitias vllas animum mi explere potisse?

Lipsius in Comment. ad Epist. 3. Senecæ.

Verbo dicam. Cui, quod satis est, satis non est, nihil illi satis est. Videamus igitur ex his omnibus, quæ satis esse, & in quibus nos acquiescere desiderat Ecclesiastes, quem potissimùm clauum ac stimulum ad veram sapientiam nobis inculcet, penitusque memoriæ nostræ velit infixum.

SECTIO QVINTA.

ECCLESIASTES.

VERSVS 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo:

14. [a] & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium [b] pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit.

[a] *Variæ Lectiones habent* nam *vel* quia
[b] *Hebr.* pro omni occulto,

METRICA PARAPHRASIS.

IAM *sat fluctiuagâ trabe*
Iactamur tumidi gurgite Nerei:
Sat ventos sequimur, quibus
Distendunt cupidi lintea, & improbæ
Mundus velificat spei.
Iam portum trepidæ respiciant rates,
Ne ventosior alite
Vento detineat carbasa vanitas.
Ergo post freta turbida
Dum portum inuehimur, quisquis es, vltimo
Mentem aduerte celeumati.
Hoc vnum recolens cuncta recolliges.
Æternum venerans time
Numen, quo soboles corde solet patrem:
Huius nutibus obuius
Exhauri imperia. Hæc summa homini salus,
Hic vitæ instabilis scopus:
Omne huc principium, atque huc refer exitum.
Nam quidquid soboles Rheæ,
Lucis dum fruitur munere, perpetrat,
Qui terram tonitru quatit,
Expendet rigido iudicio arbiter,
Albo atróve notans (licet
Conspectum fugiant) singula calculo.
Felix quem Superùm metus
Virtutum innocuis compedibus ligat.

PROSA

PROSA EXEGESIS.

TANDEM aliquando post longam fluctuantis animi iactationem inter tot procellas ac turbines vanitatum, inter tot labores ac vitæ pericula, rebus omnibus humanis frustrà exploratis, nec vsquam animi quiete inuentâ; tandem, inquam, veræ solidæque beatitatis portum occupat Ecclesiastes, & ad eumdem nos his verbis inuitat: *Deum time, & mandata eius obserua. Hoc est enim omnis homo.* In hoc portu nisi anchoram defixeris, peristi. In terrâ viæ omnes latrociniis infestæ sunt, mare naufragiis infame; res humanæ fragiles, erroribus obnoxius intellectus, voluntas cupiditate deprauata, spes fallaces, inanes cogitationes, incertæ prouidentiæ nostræ: sola in Deo salus. Hunc si eo timoris & amoris affectu prosecuti fuerimus, quo filius patrem; si cà submissione animi venerati fuerimus, quà seruus dominum; si denique non mandatis solùm, sed nutibus eius obsecuti fuerimus, vt figmentum figulo; salua nobis sunt omnia. Deo duce & auspice tuti erimus ab huius vitæ periculis, immunes à naufragiis.

Extra Deũ non est salus.

Solent viatores, ait Epictetus, si viam latrociniis audierint infestari, non soli iter ingredi, sed vel comites operiri, vel Legato, Quæstori, Proconsuli se socios adiungere. Haud dissimile quid facit sapiens, inquit, in hoc mundo. Multa latrocinia sunt, tyranni, tempestates, egestas, iactura chariſſimorum. Quo pacto hanc vitam transibis incolumis? quis comitatus tutum te reddet? An diuitis illius, aut Consularis? At ipse spoliabitur, plorabit, lugebit. Quem igitur fructum inde capiam? Quid verò si comes ille meus in me conuersus latro fiat, quid faciam? At amicus ero Cæsari.

Epictetus l. 3. Dissert. Arrian. c. 26.

Deo duce, vitã securè transimus.

Quando istud erit? & quid non ibi plenum periculi? & per quot pericula peruenitur ad maius periculum? Quid si deinde calumniis impetitus ex aulâ pulsus fueris, quò tandem recedes? An in solitudinem? dic sodes, eò febris non venit, aut egestas, aut cupiditas? Quid ergo profeceris? Nullúmne ergo comitem inueniam fidelem, securum, insidiarum expertem? Imò verò sic prudens secum considerat, & hanc init rationem, si Deo se dederit, iter se tutò confecturum. Quid est hoc ipsum, dedere se Deo? vt quod ille voluerit, & ipse velit; & quod ille noluerit, nec ipse velit.

Quid sit tradere se Deo.

Quod alibi latiùs exponit idem ille sublimis senex, dum monet ita cum Deo loquendum: Vtere me vbi lubet, & vt lubet; mente tecum consentio. Nihil recuso omnium, quæ tibi videbuntur. Quocumque me voles, ducito: quam vestem lubet, induito. Magistratum me gerere vis? priuatam agere vitam? manere? exulare? in egestate, in opibus degere? Ego te in his rebus omnibus apud homines defendam. Hoc est reuerà Deo obtemperare, & hic potissimus cultus quem à nobis exigit.

Aut si latiùs hoc nomen diuini cultûs & obsequij sumere volumus, Optimus animus, pulcherrimus Dei cultus est. Nam, vt rectè ait Lactantius, Christianorum omnis religio est, sine scelere & sine maculâ viuere. Quod ne Ethnici quidem ignorarunt ita decere. satis enim disertè Cicero, Dei cultus optimus est, inquit, idemque castissimus & sanctissimus, plenissimusque pietatis, vt eum semper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce veneremur. Neque enim in victimis, inquit Seneca, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos, sed piâ ac rectâ voluntate venerantium. Itaque boni, etiam farre ac fictillâ religiosi sunt; mali verò non

Lactantius lib. 5. c. 9. *Mens pia & immaculata, optimus Dei cultus.*

Cic. lib. 2. de Naturâ deor. c. 28.

Senec. lib. 1. de Benefic. c. 6.

non effugiunt impietatem, quamuis aras sanguine multo cruentauerint.

In id igitur incumbamus, vt Deum sincero affectu diligamus, timore veneremur, religione colamus: in hoc, inquam, toto pectore incumbamus, si rebus nostris consulere, & officij Christiani partes explere volumus. *Hoc est enim omnis homo*, ait Ecclesiastes, id est, in hoc summa hominis perfectio consistit, hac de causâ vitam rationis compotem accepit, hic finis eius, vitæque & actionum omnium scopus est, hoc homini multis de causis expedit, hoc se præstat hominem, hæc eius in hac mortali vitâ beatitudo. & quos non præterea sensus parit huius sententiæ fecunditas?

Duos tamen ex omni numero seligam, qui nos potissimùm ad amorem cultumque Deo exhibendum permouere possunt: quia nimirum ita necesse est, & quia summopere expetendum.

Necessitas diuini obsequij.

Necessitatem nobis imponit ipsa vita quam ducimus. D. Bernardum frequenti sermone hæc verba vsurpare consueuisse accepimus: Bernarde, Bernarde, ad quid venisti? ac tantumdem de Magno Arsenio traditur, hac voce frequenter sibi stimulos ad virtutem subiecisse: Arseni, Arseni, ad quid venisti? Eadem quæstione nos ipsos frequenter excitare ac perurgere debemus: Quam ob causam communem hanc lucem haurimus? quo fine spiritum ac vitam ducimus? quæ nostræ sunt partes in hoc vitæ munere? nónne vt auctorem eius diligamus & veneremur? Si hæc vitæ nostræ seu causa seu scopus est, quid toties in varia studia distrahimur? nugisque plausibilibus occupati, toto vitæ tempore nihil minùs quàm viuimus?

Vide Alphons. Rodrig. Part. 1. Tract. 1. c. 15.

Videas quosdam augendæ rei familiari intentos om-

Vana hominũ occupationes neglecto Deo.

nia fora peruagari, omnes callere nundinas, versare Kalendarium, computare fœnus; de Deo aut æternâ salute nulla cogitatio: alij merces exoticas aut castra secuti, terras omnes ac maria peruagantur; & cùm voluntario sese exilio proscripserint, non magis à patriâ quàm à seipsis exulant, nec Dei memores, nec sui. Aliorum inconsultus vanusque cursus est, qualis formicis per arbusta repentibus, quæ in summum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. Quorumdam quasi ad incendium currentium misereberis, vsque eò impellunt obuios, & se aliosque præcipitant: cùm interim cucurrerint aut salutaturi aliquem non resalutaturum, aut lecticam alicuius prosecuturi, deinde domum cum vacuâ redeuntes lassitudine, iurant nescisse seipsos quare exierint, postero die erraturi per eadem illa vestigia. Alij in infimis ministeriis desudantes, & instar formicarum maiora corpusculis onera baiulantes, dum interim diuinum cultum in postremis habent, operosè nihil agunt. vix enim ab illis impetres, vt semel quaque hebdomade dimidiam horam diuinis mysteriis impendant. Denique ex iis quos magna felicitas grauat, audias nonnullos inter clientium greges, aut causarum actiones, aut ceteras honestas miserias exclamare: Mihi viuere non licet.

Seneca de Tranquill. anim. c. 12.

Seneca de Breuit. vitæ, c. 7.

Ea potissimũ homini curanda quæ hominis sunt.

Et hi plerumque homines frugi, rerumque suarum benè gerentes appellantur. ego verò ne homines quidem dicendos esse contendo, quibus nihil minus cordi sit, quàm quod est hominis.

Alphons. Rodr. Exercit. perf. p. 1. Tra. 1. c. 1.

Cùm D. Dorotheus aliquando cubiculum infirmorum visitaret, cuius cura discipulo eius Dositheo incumbebat, sensit hic titillationem quamdam vanæ gloriæ, eamque Magistro confessus, Videor mihi, inquit,

quit, operam meam egregiè tibi probasse. Vides vt lecti decenter compositi sint? instrumentum omne mundum ac splendidum? Respondit Dorotheus: Quid hæc ad summam vocationis tuæ? Bonus quidem famulus es, sed non continuò bonus Religiosus. Ita plerique eorum quos modò tetigi, id assequuntur fortassis, vt boni sint opifices, boni mercatores, boni causidici; sed non idcircò id adepti sunt quod est homini proprium, vt viri boni sint.

Id in homine laudandum est, ait Seneca, quod ipsius est. Familiam formosam habet, & domum pulchram? multum serit, multum fœnerat? nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso quod proprium est hominis. Quæris quid sit? Animus & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal est homo: consummatur itaque eius bonum, si id adimpleuit, cui nascitur. Quid est autem quod ab illo ratio exigit? Rem facillimam, secundùm naturam viuere, id est, vt non tantùm Christiani, sed præcipui quique Philosophorum, teste Clemente Alexandrino, interpretantur, Deo obtemperare, Deum sequi, Deo assimilari. *Hoc est enim omnis homo.*

Seneca Epist 41.

Vide Lipsi in Manuduct. lib. 2. Diss. 19.

Alter sensus quem ex his verbis elicio, hic est: Ita prorsus expedit homini. Quid enim honestius mortali potest excogitari? quid conducibilius? quid suauius? quàm immortali Deo obsequium cultumque præstare? Scio paradoxum hoc esse iis qui nihil sublime cogitant, sed toti aut rerum fluxarum curis, aut voluptatum cœno immersi, contemnunt piorum gemitus, labores auersantur, vltronea supplicia Dei amore suscepta cachinnis exsibilant: ignari scilicet quanta merces piis illis laboribus & suppliciis sit constituta;

Vulgus piorum vitam contemnit.

Auguſt. in Pſal. 127. tuta; nec vmquam experti, quod ait D. Auguſtinus, dulciores eſſe lacrymas orantium, quàm gaudia theatrorum.

Idē Conc. 2. in Pſ. 48. *Felicitas eorum qui Deum colunt.* Quare idem Auguſtinus alio loco ſuperbum illorum contemptum generosè contemnit. Tumeant modò ſuperbi, inquit, & diuites huius ſæculi, impij bonis inſultent, & dicant: Quid plus habetis quia Chriſtum habetis? Reſpondeant fideles, ſi verè fideles ſunt: Immò verò quid non habemus dum Chriſtum habemus? Quid enim non poſſidet, qui habentem omnia poſſidet? Sed nox eſt, nondum videtur quod tenemus. Non quieſcant interim manus à bonis operibus. Dicit enim Propheta: *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui, manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus. Renuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum.*

Pſal. 76, 3.

Habet enim diuini obſequij profeſſio neſcio quid eximium, nullis mundi bonis ac gaudiis conferendum. Habent virtutes omnes, quibus Deo cultum exhibemus, ſuam quamdam dignitatem, ſed faſtuoſis hominibus inacceſſam; ſuas quaſdam diuitias, ſed auaris nimiſquam reconditas; ſuas quaſdam delicias, ſed profano palato incompertas. Sed qui Deo ſe totos tradiderunt, norunt reconditos hos theſauros eruere. Sciunt enim, quanta ſit in obedientiâ libertas, quanta iucunditas in labore, quantæ in oratione deliciæ, quanta in humilitate dignitas, quanta in conflictatione pax, quanta nobilitas in patientiâ, quanta in infirmitate perfectio.

Vide Campian. Epiſt. ad Nouit. Bruncnſes.

Itaque vnum illorum ſuſpirium, quo cælum anhelant, præſtat effuſiſſimis theatrorum clamoribus, quibus profani delectantur; vna ſpiritualis collocutio,

cui

cui interſunt Angeli, ſuperat iſtorum congreſſiones, & impura ſympoſia, in quibus pocula propinant dæmones; vna diecula Deo conſecrata dignior eſt iſtorum ætate vniuersâ, quam profundunt in luxu.

Deo ſeruire, res maxima eſt. Aristides Orat. pro IV. viris. Philo lib. de Cherubim.

Quid plura? Si dignitatem ſpectamus, maximum & pulcherrimum hominis munus eſt Deo miniſtrare, ait Ariſtides. & Philo, Seruire Deo, inquit, maxima eſt gloria, non modò libertate maior, ſed etiam diuitiis, & Principatu, & omnibus rebus, quas mortales admirantur, pretioſior. Si lucra conſectamur, ab hoc diuino obſequio merces pendet æternæ beatitatis. Si voluptate paſcimur, quid amore diuino poteſt eſſe iucundius? Quid ſuauius, quàm cæleſtem illum beatarum mentium concentum in terris æmulari, Deiſque laudes quàm frequentiſſimè modulari?

Epict. l. 1. Diſſ. c. 16.

Hoc ego quidem munere libenter omnium vice fungar, ait Epictetus. quid enim aliud præſtare poſſum iam ſenex & claudus? Etenim ſi luſcinia eſſem, facerem quod ſolent luſciniæ; ſi cygnus, cygni more canerem: nunc rationis particeps cùm ſim, hymno celebrandus eſt mihi Deus. hoc meum munus eſt, hoc exequor; neque ſtationem hanc deſeram quoad licuerit, & vos ad eamdem cantilenam hanc exhortabor. Ita Philoſophus ille qualicumque Dei cognitione tinctus.

Nos autem Chriſtiani quo tandem animo erimus? nos, inquam, ſanctiſſimis legibus & præceptis ad omnem pietatem & religionem inſtituti, non libentiſſimè diuino cultui & encomiis vacabimus? En admirabilis ille ſenex non animo minùs quàm corpore claudus, generosè tamen ad hanc pietatem nobis præiuit: & nos, quia talis præiuit, pudet ſequi? Ego verò ſequor,

& lubens quidem: & ſiquid hoc Opere probè ſaneque dictum eſt, diuinæ bonitati cum gratiarum actione conſecro; & ne quis alicunde fortaſſis humanæ laudis appetitus obrepat, hanc omnem, vti par eſt, in Deum refundo, & cum hac doxologiâ finio:

REGI SÆCVLORVM

IMMORTALI ET INVISIBILI

SOLI DEO

HONOR ET GLORIA.

INDEX

INDEX POEMATVM SEV CARMINVM QVÆ HOC OPERE SPARSIM CONTINENTVR.

Anacreonteum.

Capite 3. *Sectione* 3. *Capite* 8. *Sectione* 8.

Anapæsticum.

Capite 1. *Sectione* 5. *Capite* 2. *Sectione* 2. *Capite* 3. *Sectione* 5.
Capite 5. *Sectione* 1. *Capite* 7. *Sectione* 21. *Capite* 8. *Sectione* 7.
Capite 9. *Sectione* 6. *Capite* 11. *Sectione* 4. *Capite* 12. *Sectione* 2.

Asclepiadeum.

Capite 6. *Sectione* 3. *Capite* 11. *Sectione* 3.

Asclepiadea terna cum singulis Glyconiis.

Capite 3. *Sectione* 4. *Capite* 7. *Sectione* 2. *Capite* 10. *Sectione* 7.

Asclepiadea bina cum binis Glyconiis.

Capite 5. *Sectione* 2. *Capite* 9. *Sectione* 8.

Asclepiadea gemina cum Pherecratio & Glyconio.

Capite 1. *Sectione* 3. *Capite* 4. *Sectione* 7.

Asclepiadeum cum Iambico dimetro.

Capite 6. *Sectione* 4. *Capite* 7. *Sectione* 7. *Capite* 10. *Sectione* 1.

Glyconium.

Capite 7. *Sectione* 5. *Capite* 7. *Sectione* 15. *Capite* 8. *Sectione* 1.

Glyconia terna cum singulis Pherecratiis.

Capite 9. *Sectione* 4.

Glyconium cum Aſclepiadeo.

Capite 1. *Sectione* 4. *Capite* 5. *Sectione* 4. *Capite* 5. *Sectione* 8. *Capite* 8. *Sectione* 3. *Capite* 10. *Sectione* 3. *Capite* 10. *Sectione* 8. *Capite* 12. *Sectione* 5.

Hexametrum.

Capite 1. *Sectione* 6. *Capite* 3. *Sectione* 2. *Capite* 5. *Sectione* 3. *Capite* 8. *Sectione* 5. *Capite* 10. *Sectione* 6. *Capite* 11. *Sectione* 2.

Hexametrum cum Iambico Senario.

Capite 2. *Sectione* 5. *Capite* 7. *Sectione* 12. *Capite* 7. *Sectione* 14. *Capite* 8. *Sectione* 2. *Capite* 10. *Sectione* 4.

Hexametrum cum Pentametro ſiue Elegiacum.

Capite 1. *Sectione* 1. *Capite* 2. *Sectione* 1. *Capite* 2. *Sectione* 4. *Capite* 4. *Sectione* 1. *Capite* 7. *Sectione* 3. *Capite* 7. *Sectione* 18. *Capite* 7. *Sectione* 20. *Capite* 12. *Sectione* 3.

Horatianum ſiue Alcaicum.

Capite 1. *Sectione* 2. *Capite* 3. *Sectione* 1. *Capite* 4. *Sectione* 4. *Capite* 4. *Sectione* 5. *Capite* 6. *Sectione* 1. *Capite* 7. *Sectione* 4. *Capite* 7. *Sectione* 9. *Capite* 7. *Sectione* 17. *Capite* 9. *Sectione* 1. *Capite* 9. *Sectione* 3. *Capite* 10. *Sectione* 9.

Iambicum trimetrum.

Capite 1. *Sectione* 7. *Capite* 2. *Sectione* 3. *Capite* 4. *Sectione* 2. *Capite* 5. *Sectione* 6. *Capite* 7. *Sectione* 6. *Capite* 8. *Sectione* 9. *Capite* 10. *Sectione* 2. *Capite* 11. *Sectione* 6.

Iambicum trimetrum cum dimetro.

Capite 4. *Sectione* 6. *Capite* 7. *Sectione* 10. *Capite* 8. *Sectione* 4. *Capite* 9. *Sectione* 2. *Capite* 10. *Sectione* 10. *Capite* 11. *Sectione* 1. *Capite* 12. *Sectione* 1.

Iambicum trimetrum cum Pentametro.

Capite 9. *Sectione* 9.

Iambicum trimetrum cum hemiſtichio Pentametri & Iambico dimetro.

Capite 10. *Sectione* 5. *Capite* 10. *Sectione* 12.

Pha-

Phaleucium.

Capite 2. *Sectione* 7. *Capite* 7. *Sectione* 1. *Capite* 7. *Sectione* 13. *Capite* 7. *Sectione* 19. *Capite* 9. *Sectione* 5.

Sapphica continuata.

Capite 5. *Sectione* 5. *Capite* 11. *Sectione* 5. *Capite* 12. *Sectione* 4.

Sapphica terna cum singulis Adoniis.

Capite 2. *Sectione* 6. *Capite* 5. *Sectione* 9. *Capite* 7. *Sectione* 8. *Capite* 7. *Sectione* 11. *Capite* 9. *Sectione* 7. *Capite* 9. *Sectione* 10. *Capite* 10. *Sectione* 11.

Sapphicum cum Glyconio.

Capite 3. *Sectione* 6. *Capite* 3. *Sectione* 7. *Capite* 5. *Sectione* 7. *Capite* 7. *Sectione* 16.

Scazon.

Capite 1. *Proœmio*. *Capite* 4. *Sectione* 3. *Capite* 6. *Sectione* 5.

Trochaicum tetrametrum catalectum.

Capite 8. *Sectione* 6.

Trochaicum dimetrum cum Glyconio.

Capite 6. *Sectione* 2.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM:

In quo notandum, ea quæ litterâ rotundâ Romanâ imprimuntur, ad Metricam paraphrasin pertinere; quæ verò litterâ Italicâ, ad Prosam exegesin.

A.

Abrahæ heroica obedientia. 240.& seq.
Achitophelis in Dauidem perfidia. 233
Adolescentia vana est & fugitiua. 793.& seq.
Adolescentia nulla est cùm à Deo citamur. 797.& seq.
Adulatio mentem excæcat. 403. & seq.
morum corruptelam inuehit. 404
Adulator quandoque personam sumit monitoris. 407
Adulatores, quos laudant, irridenť. 405
Ædificia Salomonis. 85
Æquanimitas in lætis tristibusque seruanda. 467.& seq.
Æstus maris diuersus. 142
Ætas aurea. 439.& seq. 531
Ætas aurea sub Adamo vitiis non caruit. 447
Ætas aurea Poëtarum & Christianorum. 445.& seq.
olim nihil aliud quàm Resp. benè constituta. 446
sub Saturno vitiis omnibus inquinatissima. 447.& seq.
Ætas ferrea vitiis scatens. 531
Ætatis flos Deo consecrandus. 802. & seq.
Ætatem floridam vitiis, effœtam Deo consecrare, iniquum. 810
Æternitas quanta sit. 781
Æternitas sola vera est & stabilis vita. 780.& seq.
eius cogitatio percellit animos. 765
Æternitas tormentorum vana ostendit mundi gaudia. 784
Alexander Macedo iræ succubuit. 427
Ambitio multorum peccatorum causa. 688.& seq.
Ambitionis fuga. 683.& seq.
Ambitionis finis ruina. 364
Ambitiosorum stultitia. 678
Amicitia non est vtilitate metienda. 218
rara est vera amicitia. 216
Amicitia quæ lucrum spectat non est diuturna. 218.& seq.
colenda est non tam vt beneficium accipias, quàm vt des. 218
Principum vana est & periculosa. 223
Amicitiæ laus & fructus multiplex. 212.& seqq.
commoda varia. 214.216.217

Amicitiæ præsidia ceteris omnibus firmiora. 217
Amicus sapiens optandus. 224
Amicus sincerus etiam inuitum monet. 419
Amici fidelis laus & pretium. 216
Amicorum paria apud Græcos & Latinos. ibid.
Anacreon aurum acceptum donatori reddidit, ne animi quietem amitteret. 301
Anima in corpore mortali misera est. 385
Philosophorum error circa animæ immortalitatem. 177. & seq.
immortalitas probatur. 178. & seq.
pleriq; de eâ benè philosophati. 178
Animæ bonum quærendum. 629
Animus hominis varius est & inconstans. 130. & seqq.
constantiâ firmandus. 133
Antigonus punit Ducum temulentiam. 727. & seq.
Antigoni mansuetudo. 503
Apum rex docet magnos decere mansuetudinem. 436
Arrogantia externo fuco virtutem conatur anteire. 428
Deo hominibusque est inuisa. 429
Arrogantia Nicanoris punita. ibid.
Arrogantes ignaui sunt & abiecti. 426
Arsenius mulierum conspectum fugit. 528
Artem aliquam mechanicam Principes olim discebant. 335
Athanasius calumniis circumuentus. 193. & seq.
Atheismus vnde natus. 277. & seq.
Athei iam olim damnati. 262
Auaritia hominem dedecet. 355
Auaritia quouis tyranno imperiosior. 208
seruitute deterior. ibid.
est insatiabilis. 209. & seq. 291. & seq. 337
quantum mali faciat. 325
beatitatem omnem huius vitæ euertit. 327. & seq.
honorem pessumdat. ibid.
Auaritiæ nimiæ exempla. 294
Auaritiæ labor vitam reddit acerbam. 208
Auarus diuitias attingere non audet. 117. & seqq.
nescit cui laboret. 207
fructum non capit ex diuitiis. 290. & seq.
numquam satiatur. 289. 334. 354
Auarus genium suum defraudat. 113
sæpe heredi degeneri laborat. 114
se & salutem negligit. 111. & seq.
sibi ipsi pœna est. 122. & seq.
alteri laborat. 123. & seq.
in luto versatur. ibid.
Auarus luxum externorum propriæ saluti præfert. 125
fructu laboris sui caret. 209
nec sibi nec aliis prodest. 210. & seq.
ex liberis non percipit voluptatem. 328
nullum sui monimentum posteris relinquit. 331
est abortiuo deterior. 332
Auari & abortiui comparatio. 324
Auari curæ ac miseriæ. 206. & seq.
Auaro nullus diuitiarum fructus. 293
Auari despiciunt pauperes spiritu. 679. & seq.
Auarorum labores vani. 110. & seq. 112. & seq.
curæ. 208. & seq.
& miseria. 322 & seqq.
stultitia. 678
Augusti Cæsaris mansuetudo. 744

Auguſtini labor in quærendo Deo. 247
Aurea ætas. 439. & ſeq. Vide *Ætas aurea.*

B.

Baiazetes ab imperio ad viliſſima obſequia deiectus. 123
Beatitudo non reperitur in diuitiis aut luxu. 297
Beatitudo non animam ſolam, ſed etiam corpus afficit. 720
non conſiſtit in huius vitæ bonis. ibid. & ſeq.
variæ opiniones à ſcopo beatitatis aberrantium. 717. & ſeq.
Beatitatem in hac vitâ mortali quæ conſtituant. 325. & ſeq.
Beatitatem omnem huius vitæ euertit auaritia. 327. & ſeq.
Bella omni tempore fuerunt. 443
Bellorum antiquorum calamitates. ibid. & ſeq.
Beneficia parata gratiſſima. 756
Beneficentia beneficentiam prouocat. 219
Blanditiæ vanæ ſunt & abſque fructu. 400
Blaſphemia ferè in hac vitâ etiam punitur. 480. & ſeq.
Bona fortunæ fallacia & pernicioſa. 90. & ſeqq.
Boni interdum indigna patiuntur. 583. & ſeq.
non inuiti a Deo malis exercentur. 158
Bonis Deus ſolida ſeruat bona. 586. & ſeq.
Bruta quædam ad rationem proximè accedunt. 174. & ſeq.
Bruta quædam etiam loquuntur. 175
Brutti in morte trepidatio. 560.

C.

Cælorum ſtabilis directio. 580
Caligula heres ſcriptus teſtatores occidit. 124
Caligula à luxu ad rapinas deflexit. 739. & ſeq.
Calumnia innocentes opprimit. 187. & ſeqq.
Calumnia facit, quò minùs virtus hominibus innoteſcat. 409. & ſeq.
turbat ſapientem. 410
Hippolytum interemit. ibid.
Calumnia etiam magnos opprimit: exemplo ſunt Criſpus, Chryſoſtomus, Athanaſius. 193
in aulis maximè graſſatur. 194. 412
vix compeſcitur. 412
moderatè ferenda. 414. 708
obliquè feriens valdè noxia. 707. & ſeq.
in abſentes intorta. 708
etſi occultè prolata, in publicum erumpit. 746
Calumniæ vis. 409
Calumniæ quanta pernicies. 411
damna. 706
pœna æterna. 708. & ſeq.
Calumniam paſſis vita eſt acerba. 194
Calumniam paſſorum exempla. 705
Calumniam nonnulli ſuperbè contemnunt. 412. & ſeq.
Calumniis quidam planè deiiciuntur. 413. & ſeq.
Calumniis fruſtrà petitorum exempla varia. 416. & ſeq.
Calumniandi auiditas. 745. & ſeq.
Canis viuus melior eſt leone mortuo. 619
Cn. Carbonis in morte trepidatio. 560

Care-

Caroli Audacis rigor in iudicem iniquum. 286.& seq.
Casus vbique valet. 640.& seq.
Catilinam luxus ad scelera adduxit. 740
Cerastis morsus quàm pernicios. 703. & seq.
Chrysaorij sera conuersio. 637
Christus est pauper & sapiens, qualis à Salomone describitur. 666
Christi mansuetudo. 438.& seq.
Christianus voluptatem fugiat. 77
Clamores populi & plausum captare, stultum est. 665
Claudij Aquauiuæ ad vitam religiosam conuersio. 555
Cleopatræ luxus & contentio cum M. Antonio. 66.& seq.
Cœna lugubris Domitiani. 392
Conari magna, in laude ponendum est. 497
Concharum varietas & ornatus. 489
Concupiscentia carnis maximè noxia. 517
Conscientia rectè factorum summa est voluptas. 626. & seq.
Consilium malum consultori pessimum. 694. & seqq.
Consiliarij Regum sint temperantes. 729
Constantia in bonis operibus commendatur. 769.& seq.
Constantia in bonis operibus coronatur. 773
Constanter instandum operi. 774. & seq.
Consuetudo inueteratæ difficulter corrigitur. 700
Consuetudinis inueteratæ vis. 701
Contemptus hostium ruinæ causa 669
Conuitia vitæ probitate refellenda. 500.& seq.
moderatè ferenda. 503
Conuiuia moderata non sunt reprehendenda. 632
Conuiuiorum Salomonis luxus. 87. & seq.
Conuiuiorum legitimorum commendatio. 389.& seq.
abusus. 390.& seq.
Copronymi in morte desperatio. 637
Cor durum quid. 700
resistit emendationi. ibid.& seq.
Corporis aliquod bonum ad beatitatem pertinet. 150.& seq.
Corporis humani formatio in vtero occulta. 769
nobis est obscura. 770.& seq.
non est curiosè inquirenda. 771
Correptio gratanter accipienda. 417.& seq.
Correptio fraterna animi morbis medetur. 418
Cornu Smenses piscationi assueti. 112. & seq.
Crassi inexplebilis auaritia punita. 292
Crates Thebanus philosophandi causâ opes abdicauit. 341.& seq.
Creaturæ ducunt in notitiam Creatoris. 138.& seq.
Creaturæ in cognitionem sui alliciunt. 140
Crispus Constantini filius calumniâ oppressus. 193.705
Ctesiphon ob loquacitatem Lacedæmone proscriptus. 713 & seq.
Ctesippus paterni sepulchri lapides decoxit. 114
Cultus diuini necessitas. 837
eiusdem felicitas. 840
Cupiditas frustrà noua appetit. 39. & seq.
Curæ auarorum vanæ ac molestæ. 110.& seq.
Curiositas reprimenda. 146.& seq.
Curiositas circa decreta Prouidentiæ homines facit desides. 768

Curiositas in rebus inutilibus impedit curam salutis. 60.& seqq.
Curiositas hominum mirabilis. 144
vana est. 34
Curiositas sciendi res naturales non facit ad beatitatem. 151.& seq.
Curiositas circa Dei prouidentiam nocet sapientiæ. 511
Curiositas Thomæ à Kempis repressa. 772
Curiosus Deo fit inimicus & sibi. 184
frustrà se torquet. 185
circa Dei secreta frustrà laborat. 770
Curiosè rumusculos captare turbat quietem. 499

D.

DÆmon est venator. 523
Damnati sunt instar taxi Septemtrionalis. 761
Damnati non student passionibus domandis. 624
Damnatorum lamenta. 784
Damnatorum tormenta crebro cum fructu recolimus. 579
Delatores hac ætate non desunt. 745
sub Tiberio plurimi fuerunt. ibid.
Deliciæ nunc maiores quàm olim reperiuntur. 446
libidinem pariunt. 70
inanes sunt & fallaces. 68.& seq.
sunt perniciosæ. 69.& seq.
Deliciis se tradere, vanum est ac perniciosum. 43.& seq.
Delicatorum speculum in morte. 395
Desidia ad virtutis laudem non adspirat. 732
sensim Rempub. euertit. 733.& seq.
Despici à Deo quid sit. 465.& seq.
Detractio occulta est instar morsus serpentis. 703.& seq.
Detractio occulta pernicioſissima. 707
incerto auctore diuulgatur. 746.& seq. Vide, *Calumnia.*
Detractionis damna. 706
vulnus immedicabile. ibid.& seq.
Deus mundum tradidit homini contemplandum. 134.& seq.
eumque stabili lege gubernat. 153.& seq.
vt Iudex supremus iniqua iudicia reformabit. 163. 169.& seq. 281
incomprehensibilis est & ineffabilis. 245
vbique præsens. 545
Deus mundum an optimo modo condiderit. 157.& seq.
sciolos rerum humanarum obscuritate exercet. 182.& seq.
quò magis cognoscitur, eò magis latere videtur. 247
ex rebus creatis cognoscitur. 249
est incomprehensibilis. 250
Deus hominum curam gerit. 265
non absque ratione peccata permittit. 159.& seq.
cur mala in hoc mundo permittat. 265.& seq.
Deus intimè præsens est rebus omnibus. 548
in hac mundi perturbatione fastidiosis consulit. 570
non debet ad arbitrium nostrum impios punire. ibid.
amicos rebus duris probat. 572
iustorum virtutes exercet. 587
amicis adest etiam in tormentis. 595
facile omnibus & singulis intendit 600
omnibus benefacit. 754.& seq.
Dei opera ab homine mutari non possunt. 154
Dei iudiciis acquiescendum. 181

Dei

Dei maiestas. 236
hanc venerari æquissimum. 544
eius manum nemo potest effugere. 545
Dei prouidentiam res omnes creatæ loquuntur. 259.& seq.
Dei secreta non sunt curiosè inuestiganda. 458.& seq.
prouidentia non est curiosè disquirenda. 588.& seq.
Dei opera homini mutare nefas. 155
vniformem seruant tenorem. ibid.
ea carpere stultum est. 156.& seq.
Dei mansuetudo. 436.438.& seq.
non est eâ abutendum. 762
eius conniuentiâ homines ad peccandum abutuntur. 606
Dei aliqualis cognitio remouendo aliena accipitur. 248.& seq.
Dei operum non est exigenda ratio. 460
Dei iudicia non sunt curiosè examinanda, nedum carpēda. 476.& seq.
alia sunt quàm hominum. 788
illis acquiescendum. 183.& seq.
Dei prouidentiæ Ethnici sine causâ obtrectant. 479
Dei timor coërcet à peccatis. 550
Dei iniuriâ res inanimatæ commouentur. 575.& seq.
Dei memoria facilis. 806
obliuio frequens apud homines. 807
obliuisci turpissimum. ibid.
Deo summa reuerentia & obedientia debetur. 236.& seq.
Deo seruiendum dum floret ætas. 802.& seq.
Deo mundi curam gerere non est difficile. 264
Deo nulla nos fuga subducit. 548. & seq.
libenter obtemperandum. 592
Deo curæ sumus. 593
Deo nihil est fortuitum. 645.& seq.
Deo teste peccare magna est impudentia. 791.& seq.
Deo duce vitam securè transimus. 835
Deo sè tradere quid sit. 836
ei seruire res maxima. 841
Deum esse perspicuum est, sed quid sit obscurum. 246
Deum qui diligit eius iniuriâ commouetur. 574.& seq.
De Deo nihil temerè pronuntiandum. 244.& seq.
stultæ de Deo opiniones. 270. & seq.
De Deo loqui difficile. 246
cum reuerentia ac timore loquendum. 271.& seq.
Augustini labor in quærendo Deo. 247
Philosophorum de Deo sententiæ. 249.& seq.
Ethnicorum & Politicorum de Deo opiniones meræ somnia. 273. & seq.
Ethnicorum impiæ de Deo opiniones absurdæ. 275.& seq.
quid sit à Deo despici aut obdurari. 465.& seq.
in operibus Dei nihil paruum aut vile. 488
Dij Gentium mortales. 612
& prosa. 614
Dij Gentilium ridiculi. 274.& seq.
Deorum falsorum origo. 276
Dicacitas seruorum excusanda. 502
Dicacitas est periculosa. 743.& seq.
Dies natalis mali ominis. 376
Dilatio bonorum operum noxia. 637
Diligentia suis cuique studiis adhibenda. 482.& seq.
Diligentia in studio virtutis numquam remittenda. 487
Diligentiæ matutinæ monent nos opifices. 772

Diogenes Cynicus homines quærit. 532
Dionysij Syracusani nimius mortis timor. 162
Diræ in impios Numinis contemptores. 573
Diuitiæ beatum non faciunt. 297. 322 & seq.
fluxæ sunt & perituræ 306.& seq.
Diuitiæ Salomonis. 87
Diuitiæ quietem animique tranquillitatem auferunt. 299.& seq.
perpetuis curis hominem affligunt. 308.& seq.
fluxæ sunt & fugaces. 24. 309. & seq.
seruando seruari non possunt. 310
Christiano contemnendæ. 312. & seq.
Diuitiæ magnæ obsunt Philosophiæ. 341
Diuitiæ non sunt culpandæ, sed abusus. 453
beneficentiæ & eleëmosynæ seruiant. 120
sine sapientiâ infirmæ sunt. 454
aliquid auctoritatis adferunt sapienti. 456
Diuitiarum copia fructum excludit. 294.& seq.
Diuitiarum fructus exiguus videre diuitias. 296
Diuitiarum vsus tædium vitæ subleuat. 319
Diuitiarum in morte vanitas. 816
Diuitiis vtendum genioque satisfaciendum. 118.314.& seq.
Diuitiis crescere homini non expedit. 363.& seq.
iis imperandum est. 119.318
affectus non est affigendus. 311
Diuitiis impinguatos angusta cæli porta non capit. 312
Diuitias multas multi deuorant. 295
Diuitias qui Philosophi contempserint. 312
Diuitias Salomon non æquiparat sapientiæ. 452
Dives sapit qui Deum animamque suam scribit heredem. 210
Diuitis heres sæpè pauper. 307
Diuitis abundantia pauperis debet esse refectio. 752
Diuites vulgi iudicio magni sunt. 654.& seq.
Diuites obligantur ad opera misericordiæ. 751.& seq.
Diuitum curæ somnũ eripiunt. 298
Diuitum ærumnæ multiplices. 307. & seq.
Diuitum curæ somnos turbant. 300. & seq.
Doctrina salutis à Deo est. 826
Doctrina solida quærenda, non floscculi. 829
Dominorum inhumanitas dicaces facit seruos. 501
Domitiani lugubris cœna. 392

E.

Ebrietas omnia vitia prodit. 74
Ebrietas inimica sapientiæ. 75
Ebrietas inidonea consilio capiendo. 78. & seq.
Ebrietatis mala. 72.& seq.
Ecclesiastes. Vide, *Salomon.*
Ecclesiastes non vitam Epicuræam, sed securam commendat. 630
ad animi serenitatem inuitat. 631. & seq.
nominis immortalitatem meretur. 822
Ecclesiasticæ scripta varia. 819 & seq.
Ecclesiasticæ scripta canonica immortalitate digna. 820 & seq.
Electi instar palmæ semper florentis. 761

Eleëmosyna Dei furorem placat, redditque propitium. 750
Eleëmosyna fœnus animæ. 120
liberaliter & promiscuè danda. 754
benignè largienda. ibid.
occultè danda. 756
promptè & celeriter danda. ibid.
Eleëmosynæ fructus vberrimus. 748.& seq.
Eleëmosynæ potentia. 121
merces singularis. 752.& seq.
fructus in hac vitâ. 757.& seq.
eiusdem fructus in morte. 758
eius securitas in extremo iudicio. ibid.& seq.
Eleëmosynæ fructus in æternitate. 759
ad eleëmosynam diuites obligantur. 751.& seq.
Eloquentia non est congrua voti materia. 350
Eloquentia omnem induit formam. 712.& seq.
Eloquentiæ vis. 710
Eloquentiæ mirabiles effectus. 712
Erroris descriptio. 97.& seq.
Eucharistiam bruta animantia venerata sunt. 267.& seq.
Exemplum malum trahit ad peccandum. 48
Exempla praua periculosa. 515. & seq.
Exemplis magnis vtendum, vt mediocria assequamur. 496.& seq.
Exhortatio poetica suauius influit. 4.

F.

Fama. Vide, *Nomen.*
Famæ studere vanum est. 108
Fames olim quàm nunc maior. 445
Fastus & impietas frustrà morti obluctantur. 564
Fato Stoici etiam Deum subiiciunt. 601
Fauor iudicia peruertit. 168
Felicitas mundi vana. 84
Felicitas mundi vana. 52
Felicitas Salomonis vana. 88. & seq.
Fidei popularis inconstantia. 233. & seq.
Filij paternæ hereditatis sæpè sunt decoctores. 110.& seq.
Filiorum affectus erga parentes sæpè simulatus. 115
Fontium origo obscura. 141
Fortuna adfert inconstantiam. 129
Fortuna sæpè plus potest quàm robur corporis. 642
sæpè plus potest quàm consilium. ibid.
Fortuna semper fortuna etiam in similibus euentis. ibid.& seq.
ab antiquis impensè culta, sed frustrà. 643.& seq.
Fortunæ bona fallacia. 13. 15. 90. & seqq.
& futilia. 20
fluxa sunt & caduca. 23
vt aliena habenda. 311
Fortunâ prosperâ moderatè vtendum. 470
Fortuitum respectu Dei nihil inuenitur. 645.& seq.
Fortuita nec certa sunt, nec stabilia. 263
Fortuitos casus sapiens habet præmeditatos. 645
Funebris domus commendatio. 391. & seq.
Funebris domus domui conuiuij præfertur. 387
Funebris domus salutaria monita. 388. & seq.
Futurorum nimis anxia inquisitio inutilis. 771.& seq.

G.

GArrulitas prona est ad lapsum. 714
Gaudia luctum prouocant. 388
Genethliaci astris nimium tribuunt. 601
Gloria virtutis calcar. 43
Gloria vera quærenda. 46
Gratiæ incertitudo homines torquet. 606. & seq.
Gubernator improuidus Remp. perdit. 669
Gulæ vitium grauiter Deum offendit. 738.

H.

HArpaste apud Senecam caca & stulta. 102
Hereditatem sæpè adit, cui minimè destinatur. 119
Heredes sæpè prodigi sunt ac decoctores. 114
Heredes ingrati, hostes, parricidæ. 124
B. Hilarion instante morte trepidat. 606. & seq.
Hippolytus calumniis impetitus occubuit. 410
Homo non debet se comparare cum Deo. 93. & seq.
vario curarum æstu in vitâ fluctuat. 552
Homo homini lupus. 204
Homo animal videtur immortalitate dignum. 105. & seq.
Homo iniquè Deo succenset propter irrita vota. 356
quàm sit vilis & abiecta res. 357. & seq.
in Deum insurgere non debet. ibid.
quid sibi expediat ignorat. 363
indignus est qui rationem à Deo exigat. 460
corrigere non potest opera Dei. 462. & seq.
Homo ne se quidem nouit, quantò minùs Deum. 599
Homo breui moriturus non obtrectet Deo. 617
Homo homini causa mortis, etiam coniunctissimo. 651. & seq.
sibi ipsi multipliciter causa mortis. 652
Homo est vanitas vanitatum. 814
Hominis animus varius est & inconstans. 130
Hominis bonum in animâ reponendum. 485
Homini & bruto multa paria contingunt. 172
Homini potissimùm curanda quæ hominis sunt. 838. & seq.
Hominem dedecet auaritia. 355
Hominem naturæ communio ad humanitatem hortatur. 753
Deus hominem rectum condidit, sed ille se deprauauit. 535. & seq.
Homines semper curiosi. 144. & seq.
Homines & bruta exteriùs similis videntur conditionis. 171. & seq.
Homines à brutis in multis vix differunt. 173. & seq.
Homines & bruta moriuntur. 176
Hominum labores ac studia vana. 47. & seq. 54
Hominum occupationes vanæ. 51. & seq.
Honor ac dignitas quàm parui sint pretij. 686
Honor indignos dehonestat. 693
Honoris in morte vanitas. 817
Honorem pessumdat auaritia. 327
Honores indignis conferri magnum malum. 690. & seq.
Honores vani sunt. 14

Honores mutant mores. 234.&seq.
eos optare ſtultum eſt. 349.&ſeq.
attingere periculoſum. 688
viri ſancti illos fugerunt. 689
Horti Salomonis. 86
Humana cuncta fluxa & fugacia. 25.&ſeq.
Humana cuncta ad ſcopum beatitatis inutilia. 12
fluxa ſunt & inſtabilia. 15.31.44
aut riſu aut lacrymis digna. 49
Humanarum rerum vanitas contemnenda. 24.&ſeq.
Humiles Deo chari. 430.&ſeq.
Humiles & modeſtos Deus præfert ſuperbis. 621
Humiles ſuperborum ſupplicio ſapiunt. 622

I.

IDololatriæ origo. 276
Ignaui ſapientiam deſidiæ prætexunt. 203.&ſeq.
Deo ſunt exoſi. 204
Ignauorum & inuidorum typus. 200
Immortalitas nominis vana eſt. 108
Imperatores olim ſcientiis exculti. 672
Impietas & faſtus fruſtrà morti obluctantur. 564
Impij contemptis futuris præmiis ad voluptatem hortantur. 716
Impij lætâ fronte animi tormenta non ſatis tegunt. 577.&ſeq.
maximè anguntur in morte & iudicio. 578
facili morte ſubinde defunguntur. 584
in extremo iudicio damnabunt ſe dementiæ. 788
Impiorum longa & bonorũ breuis vita magna tẽtatio eſt. 474.&ſeq.
Impiorum proſperitas lapis offenſionis. 566
Impiorum felicitas magnus eſt offenſionis lapis. 567.&ſeq.
Impiorum felicitate interdum viri magni offenduntur. 569
Impiorum pœnas Deus interdum differt, & cur. 569.&ſeq.
Impiorum felicitas non eſt vera, ſed adumbrata. 576
oblectamentá veriùs tormenta. ibid.&ſeq.
querela eorum de mendaci huius vitæ felicitate. 721.&ſeq.
Impiis habiti diuini honores. 568
Improborum ſacrificia Deo ingrata. 242.&ſeq.
Improborum ſupplicia cautos nos reddere debent. 799.&ſeq.
Impunitas longa impiorum multos offendit. 762
Indignorum promotio Reipub. perniciosa. 693.&ſeq.
Induſtria plus poteſt quam labor. 702
Infans Saguntinus in vterum reuerſus. 381
Infans natus cur ploret. 382
Ingratitudo erga patriæ vindicem. 656
Ingratitudinis vanitas atque indignitas. 659
Innocentium oppreſſio deplorãda. 191
Intemperantia ſtudiorum noxia. 826.&ſeq.
Intentio minùs recta facilè actiones inquinat. 818.&ſeq.
Inuidia quidquid præclarum eſt arrodit. 199
virtuti non nocet. ibid.
Inuidia vitium diabolicum. 200
non fert lucem virtutis. 201
virtuti non nocet. 204.&ſeq.
nihil ab inuidiâ tutum. 201

Inui-

Inuidus sibi ipsi grauis & carnifex. 205
Inuidi & ignaui Deo exosi. 204
etiam hominibus. ibid.
Inuidere ignauorum est. 202
Ioannes Chrysostomus calumniis oppressus. 193
Iob pater pauperum & miserorum. 188.& seq.
Ira frænanda. 423.& seq. 431.& seq.
cùm dominatur, totum hominem perturbat. 432
Ira breuis insania est. 401
an quid conferat ad ardua suscipienda. ibid.& seq.
non est cos virtutis. 435
non sit velox. 437.& seq.
Iræ domitor seipsum possidet. 432
Iræ damna. 434
Iram sequitur pœnitentia. 432
Irasci nihil aliud est quam insanire. 433
Irascendum moderatè & cum ratione. 437
Irati turpis forma. 434 & seq.
Isaaci heroica obedientia. 241.& seq.
Isabellæ Augustæ cadauer deforme. 396.& seq.
Israelitæ in Ægypto oppressi. 192
Iudæorum horrendæ calamitates & excidium. 443
Iudicia variis modis peruertuntur. 162
IudiciaDei occulta sunt. 597.& seq.
Iudicij extremi terror. 787
Iudicia fauor peruertit. 168
Iudicia muneribus corrumpuntur. ibid. & seq.
Iudiciorum iniquorum & violentorum exempla. 283.& seqq.
in iudiciis multipliciter peccatur. 165.& seqq.
Iudicia Dei non sunt curiosè indaganda. 591
non sunt curiosè examinanda, nedum carpenda. 476 & seq.
Iudicia Dei alia sunt quam hominum. 788
æqui boniq́ue consulenda. 183. & seq.
Iudiciis diuinis acquiescendum. 181
Iudiciis diuinis acquiescendum. 592. & seq.
Iudicij extremi cogitatio voluptates frangit. 787.& seq. 789
& iuuentutem domat. 789. 792
eius obliuio magna pœna est. 790. & seq.
Iudicio extremo signa præuia. 764
Iudex supremus iniquos iudices castigabit. 163
Iudex animo perturbato æquum decernere non potest. 167
Iudicis præsentia concepta à peccatis coercet. 791
Iudices inidonei causa sunt iniuriæ. 166. & seq.
Iudices iniqui grauiter puniti. 286. & seq.
etiam à Deo. 288
Iud cum inferiorum sententiæ reformantur à superioribus. 281
idem infrà in Prosâ. 285.& seq.
Iudicum inferiorum sententias Deus diiudicat. 169.& seq.
Iudicum negligentia sæpè causa damni. 167
Iuli Cani in morte securitas. 608. & seq.
Iustitia terris exulat. 161
Iustitiæ sedulò incumbendum. 483. & seq.
Iustitia Regum potissima est virtus. 164
Iustua perfectè nemo reperitur. 529. & seq.
Iusti & iniustis paria in hoc mundo eueniunt. 604. & seq.

Iustus

Iustus instar astrorum splendet. 541
Iusti cæleste quiddam in vultu spirant. ibid.
post agonem expectant præmia. 572
omnia æquo animo de manu Dei accipiunt. 595
interdum labuntur. 681.& seq.
Iustorum virtutem Deus excercet. 587
Iustis & iniustis omnia hîc promiscuè contingunt. 607
Iustis interdum vita breuis, impijs longa conceditur. 475.& seq.
Iuuentus vana est & fugitiua. 793. & seq.
Iuuentus optimum vitæ tempus. 806
Iuuentutis fabula ex Nicandro. 794. & seq.
Iuuentutis vigorem peccato prodegimus. 795
Iuuentute benè vtendum. 806
Iuuenes propter pulchritudinem superbiunt. 795

L.

LAbor auarorum tristis. 110. & seq.
Labor hominum eò tendit, vt naturæ ad victum necessaria comparentur. 333
Labor somnum conciliat. 302
Labor improbus omnia vincit. 701. & seq.
si Laborandum est, ne labor sit infructuosus. 211
Lætitia cum virtute commendabilis. 147.& seq.
ad Lætitiam exhortatio. 626.& seq. 785.& seq.
Lætari & benè facere in vitâ consultissimum. 626.& seqq.
Laude omnes ducimur. 43
Lectionis fructus quærendus. 827. & seq.
Lectionis piæ vis. 830.& seq.
in lectione rebus potiùs quàm verbis attendendum. 828.& seq.
Legum multitudo occasio est iniuriæ. 166
Liberaliter cum Deo & pauperibus agendum. 755
Libido animi corporisque vires depascitur. 793
Libido vana est cùm pœnam eius intuemur. 798.& seq.
Libidinosi continentibus insultant. 680
Libidinosorum speculum in morte. 395
Libidinosorum dementia. 679
Lingua optimum quid & pessimum. 711.& seq.
Lingua stulti sibi & aliis perniciosa. 713
Linguæ vis in bonum & malum. 709.& seq.
Linguæ libertas periculosa. 743. & seq.
Litterarum monimenta peritura. 45. & seq.
Loquaces sibiipsis noxij. 710.& seq.
Luctui vacandum. 786.& seq.
Lucem intueri quàm dulce sit. 775. & seq.
Luxus & otium Sodomam euerterunt. 735.& seq.
Luxus in aulis Principum dominatur. 736
Luxus Romanorum. 67.& seq.
Luxus occasio est multorum malorum. 739
Luxus conuiuiorum veram non habet voluptatem. 737
serpit etiam ad plebem. 738
Luxus Cleopatræ & contentio conuiualis. 66.& seq.

M.

Magistratus inidonei. 692. & seq.
Magistratuum magnus est habendus delectus. 692
Magistratuum mala electio ipsi Principi perniciosa. 696
Magni cùm delinquunt grauiùs puniuntur. 282
Magna magnis casibus obnoxia. 361. & seq.
Magna semper periculosa. 683. & seq.
Magnorum funesti exitus. 687. & seq.
Mala præuisa minùs nocent. 471
Mala quæ vocantur interdum bonis præferenda. 472. & seq.
Mala futura misericordiæ operibus præuertenda. 766
Maledicentia contemnenda. 498. & seq.
Mansuetudo magnos decet. 436
Mansuetudo Dei ac Christi. 438. & seq.
Mansuetudo in ferendis conuitiis. 500
Mansuetudinis exempla. 503
Mansuetus instar rupis immobilis. 424
Mare non redundat accessu fluminum. 19
Maris æstus diuersus. 142
causa obscura. ibid.
Martyres ad mortem adspirarunt. 386
de tormentis suis non queruntur. 594
in tormentis alacritas. 486
Masiniſſæ nimius mortis timor. 562
Matutinæ diligentiæ monent nos opifices. 772
Matutinus cultus Deo gratissimus. 773
Mendici otiosi è Republicâ eliminandi. 335
Mens in Deo figenda. 133
Mens pia & casta optimus Dei cultus. 240. 836
Mentium qualitates noxiæ. 774
Michael Traulus è carcere ad imperium euectus. 227
Midæ auari pœna. 293
Mineralia iam olim è terrâ erutæ. 40
Minima non sunt contemnenda. 488
ad res maximas momentum adferunt. 554
Modestia præualet tumultuosis imperiis. 664. & seq.
Modus etiam in rebus bonis seruandus. 833
Momus quid in operibus Dei reprehenderit. 157
Moneti ad vitam religiosam conuersio. 555 & seq.
Monima Milesia diademate se suspendit. 686
Morbi tempus inidoneum pœnitentiæ. 809
Mors nullis parcit titulis. 558
nullas dat inducias. ibid.
vana esse docet huius vitæ gaudia. 611
quotidie nos premit. 612. & seq.
vitam docet esse vanam. 777
Mors beata longæ vitæ præoptanda. 560
Mors docet quàm vana sit superborum truculentia. 621
grauior est inuitis. 561. & seq.
mille viis nos inuadit. 562. & seq.
Mors imminens monet vtendum tempore. 635
omnibus immineat. ibid. & seq.
ab omni parte imminet. 649. & seq.
etiã contrariis ex causis oritur. 652

Mors & senectus aliud agentes occupant. 809
Mors & iudicium omnia vanitatis condemnant. 816
Mortis meditatio tædium adfert rerum humanarum. 104.& seq.
à peccatis auocat. 613
Mortis meditatio mortem contemnit. 619
Mortis hora genusque incertum. 647. & seq.
Mortis æqualis in omnes potestas. 106
Mortisne dies an natiuitatis sit melior. 379.385
Mortis dies diei natiuitatis præfertur. 381
Mortis palatium optima schola. 394
Mortis meditatio à peccatis coërcet. 617.& seq.
est Philosophiæ compendium. 622
Mortis periculum homines socordes negligunt. 635
Mortis tempus ac genus incertum ac varium. 649
Mortis symbola. 653
Mortis causa est homo sibi ipsi. 652
Morti etiam Dij subiecti credebantur. 612
Poëtæ Deos morti subiiciunt. 563.& seq.
Morti se Christus ipse subiecit. 614
fastus & impietas frustrà morti obluctantur. 564
Morti nullus locus est importunus. 650. & seq.
occasio omnis est opportuna. 650
tempus omne seruit. ibid.
Mortem nemo potest effugere. 559
Mortem optare an & quando licitum. 195.& seqq.
Mortem contemnentium exempla. 608.& seq.
nullum aduersus mortem remedium. 561
absurda Stoicorum de morte sententia. 383.& seq.
Mori semel optandum vt semper viuamus. 378
Morimur quotidie. ibid.
Morimur nascendo. 382
Moriendi conditio par est omnibus. 563
Moriendum est omnibus. 611. & seq. 647
Moriendum est omnibus. 561, 613. & seq.
Morientium angores. 765
Mortuorum contemplatio antidotum contra peccata. 394
Mortuis nulla merces est actionum. 620
Mulier malorum omnium compendium. 518.& seq.
Mulier cacodæmonis venatoris instrumentum. 519
Mulier omne malum. 520
Mulier quid sit. 521.& seq.
Mulier impudica instrumentum est cacodæmonis. 522.& seq.
Mulieris membra singula dæmoni venanti seruiunt. 523.& seqq.
viri magni per mulierem cecidêrunt. 520.& seq.
Mulieres ad vitia fortes. 534
non omnes in culpâ sunt, sed impudicæ. 522
facilè improbos capiunt. 526
facilius deprauantur. 534
sunt contumaces & indomitæ. ibid. & seq.
Mulierum conuersatio fugienda, etiam pudicarum. 527. & seq.
Muliebres laquei vltrò expetuntur. 519
Muliebris ornatus multiplex est illecebra. 525
Mundus homini contemplandus tra-

traditur. 134.& seqq.
Mundus multa habet nobis occulta. 137
à Deo stabili lege gubernatur. 153.& seq.
Mundus sceleribus plenus. 190
semper lætis tristibusque alternat. 466.& seq.
Mundus ipse mutationi subiectus. 20. 130
an optimo modo à Deo sit conditus. 157.& seq.
ex atomorum concursu non existit. 262
prouidentiâ gubernatur. 263
Mundus plenus est laqueis & periculis. 515
errat in delectu bonorũ. 516.& seq.
plenus est vanitatis & periculi. 815
Mundi pericula. 9
merces eius vanitas. ibid.& seq.
felicitas vana. 84
Mundi pulchritudo. 134.& seqq.
Mundi imperfecta frustrà quis velit corrigere. 459
Mundi ataxia. 581.& seq.
Mundi pericula. 10.& seq.
leges periculosæ. 515.& seq.
merces vanitas. 11
felicitas vana. 52
stultitia immedicabilis. ibid.& seq.
Mundi exustio & diluuium. 35
regeneratio secundùm Stoicos. ibid. & seq.
gubernatio Deo nõ est difficilis. 264
Mundo minùs quàm pelago fidendum. 8.& seq.
in Mundo nihil stabile. 18.& seq.
quæ in Mundo imperfecta videntur, ad eius ornatum faciunt. 461. & seq.
Munera iudicia corrumpunt. 168. & seq.
Musica Salomonis. 88
Mutationes variæ mundi, regnorum, populorum, &c. 20.& seqq.

N.

Naboth ab Achabo oppressus. 192
Nascendo morimur. 382
Natalis dies mali ominis. 376
Nathan quàm opportunè Dauidem reprehenderit. 408
Naturæ sequitur semina quisque uæ. 80.& seq.
Naturæ secreta homini inaccessa. 137
Naturæ miracula. 143
Naturales res obscuræ nobis sunt. 28.141
Naturales res non præbent sui cognoscendi copiam. 29.& seq.
Naturalium rerum mutationes. 20. & seq.
Necessitas illa felix quæ ex voto oritur. 255.& seq.
Neronis auaritia. 678
Nicanoris arrogantia à Deo punita. 429
Nomen bonum vnguentis præstat. 368.& seq.
Nomen bonum est instar vnguenti. 371.& seqq.
est opima hereditas. 374
huic comparando danda est opera. ibid.& seq.
in quo consistat. 375
Nominis immortalitas vana est. 108
Nouitas periculosa præsertim in sacris Litteris. 38
Nouitatis inimici fuerunt veteres. 39
Nouum nihil sub Sole. 32.& seq.
Noua inuenta. 29

O.

Obdurari à Deo quid sit. 465. & seq.
Obedientia Deo gratior quàm sacrificia. 236.& seq.

Obe-

Obedientia commendatur. 544. & seq.
exsors est pœnæ. 546
optima vitæ norma. 551. & seq.
Obedientia Abrahæ & Isaaci. 240. & seqq.
Obedientia sacrificio potior. 239
promptè Deo obsequitur. 238
securitatem præstat. 550. & seq.
eius dignitas. 328
Obediendum Deo ad nutum. 546. & seq. 592
Obliuio vanitatem gloriæ famæque ostendit. 42
Obsidionis descriptio. 655
Occasio lucri spiritualis non negligenda. 633. & seq.
Occasio virtutis captanda. 488. 636. & seq.
Occasio salutis captanda. 553
neglecta torquet. 557
Occupationes hominum vanæ neglecto Deo. 838
Opera nostra vt pannus menstruata. 774
Opera nostra an Deo placeant, nescimus. ibid.
Opes auaro nihil conferunt ad beatitatem. 327
Opificia cur in Repub. inuenta. 335. & seq.
Ornatus muliebris multiplex est illecebra. 525
Ostentatio vana fugienda sapienti. 7. & seq.
Ostentatio sapientiæ perdit sapientiam. 509. & seq.
Otium & luxus Sodomam euerterunt. 735. & seq.
Otium pestis regnorum. 731. & seq.
Otiosus dum officio deest, grauiter peccat. 733
Otiosi strenuos damnant. 680
Otiosi maiori pœnâ digni quàm latrones. 734. & seq.
Otiosorum stultitia. 678. & seq.

P.

Parentes propter heredes salutem negligunt. 116
Parentum erga filios affectus inordinatus. 115
Parte suâ frui quid sit apud Ecclesiasten. 318. & seq.
Parua fortuna tutior. 683. & seq.
Patiens de seipso triumphat. 423. & seq.
Patiens est fortunæ suique domitor. 425. & seq.
velut Rex virtutibus incedit stipatus. 427
semper tranquillus. 429. & seq.
Deo charus. 430. & seq.
Patientis animus semper tranquillus. 424
Patriæ cælestis obliuio. 716. & seq.
Paupertas artium & scientiarum repertrix. 333. & seq.
Paupertas sapienter à Deo introducta. 159
minorem præbet doloris materiam, quàm diuitiæ. 310. & seq.
nemini probro esse debet. 340
amica est sapientiæ. 341
à Christianis magis culta. 342
iter sternit ad æternam beatitatem. 343. & seq.
Paupertas vulgò contempta. 455
Paupertatis elogium. 342
Paupertatem sponte colunt Christiani etiam Reges. 224. & seq.
Pauperes vbique opprimuntur. 187. & seq.
diuitibus feliciores. 298. & seq.
vulgò contempti. 654. & seq.
Pauperes sæpè sapientes. 224
somnos habent faciles. 302

quomodo tractandi. 753
Pauperum oppressio deploranda. 191
Pauperum voluptates faciles paratu magisque sinceræ. 302. & seq.
Peccare coram Deo magna est impudentia. 549. & seq.
Peccantium impunitas dat peccandi fiduciam. 566. & seq.
Peccantium impunitas sapientem non turbat. 567
Peccata non absque ratione à Deo permittuntur. 159. & seq.
Peccatorum mensurâ impletâ, Deus supplicia mittit. 760
Peccatorum mensuram plerique etiamnum implent. 764
Peccator facile à mulieribus capitur. 526
Pecuniâ crescente crescit cura. 306
Pericula prospicienda & præcauenda sunt. 514. & seq.
Perfectio creata quantumcumque aucta ad increatam pertingere non potest. 250. & seq.
Perfectus an in terris aliquis reperiatur. 495. & seq.
Pestis olim sæuiùs grassata quàm nunc. 444
Philippi Macedonis mansuetudo. 503
Philosophi qui fortunæ bona contempserunt. 312
Philosophi Christiani sponte pauperes. 224
Philosophi nonnulli vino dediti. 75
Philosophorum de Deo sententiæ. 249. & seq.
Phœnix è rogo suo renascitur. 189
Pigritia mater inopiæ. 730. & seq.
Pisonis furor & violentia in iudicio exercendo. 284
Piorum vitam vulgus contemnit. 839
Pluuiæ secuturæ signa. 760. 768
Pœnam omnes meremur. 585
cur Deus eam subinde innoxiis infligat. ibid. & seq.
Pœnitentia post mortem sera est & inanis. 634
Pœnitentia non est differenda. 393. 637
Pœnitentia sera rarò vera & secura. 809. & seq.
Poetæ nonnulli vino dediti. 75
Poëtica exhortatio suauiùs influit. 4
Politicorum iniqua axiomata. 282. & seq.
Populorum mutationes. 21
Popularis fidei inconstantia. 233. & seq.
Potentes potenter tormenta patientur. 282
Præscientiam futurorum qui Deo negarint. 600. & seq.
Præsentia Dei considerata obedientiam conciliat. 547
& mores componit. ibid. & seq.
Præterita sunt imago futurorum. 36
Princeps sapientiâ destitutus perdit Rempub. 668
Princeps puer Reip. noxius. 725. & seq.
virtute præditus Remp. seruat. 728
maiorum nobilitati respondeat. ibid.
Reip. bonum procuret. ibid.
Principes indigni promotoribus perniciosi. 696. & seq.
Principes omnium oculis sunt expositi. 725
Principes comessationibus deditiRempub. perdunt. 727
Principum amicitia vana & periculosa. 223
Principum stultitia in Remp. redundat. 725
Principum vitia in subditos derivantur. 726
Procerum desidia Reip. ruina. 733
Prometheus Thessalus inimico vulnere sanatus. 406

Proposita vitæ melioris ad effectum perducenda. 618.& seq.
Prosperis moderatè vtendum. 470
Prouidentia Dei futilibus rationibus non est impugnanda. 260.& seq.
Prouidentiæ diuinæ exempla. 266. & seq.
Prouidentiæ diuinæ consilia nemo capit. 598.& seq. 602
Prouidentiæ diuinæ acquiescendum. 593.& seq.
Ethnici sine causâ obtrectant. 479
iusti libenter acquiescunt. 609
Prouidentiam Dei res omnes creatæ loquuntur. 259.& seq.
hanc negantes à Deo puniti. 26. & seq.
Prouidentiam Dei non tollit præsens iudiciorum & iustitiæ perturbatio. 280.& seq.
Prouidentiam Dei etiam bruta & res inanimatæ sentiunt. 267.& seq.
impij eam blasphemant. 480
eaque offenduntur. 610
Prouidentiam Dei qui ex toto vel ex parte negarunt. 600
negantes in omne flagitiũ ruunt. 610
sed grauiter puniuntur. 268.& seq.
circa Dei prouidentiam varie hallucinantur Ethnici. 599.& seq.
querela contra prouidentiam de translatis impiorum pœnis. 583
Prudentia in bellis adhibenda. 671
Pulchritudinis in morte vanitas. 817
vanum est propter pulchritudinem superbire. 795 & seq.
Punitionis excessus ob exigua delicta. 413.& seq.
Pupilli & viduæ passim opprimuntur. 187

R.

REx puerilis regni ruina. 722. & seq.
Rex virtute præditus est salus regni. 724
Rex est imago Dei in terris. 49 & seq.
Regi iustitia sceptrum esto, non fulmen. 50
Reges longas habent aures. 742
Reges carminibus delectati. 4
ad inopiam redacti. 228
à subditis deserti. 232.& seq.
delatores habent plurimos. 744
Regum fortuna fragilis. 221
Regum vitia tegenda. 742
iis non tutò detrahitur. 741
Regum est pro populo excubare. 49
Regum potissima virtus est iustitia. 164
Regibus vix constans fides præstatur. 229.& seq.
Regibus sæpè libido lex est. 164.& seq.
Regiæ fortunæ vanitas. 84. & seq. 89. & seq.
& miseriæ. 686
Regna noua placent. 234
Regna consecuti mores mutant. 235
Regna sunt instar fabulæ. 227
Regnorum vitia & flagitia. 684. & seq.
Regnorum vrbiumque interitus. 21. & seq.
Infida regnorum fides. 231
Reprehensio grataner accipienda. 417.& seq.
Reprehensio adulatione potior. 405
Reprehensio sincera felicibus optanda. ibid.& seq.
opportuna prodest. 407.& seq.
Reprehensio æquo animo ferenda. 420
eam qui amet, vix inuenitur. 418
eius fructus. 421
Reprehensionis impatiens omnem fructum perdit. ibid.& seq.
Reprehendi etiam ab inimico quandoque vtile. 406
Reprobari ante culpam nemo existiman-

mandus. 463.& seq.
Renolutio rerum omnium. 34.& seq.
Roboami stulta iactantia. 428. & seq. 713
Robur corporis vulgò est admiratio-ni. 657.& seq.

S.

SAcrificia improborum Deo in-grata. 242.& seq.
Saladini morituri vox. 536
Salomon Rex sapiens & iustus. 50
sciendi cupidus. 56
Salomon Philologus, Orator, Poëta, Philosophus, Astrologus, Medicus, Theologus,&c. ibid.& seqq.
Salomon æternam salutem videtur consecutus. 824
Salomonis ædificia. 85
horti. 86
Regia Maiestas. 85
diuitiæ. 87
conuiuia. ibid.& seq.
musica. 88
Salomonis felicitas vana. ibid. & seq.
Salomonis varia scriptio. 823
libri suppositiij. ibid.
Salomoni fausta vota. 821
Salomonici palatij & hortorum magnificentia. 81.& seqq.
Salus nulla reperitur extra Deum. 835
Salutis occasio captãda. 553.& seqq.
Sapientia cum diuitiis vtilior. 450. & seq.
sed diuitiis potior. 451
scutum est tutissimum. 667. & seq.
Sapientiâ duce viuendum. 506. & seq.
Sapientia est instar Solis. 100
Soli præfertur. ibid.
etiam pauperi contingit. 224
firmissimum est præsidium. 225
Sapientia iuncta diuitiis est vtilior vitâ communi. 453
sine diuitiis minùs commoda vitæ communi. 454
plus confert diuitiis quàm contra. 456.& seq.
vitam & immortalitatem tribuit. 457
prænalet viribus corporis. 653. & seq. 671.& seq. 673
& fortunæ. 671
Sapientia vulgò contempta. 660
etiã in tenebris splẽdet. 662.& seq.
non semper despecta. 664
Sapientia ad gubernandam Rempub. necessaria. 673.& seq.
Sapientiæ palatium. 95.& seq.
Sapientiæ stultitiæque discrimen. 95.& seqq.
Sapientiæ splendor. 96.537.& seq.
Sapientiæ descriptio. 507.& seq.
Sapientiæ initium est nosse seipsum. 99
Sapientiæ magna cõmoda. 100.& seq.
Sapientiæ ostentatio perdit sapientiam. 509.& seq.
Sapientiæ in hac vitâ difficilis est acquisitio. 512
Sapiens interdum labitur. 490. & seq.
Sapiens perfectus nemo reperitur. 529.& seq.
Sapiens est columen ciuitatis. 655
Sapiens apud Stoicos ceteris minùs mortalis. 106
seipso contentus ac Deo. 215
amicum tamen non repudiat. ibid.
semper sui similis. 226
non tam suo quàm aliorum damno mouetur. 414.& seq.
Sapiens virtute calumniam superabit. 415.& seq.

inexpugnabilis est. 492
Sapiens omni veneratione dignus. 493
perfectus nemo in hac vitâ. 533. 495.& seq.
occasionem captat. 554.& seq.
contemnit vulgi iudicium. 661. 681
fortuitos casus habet præmeditatos. 645
Sapiens secum conuersatur Deum imitatus. 663.& seq.
Sapientis robur insuperabile. 449. & seq.
Sapientis animus in omni fortunâ æquabilis. 450
Sapientis descriptio. 490
Sapientis modesta oratio prævalet stultorum clamoribus. 662
Sapientis siue iusti elogium. 492
Sapientis & stulti discrimen. 677. & seq.
Sapienti fomenta voluptatum vitanda. 76
Sapientem parua sæpè stultitia dedecorat. 675.& seq.
Sapientum verba sunt melle suauiora. 825
Sapientum verba sunt stimuli. 826
Sapientum monita ad virtutem impellunt. 830
sunt efficaces stimuli. ibid.
tenacia sunt instar clauorum. 831 & seq.
Sapientum consuetudo fructuosa. 225
Sapientium alterum genus sunt proficientes. 533
Sardanapali epitaphium. 680
Scientia vix vlla veri nominis in terris. 55.& seq.
Scientia nulla noua est. 37
inutilis repudianda. 828
Scientiæ vanitas præsertim in rebus inutilibus. 59.& seqq.
Scientiarum vanitas. 54. & seq.
Scientiarum origo. 37
Scientijs profanis benè vti possumus. 5.& seq.
Scire quædam interdum occasio doloris est. 513.& seq.
Sciendi cupiditas vana. 138
ex notis ad ignota transit. 139
nimia tabefacit corpus. 604
Scipio Africanus per calumniam oppressus. 705
Scriptorum monimenta intereunt. 107.& seq.
Scripturæ sacræ efficacia. 830.& seq.
Secreta naturæ homini inaccessa. 137
Senecæ abstinentia infructuosa. 719. & seq.
Senectutis descriptio. 803.& seqq.
Senes plerumque auari. 210
Sensuum & cupiditatum obiecta non satiant. 815
Sepulturæ honor an ad felicitatem pertineat. 330
eius curam aliquam gerere rationi congruum. ibid.
qui neglexerint ob auaritiam. 331
Serenitatis descriptio. 537
Seruitus olim magnum malum. 444
Seueritas vultus peccantes corrigit. 398
Seuera ac tristia latis blandisque præferenda. 402.& seq.
Sigismundus Imp. aurum hostem suum & carnificem vocauit. 301
Sinenses contemptum cum diis suis agunt. 755
Sirenum cantus. 715
Sobrietas Principum regni salus. 724
Socialis vitæ commoda. 214
Somnus pauperum quàm diuitum suauior. 301.& seq.

Somnia nec omnia vera, nec omnia falsa. 273
Somniorum consideratio. 272. & seq.
Sorte suâ nemo contentus. 360. & seq.
Specierum visibilium natura occulta. 143
Stratagemata in bello sunt prudentiæ fœtus. 672
Studia hominum vana neglecto Deo. 838
Studiorum intemperantia noxia. 826. & seq.
Studiis temperanter vtendum. 827
Stultitia mundi immedicabilis. 52. & seq.
Stultitia in tenebris versatur. 101. & seq.
Stultitiæ descriptio. 97. & seq.
Stultus populi plausu delectatur. 399. & seq.
Stultus desidiam sectatur, & virtutem contemnit. 677
Stultus sibi sapiens videtur. ibid.
Stultus adulatione delectatur. 102
totus ex fortunâ pendet. 226
Stultorum varia genera. 678. & seq.
sera pœnitentia. 681
Subditi instar ventorum mutantur. 235
Subditorum in Reges perfidia. 229. & seq.
Subditorum à Salomone defectio. 232
cum Absalone contra Dauidem conspiratio. ibid.
Summum bonum non consistit in virtute. 719
Superbiæ damna. 516
Superbia in morte vanitas. 817
Superborum speculum in morte. 596
Superioribus debetur reuerentia. 743
Superioribus non est temerè detrahendum. ibid.
Sybaritarum extrema desidia. 733

T.

TEmeritatem vulgus laudat non sapientes. 670
Temperantia decet Consiliarios. 729
Temperantia antiquorum Romanorum. ibid. & seq.
Temperanter studiis vtendum. 827
Tempus omnia obliuione sepelit. 41. & seq.
omnia Tempus habent. 127. & seqq.
Tempus adfert varietatem in vita. 130
Tempus nullum hîc longum est. 781. & seq.
Temporis opportunitas captanda. 633. & seq.
Temporis habenda ratio. 623. & seq.
Tempori aptari decet. 469
Tempora vt nunc, ita olim nec bona semper nec mala. 440. & seq.
Temporibus vitia non sunt adscribenda, sed moribus. ibid.
de Temporibus nostris iniqua est hominum querela. 442
Tentatio magna est eadem hominibus & brutis euenire. 173. & seq. & 176
Thaumasti misericordia ab Agrippâ remunerata. 554
Theodosius Imp. reprehensionem modestè tulit. 422
Tiberius heres scriptus testatores occidit. 114
Timon homines auersatus est. 215
Timor Dei tutissimus salutis portus. 834
Timor Dei tollit absurdas de Deo opiniones. 278. & seq.
Timor Dei coërcet à peccatis. 550

Trithelmus visis inferis in se fuit rigidissimus. 766

V.

Valeria dentata ciuibus suis fatalis. 411
L. Valerius nimiâ consternatione hostem scripsit heredem. 124
Vanitas scientiarum. 54. & seq.
Vanitas scientiæ ac sapientiæ. 59. & seq.
Vanitas rerum humanarum in extremo iudicio. 817. & seq.
Vanitatis multiplex significatio. 12. & seqq.
Vanitate relictâ Deo viuendum. 802. & seq.
Vana gloria virtutes prostituit. 756. & seq.
facilè actionibus nostris obrepit. 818. & seq.
omnino eam superare difficile est. 510. & seq.
Vana ostentatio fugienda sapienti. 7. & seq.
Vanum est quidquid videmus. 812. & seq.
Vana hominum studia ac labores. 47. & seq. 51. & seq. 54
Varietas in rebus humanis delectat. 571
Venter famelicus artium repertor. 333. & seq.
Ventorum causa obscura. 143
Verbi Dei efficacia. 830. & seqq.
Veritatis cognitio difficilis. 141
Vesuuij flammæ horribiles anno 1633. 36
Vicissitudo rerum omniũ. 33. & seq.
Vicissitudo rerum inter læta ac tristia. 466. & seq.
Vicissitudo bonorum ac malorum in hoc mundo. 468. & seq.
Viduæ & pupilli passim opprimuntur. 187
Vindictæ cupiditas in dicaces frænanda. 502
Vindictæ diuinæ exempla impletâ scelerum mensurâ. 763
Vini incommoda. 72. & seq.
Vino moderatè vti prodest. 469. & seq.
Virtus cum lætitiâ commendabilis. 147. & seq.
Virtus inuidiâ maior. 199
interdum etiam in hac vitâ honoratur. 222
terrena despiciens cælum petit. 338. & seq.
rebus asperis delectatur. 399
semper per se splendet. 409
maledicas linguas contemnit. 498
magna atque ardua meditatur. 676. & seq.
Virtus contrariâ cõsuetudine amissa vix magno labore recuperatur. 698. & seq.
Virtus gaudium & tranquillitatem præstat. 150
quouis pretio constat benè. 485. & seq.
aduersò flumine sursum nititur. 486
etiam exteriùs splendet variis exemplis. 540. & seq.
post laborem suauis est & facilis. 702. & seq.
Virtus sola in Phalaridis tauro beatos non facit. 720
Virtutis odor præstantior est quouis vnguento. 368. & seq.
Virtutis vmbra non rarò fallit. 505. & seq.
Virtutis splendor. 537. & seq.
Virtutis occasio captanda. 488
Virtutis splendor interdum exteriùs ostenditur. 539. & seq. 542

Virtutis imago. 540
Virtutis ſtudium non languidum ſit ſed generoſum. 638
Virtutis ſplendor à Deo eiusque imitatione procedit. 542. & ſeq.
Virtuti nihil obeſt inuidia. 204. & ſeq.
ad Virtutem naturâ impellimur. 484
ad Virtutem conatus numquam remittendus. 487
Virtutes ſolæ poſt mortem homini ſunt ſubſidio. 749. & ſeq.
Vis iuri prævalet. 188
Viribus maiora non ſunt attentanda. 203
Vita noſtra fluxa eſt. 16. & ſeq.
Vita noſtra inſtar comœdiæ. 17. & ſeq.
quâ ratione inſtituenda ſit, obſcurum. 73. & ſeq.
iucunda non videtur longa. 315. & ſeq.
Vita longa impiorum & breuis bonorũ magna tentatio. 474. & ſeq.
Vita noſtra periculoſa via eſt. 504. & ſeq.
dulcis eſt etiã inter tot mala. 776
nulla dicenda eſt longa. 778
Vita nimis breuis eſt ad comparandas ſcientias. 27
Vita hominum inconſtans. 129
& plena miſeriis. 195. 381. 382
Vita longa auarum non facit beatum. 328. & ſeq.
longa non eſt optanda. 351
Vita magnum eſt Dei munus. 380
Vita interdum iuſtis breuis, impiis longa conceditur. 475. & ſeq.
cur iuſtorũ ſit breuior. 478. & ſeq.
longa eſt, cuius æternum iuuat meminiſſe. 478
Vita numquam hîc longa eſt. 615. 782. & ſeq.
ſeipſam interimit. 777
Vita noſtra quid. 616
Vita hæc acerba eſt. 649
maximè mœrentibus. 194
Vita inconſtans eorum qui nullum habent ſcopum. 718. & ſeq.
Vita præſens æternitati comparata inſtar nihili eſt. 781
Vita Deo conſecranda dum floret. 805. 808
Vitæ hilaritas melior anxiâ curioſitate. 147. & ſeq.
Vitæ breuitas ſpẽ longã incîdit. 362
Vitæ hilaris deſcriptio. 589. & ſeq.
Vitæ mortalis incommoda. 377
Vitæ tuendæ ſtudium omnibus innatum. 776
Vitæ acerbitas ex hominum auaritiâ. 208
Vitæ ſocialis commoda. 214. 217
Vitæ breuitas cohibet immodicas cupiditates. 366
Vitæ bonum non in longo ſpatio, ſed recto vſu conſiſtit. 477. & ſeq.
Vitæ cupiditas pleriſque nimia. 560. 562
Vitæ humanæ fragilitas. 614
huic non nimio affectu adhæreſcendum. 616
Vitæ dies omnis tamquam vltimus habendus. 623. 636
Vitæ melioris propoſita ad effectum perducenda. 638. & ſeq.
malè in ſenectutẽ differuntur. 810
Vitæ præſentis amor & cura tuenda valetudinis. 778. & ſeq.
Vitæ magna iactura eſt procraſtinatio. 808
Vitam calamitoſiſſimã nimis amauit Teleſphorus Rhodius. 351. & ſeq.
ad Vitam hilarem exhortatio. 785. & ſeq.
Viuere noſſe ars rara eſt. 505. & ſeq.
Viuentes mereri poſſunt, non item mortui. 623

Viuus canis melior leone mortuo. 619
Vitia temporibus non sunt adscribenda, sed moribus. 440. & seq.
Vnguenta olere probos dedecet. 368
Vnguenta vbi nobiliora inueniantur. 369
Vnguentorũ vsus. 370
vis. ibid. & seq.
nimius vsus effeminatorum est. 373
Voluptas mundi fallax. 65
Voluptas profana non satisfacit. 716
vana est. 65. *maximè in morte.* 798
Salomonem eneruauit. 65. & seq.
Voluptas inanis est & fallax. 68. & seq. 793
vilis est. 796
perniciosa est. 69. & seq. 796. & seq.
Voluptas à conditione naturæ nostræ discrepat. 71
Voluptas quædam honesta & homine digna. 149
Voluptas vera animi ex virtute existit. 630. & seq.
Voluptates improbi magnificiunt. 779. & seq.
Voluptatem miles Christianus fugiat. 77
Voluptatem non commendat Ecclesiastes vt magnum bonum. 316. & seq.
Voluptates vanæ sunt & inanes. 14. 783
Voluptates pauperum faciles paratu magisque sinceræ. 302. & seq.
Voluptatum fomenta sapienti vitanda. 76
Voti violatores à Deo puniti. 257
ex Voto felix necessitas. 255. & seq.
Vota improborum Deo displicent. 252
Vota Deo promptè soluenda. ibid.
Vota homines plurima concipiunt. 344 & seq.
sæpè ipsis concipientibus noxia. 345. & seq.
Vota mortalium stulta. 777
Vota Deo grata esse ratione confirmatur. 255
non soluere, graue piaculum est. 256. & seq.
absque morâ soluenda. 258
Vota auarorum sunt ipsis noxia. 329
Vota stulta mortalium. 346. & seqq.
aliis noxia. 348. & seq.
& ipsis vouentibus. 349
Vota concipienda quæ saluti expediunt. 352
Vota nostra Deo permittenda. 352. & seq.
Votorum antiquitas. 253
Votorum religionem frustrà damnant hæretici. 254
maximè miraculis confirmatur. ibid. & seq.
Propter irrita vota non debet homo Deo succensere. 356
Vulgus desidiam sectatur & virtutem contemnit. 677
Vultus seuerus peccantes corrigit. 398

X.

Xerxem adulatores perdiderunt. 403. & seq.

Z.

Zoroastres natus risit. 381.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

FERDINANDI II. Diuinâ fauente clementiâ electi Romanorum Imperatoris semper Augusti Diplomate cautum est; nequis intra Romani Imperij & Regnorum ac Dominiorum suorum hereditariorum fines, Societatis IESV Patrum Opera citra consensum eorumdem Patrum & Auctorum desuper obtentum imprimere, vel recudere, aut alibi recusa inferre aut vendere præsumat. Qui secùs faxit, præter Librorum omnium confiscationem, viginti marcharum auri puri pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet ex Diplomate dato Viennæ die IV. Aug. M. DC. XXVI.

Signat.

FERDINANDVS.

Petrus Henricus à Stralendorff.

Ad mandatum Sac. Cæs. Maiestatis proprium,

Hermannus à Questenbergh.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGO infrascriptus Societatis IESV per Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis, pro potestate mihi factâ ab Admodum R. P. Mutio Vitellesco Societatis nostræ Præposito Generali, permitto, vt Liber, qui inscribitur Speculum Vanitatis, siue Ecclesiastes solutâ ligatâque oratione dilucidatus per P. Ioannem Tollenarium Societatis nostræ Theologum, ab eiusdem Societatis deputatis Theologis examinatus & approbatus, typis diuulgetur, & vt iuxta Priuilegium Cæsareum Societati nostræ concessum, soli Balthasari Moreto Antuerpiensi Typographo eumdem imprimere & recudere liceat. In cuius rei fidem hasce manu meâ subscriptas, & officij mei sigillo munitas dedi Antuerpiæ XII. Ianuarij M. DC. XXXV.

Collegij Societatis JESV Paderbornæ 1636. *Fredricus Tassis.*

SVM-

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit; nequis *Ioannis Tollenarij Speculum Vanitatis, ſiue Eccleſiaſten ſolutâ ligatâque oratione dilucidatum*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet ex litteris datis Bruxellæ XI. Septembris, M. DC. XXXIV.

Signat.

Steenhuyſe.


APPROBATIO CENSORIS.

ECCLESIASTES ELVCIDATVS, ſiue Salomonis Eccleſiaſtæ Philoſophia ac morum Doctrina, per R. P. Ioannem Tollenarium Brugenſem, Societatis IESV Theologum, nouâ & eleganti inuentione, tum ſolutæ tum ligatæ orationis Paraphraſibus atque Exegeſibus perpetuo Commentario adornatus, quem vidi, iudicioque meo approbaui, poteſt in lucem emitti; cùm ſit plenus præclaris honeſtæ vitæ documentis, & nil contineat ſanæ fidei ac bonis moribus aduerſum, imò Pancarpium quoddam ſit ex ſacræ profanæque litteraturæ theſauris decerptum, & ad oculum oſtendat, quàm ſit Ethnica Philoſophia Ethicorum Salomoniæ ſapientiæ parallela. Ita cenſui Antuerpiæ XIII. Auguſti, M. DC. XXXIV.

Gaſpar Eſtrix S. Theol. Canonicus ac Plebanus Antuerpiæ.

Colleg. Paderborneñ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN